



es;

C 13565.





ARISTOTELIS

STAGIRITÆ AD FILIVM NICOMACHVM,

De vita & moribus,

LIBRI X.

Conuersi de Græco in sermonem Latinum, & argumentis singulorum librorum atque capitum, tum scholijs quoque illustrati

A

VICTORINO STRIGELIO.

Nunc iterum editi.



FRANCOFORTI.

Anno M. D. LXXXIII.


EX·BIBLIOTHECA·SENA
TVS·GEDANENSIS·



AD MAGNIFICVM SENATVM INCLYTAE SILESIORVM REIPVB. VRAtislauiensis, *viros amplißimos & prudentißimos,*

PRAEFATIO NVNCVPAT.



Elebraturus alicubi, sapientissimus poëta Pindarus, vrbem quandam Græciæ, dicit eam regi atq; gubernari à Themide & Eunomia: ἃν Θέμις, inquit, θυγάτηρ τέ οἱ σώτειρα λέλογχε μεγαλόδοξος Εὐνομία: quibus verbis ea complectitur, quæ homines Ethnici iudicarunt esse præcipua ciuitatum ornamenta: ordinem nimirum legum, & constitutionem tùm iudiciorum forensium, tum cæterarum rerum, quibus pax & disciplina inter ciues conseruatur, atque fouetur, omnium. Nec verò errauit grauissimus poëta, cùm ista scriberet: sunt enim hæc, quæ prædicat, decora singularia atq; eximia: vt exemplum contrarium reipubl. Cyclopum, in qua, vt alius poëta ait: οὐδεὶς ἀκούει οὐδὲν οὐδενὸς ostendit: Verùm omisit ille tam in hoc, quod est

 maxi-

maximum maximeque neceſſarium, nec verbulo vnico meminit περὶ τῆς τ̃ πόλεων ψυχῆς ἀληθινῆς. Itaque dicto huius Thebani vatis longè anteponamus ea, quæ Regius propheta Dauid in hāc ſententiā cōmemorat, cùm ſub imagine atq; exemplo vrbis Hieroſolymæ oſtendit, quæ ſint veriſſima atq; præclariſſima laudatarum Rerumpubl. ornamenta, inquiens in Pſalmo CXXII. Hieruſalem ædificatur vt ſit ciuitas, in qua conueniatur: vt illuc aſcendant tribus: tribus Domini, ad teſtimonium Iſraël, & ad confitendum nomini Domini: Quia illic ſedent ſedes in iudicio, ſedes domus Dauid. Celebrat Pſalmus vrbem Ieroſolymitanam non tantùm propter ornamenta Pindarica, hoc eſt, propter pulcerrimam, ſapientiſſimam & optimam in ea legum, iudiciorum & magiſtratuum omnium conſtitutionem: ſed multò magis propterea, quòd vrbs illa, omnium, vt Plinij verbis vtar, totius Orientis ciuitatum longè clariſſima, fuerit arx, ſedes, & domicilium doctrinæ diuinitus traditæ, hoſpitium veræ Ec-

ræ Ecclesiæ, & ἐργαστήριον diuinarum patefactionum. Etsi autem tanta fuit ἐξοχὴ, & tantum ἀξίωμα politiæ Israëliticæ, vt verè idea quædam optimi & beatissimi regnorum atque Rerumpubl. status, & habeatur & haberi meritò debeat, nec reperiri possint exempla, ad illius similitudinem proximè accedentia, cùm non fecerit Deus taliter omni nationi: adhuc tamen, Dei beneficio, in nostra Germania, vt de exteris regionib. nihil dicam, aliquot sunt vrbes, quæ vtriusque, de quo diximus, boni possessionem, inter has medias generis humani confusiones, & ruinas atque nutationes omnium propè regnorum, mediocriter aut aliquo saltem modo cõseruant: certè quantum possunt, solicitè tuentur. Ac rogandus est magnopere propitius Deus, vt deinceps etiam illas seruet atque protegat. Verissimè enim scriptum est in sapientissimi Regis carmine: Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat, qui ædificat eam: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Neque verò

mihi nunc propoſitum eſt, de alijs vrbibus dicere; de vnica ſaltem, VRATISLAVIA, natali meo ſolo, quod neſcio, qua me dulcedine trahit, & immemorē nō ſinit eſſe ſui, facere aliter hoc loco non poſſum, quin vno atq; altero verbo nonnihil cōmemorem, eamque ob rem à nemine bono, patriæ atq; Eccleſiæ amante, me reprehendi poſſe confido. Verè igitur exiſtimo, patriā meam chariſſimam habere illa ipſa ornamenta, quæ Iudaicarum vrbium metropoli Dauid aſſcribit: neruos ſcilicet mediocres atque præſidia, non planè nulla quæ ad huius corporalis vitæ beatitudinem ſpectant: tum verò, & multò quidem magis, eorum etiam bonorum poſſeſſionem, quæ vera ſunt atque perpetua. Quanquam enim in locis vniuerſis totius Europæ magnæ ſunt difficultates, & ingentia paſſim creſcunt onera, plurimum etiam vbique eſt turbarum atq; tumultuum: attribuit tamen benigniſſimus Deus patriæ meæ ſic ſatis illuſtrem curiam, & conſpicuam formam gubernationis ariſtocraticæ, ad quam ex hono-

honoratiſſimis familijs vocari ſolent, nõ ſolùm imaginibus, & longo ordine maiorum præſtantes, ſed etiam doctrina, ſapientia & virtutibus ornati, qui deinceps præſunt rebus communibus, tanta diligentia, fide, fructu, &, vt res in hac vltimorum mundi temporum fatali varietate ferunt, etiam felicitate, vt neceſſe ſit tamen adhuc agnoſcere in tali regimine pręſentiam Dei, ſedentis ipſius ad clauum & gubernacula huius Reip. Quid dicam de iuſticia & ſeueritate, quam inclytus Senatus in legum, iudiciorum atque diſciplinæ adminiſtratione & defenſione adhibet? Quæ deinde ciuium eſt erga Senatum pietas, & peculiaris quædam reuerentia atque πειθαρχία? In vita autem priuata atque domeſtica, & inter ſeſe, quæ cura tuendæ dictorum atque pactorum veritatis? quàm elegans grauitatis atque modeſtiæ in omni officio, caſtitatis, frugalitatis, ſedulitatis, & aliarum pulcerrimarum virtutum theatrum atque gymnaſium apparet? Quæ porrò exercitia, & quàm diuerſæ operæ variarum artium?

quàm pleni humanitatis & honeſtatis cõgreſſus, in quibus verè lucet atq; floret illud ab omnibus ſapientibus tantopere celebratũ, τὸ ἠθικὸν, quàm deniq; certatim incumbitur in ea, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, quemadmodum ſcribit ad Philippenſes D. Apoſtolus Paulus? Magna hæc ſunt fateor, & tamen non amore tantùm erga patriam meo, ſed vero etiam iudicio ſic à me iſta exponi, plura etiam cõmemorari poſſe, res atq; inſpectio eos, qui hoc volent, docere poterit: & fortaſſis non ſunt alibi nulli qui hæc ignorent. Sed longè tamen ſunt alia veriora atque maiora bona, quæ conceſſu atque munere Dei Opt. Max. dulciſſimæ meæ patriæ data ſunt: Vox nimirum Euangelij, & diuinorum dogmatum ac fidei articulorum ſana & incorrupta veritas, cuius repurgationem hac ætate factam inter primas hæc ciuitas eſt amplexa: & qua nunc quoque ſibi filius Dei Eccleſiam iſtic æternam colligit, alienam à factionibus impiarum & blaſphemarum ſectarum, & abhorrentem à diſſi-

diſſidijs falſarum, perencioſarum, etiam non neceſſariarum diſputationum voce filij Dei & iudicio orthodoxæ catholicæ Eccleſiæ damnatarum, quæ alibi longè lateque diſſeminantur, & vt verendum eſt, niſi prohibeat Dominus, latius etiam diſſeminabũtur. Iſti ſummo bono, quod inter alias Germaniæ ciuitates populoſiores, integrum habet Dei beneficio, ciuitas noſtra, accedunt ſcholæ optimè cõſtitutæ, in quibus ſtudia piæ & liberalis doctrinæ, magna fide & dexteritate, iuuentuti proponuntur, hisque illa erudiuntur & educatur ad poſteritatem, tanquam ſeminarium Eccleſiæ & Reipubl. præcipuum. Horum excellentium beneficiorum (doctrinæ dico diuinæ, & ſtudiorum humaniorum) ἐξάρχους in mea patria eſſe voluit æternus Deus, præſtantiſſimos, nec vnquam ſatis laudatos viros, lumina & decora quondam noſtra, Iohannem Heſſum, Ambroſium Moibanum, & Iohannem Metzlerum: ac ſunt hos deinceps ſequuti, & horum merita cumulare ſtuduerunt, alij etiam viri præſtantes, nec pauci,

nec maioribus indigni, quos cùm enumerare hoc tempore omnes non liceat, tacitè interim apud animum meum venerabor, vt decet atque par eſt facere ciuem patriæ amantem, & eius commoda & ornamenta ad ſe pertinere putantem, vniuerſos. Præceptores autem & magiſtros pueritiæ meæ, mihi chariſſimos, facere non poſſum, quin hoc loco nominem: Andream Vuinglerum ſeniorem, Bonauenturam Roslerum, Martinum Heluigium, adhuc Deo iuuante ſuperſtites, & ſi quid mea vota valent, longa ſecula ſuperuicturos: tum verò eximium illum ſtudiorum atque morum formandorum magiſtrum, eundemque virum optimum & integerrimum Baaldaſſarem Neandrum, ingenti meo & patriæ atque ciuium cum dolore atque luctu, ſuperioribus annis in patria defunctum. His pręſtantiſſimis viris, cùm de patria præclarè ſint meriti, iudico à ciuibus meis perpetuam deberi atque immortalem gratitudinem. Ego ſanè meo loco, qualemcunque ingenij mei in illa priori ætate culturam,

ram, poſt Deum, totam horum fidei atque diligentiæ acceptam refero, illisque & nunc publicè gratias ago, & ſi quo modo, deinceps etiam pro mea tenuitate, grati atque memoris animi ſignificationes oſtendere potero, has profectò nec ipſi, nec poſteri etiam eorum fruſtra vnquam, Deo adiutore, quantum quidem præſtare ſciam & potero, ſunt à me deſideraturi. Sed ab iſtorum præceptorum & doctorum mentione ad ſcholas noſtras reuertor, ex quibus benedicente ſtudijs, laboribus & conatibus noſtris benigniſſimo eorum authore atque conſeruatore Deo, prodierunt veluti ex Troiano equo, multi viri, & magni: Theologi, Iuriſconſulti, Medici, Philoſophi, tum viri quoque politici, quorum multi in Regum atque Principum aulis, eximia cum dignitate & laude verſantes, inclaruerunt; multi vita functi, gratam & deſiderabilem nominis ſui memoriam apud omnes bonos reliquerunt: nonnulli etiam nunc domi, Reipubl. ac patriæ, in curia, in Eccleſijs, in ſcholis, domi & foris vtilem nauant

atque

atque fructuosam operam, suntque his præsidio & ornamento: vt taceam interim multa præclara ingenia, quorum, vt ait poëta, adhuc messis in herba est, de quibus suo tēpore faciet Dominus quod est bonum in oculis ipsius. De mortuis sufficiat nominasse vnum, qui tamen haud scio, an non multorum instar esse possit: Iohannem Aurifabrum, Hessi generum, virum vniuersæ doctrinæ cœlestis rectissimè atq; dexterrimè intelligentem, plurimarum artium & linguarum eximiè peritum, & vitæ integritate atque innocentia, multisque alijs donis ita ornatum atque conspicuum, vt satius sit de eo tacere, quàm pauca dicere. Philippum certè Melanchthonem V. cl. & huius vrbis nostræ & multorum è nostris amantissimum, scimus tum alia de nostro Aurifabro honorificè dixisse: tum hoc etiam: Esse eum tanta & tam varia doctrina & eruditione præditum, vt ipse quid sit doctus nesciat. Inter eos autem, qui adhuc viuunt, nemo, vt opinor, me reprehendet,

hendet, si primo loco numerem atque collocem Magnificum Iohannem Cratonem à Crafftheim, Cæsareum archiatrum, virum tanta pietate, tantaque virtute, sapientia & doctrina præstantem, vt cognitio artis medicæ, qua ille singulariter excellit, minimum tamen donorum eorum, quibus ornatus est, videri possit. Hæc & similia ornamenta, quæ ego longè pluris facio, quàm splendorem ædificiorum, aut opulentiam atque copiam vllarum aliarum rerum, patriæ meæ toto pectore gratulor, & ei precor ex animo, vt hæc sua bona agnoscat, & quæ maiorum virtus acquisiuit & parauit, retinere, tueri & ad posteritatē conseruare studeat. Etiam propitiū atq; misericordē Deum inuoco, vt ea velit nobis esse βέβαια καὶ νόμιμα. Mihi etiam gaudeo, quem Deus æternus in hac vrbe nasci voluerit, loco non pœnitendo, & maioribus per ipsius gratiam, claris atque honestis, quorum memoria sit in benedictione: Ac oro illum ipsum æternum Deum summis precibus, vt me velit esse & manere ciuem

saluta-

salutarem nec inutilē meæ patriæ & meæ animæ, ac verò palmitem propagatum ex illa vera vite, florentem in domo Domini, cunctis diebus vitæ meæ: tum etiam membrum viuum Ecclesiæ, quæ est verior patria, cuius ciuem esse summa demum & gloria est, & beatitudo. Vt autem meæ obseruantiæ erga inclytum patriæ Senatum, pietatis erga Ecclesiam & scholas, amoris & beneuolentiæ erga ciues meos, cum quibus ipsa me natura arctissimo vinculo siue philtro quodam, vt ait græcus poëta Theologus, copulauit, qualecunque specimen & æternum testimonium, publicum etiam, extaret, edidi hos cōmentarios Ethicos, conscriptos à cl. v. Victorino Strigelio, piæ & gratæ memoriæ; ac eos quidem sub amplissimi nominis vestri honorifica, vt par est, mentione, in publicum prodire volui, quod munus, quanquam in meis hortis non natum, boni tamen, vt spero, nec dubito, consuletis. De vsu ipsius doctrinæ Ethicæ, ad omne genus studiorum, in primisq; ad doctrinam Ecclesiæ, rectius atq;

dexte-

dexterius intelligendam, tum etiam in ſchola, foroq́; verſantib. perneceſſario, nihil hoc loco & tēpore dici neceſſum exiſtimo, cùm & hæc, & his ſimilia ab ipſo authore ſatis copiosè in prolegomenis ſint expoſita. De Victorino verò autore, quantus vir fuerit, quo ingenio, qua doctrina, quanta docendi atq; dicendi facultate, facilitate & felicitate præditus, quàm præclarè de ſtudijs, deq́; Eccleſia meritus ſit, nihil tam magnificè dici poteſt, quod non rei ipſius veritas atque magnitudo longè ſuperet. Ac conſtat de hoc eruditis & pijs omnibus, qui vel viuum amarunt & nouerunt, vel docentem audiuerunt: vel qui etiam mortui ipſius monumenta cognoſcenda putarunt: Conſtabit aliquando etiam melius, piæ, ſi quæ futura eſt, poſteritati: nam ea & ſine amore & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia eſt iudicatura, vt ſcripſit alicubi M. Cicero. De domeſticis autem virtutibus ipſius, pietate erga Deum, amore in Eccleſiam, ſedulitate in omni officio, animi rectitudine atq; conſtantia,

veracitate, castitate, incredibili humanitate, & longo aliarum pulcerrimarum virtutum numero atque choro, quarum ego cum multis alijs varij loci hominibus, integrum propè septennium, quo illum præceptorem habui, αὐτόπτης & admirator fui: de his, inquam, possem iucundam, nisi ea nimis esset prolixa futura, narrationem instituere. Et nouerunt hæc omnia non modò Vir Cla. Petrus Vincentius, qui nunc studia piæ & necessariæ doctrinæ in scholis vestris magna diligentia & fide propagat, alijsque officijs plurimis, patriæ communis salutem & dignitatem adiuuat: cui cum Victorino, intima quædam & singularis fuit longo tempore, amicitia atque consuetudo: sed etiã Reuerendus dominus Doctor Esaias Heiderichus, pastor Ecclesiarum in vrbe nostra vigilantissimus, Victorini dum vixit, amicus & ipse: mihi quoque veteri vsu coniunctus, & plurimùm obseruandus.

Sed ad vos reuertor, Viri amplissimi atque prudentissimi, Patres & lumina at-

que

que columnæ, secundum Deum, patriæ, quibus, etiamsi iam est ostensa causa qualiscunque istius dedicationis meæ: probanda tamen adhuc est alia quoque. Narrat Herodotus, lege quadam Amasidis apud Aegyptios hoc fuisse constitutum, vt vniuersi ex subditis, finito vnoquoque anno, magistratus suos adirent, ijsque rationem suarum operarum, laborum atque studiorum redderent: Cum igitur & ego aliquot hactenus annis à patria abfuerim, debere me hoc existimaui, vt quomodo ocium meum collocassem, vobis ostenderem: id verò non vidi quomodo rectius præstarem, quàm si nonnihil eorum, quæ, dum domo paterna absum, didici atque cognoui, ad vos mitterem. Accipietis igitur hos præceptoris mei commentarios, & sic habebitis, esse illos partem non postremam eorum studiorum, quibus dum in Academijs versor, mediocri cum diligentia, fortassis aliquantulo etiam cum fructu occupatus fui. Accedit hæc etiam causa, cur libentius ad vos hæc mittam, quia ipsum au-

torem ſcio non modò de noſtra repub. honorificentiſſimè ſenſiſſe atq; locutum eſſe, & illam vnicè adamaſſe atque coluiſſe, ſed etiam de multis noſtris bene mereri ſtuduiſſe. Memini quoque ſermonum illius quando diceret, ſe, ſiquidem victurus eſſet, propter multas cauſas omnino cogitare, partem aliquam ſuarum lucubrationum vobis inſcribere. Quod igitur ab ipſo authore fieri non potuit, & vobis tamen, ſi vſuueniſſet, procul dubio gratum acceptumque fuiſſet, id nunc reuerenter & officiosè peto, vt iniucundum non ſit, cùm à diſcipulo illius, ciue veſtro fiat. Sed non volo pluribus verbis facti vel potius officij mei rationem reddere, cùm, vt ſpero & opto, omnes boni, aut certè minus mali, probaturi ſint teſtimonium qualecunque meę tum in patriam, & in præceptorem (cùm amor patriæ, quam vel ingratam aut noſtri parum memorem amare ſolent heroicæ naturæ, nobis innatus ſit: præceptoribus verò æquiualẽs & ἰσόῤῥοπον reddi nõ poſſe, ſcripſerit Ariſtoteles) obſeruantiæ, tum
erga

erga omnes quos pia & bona ſtudia dele-
ctant, rectæ voluntatis. Idcirco, quod re-
ſtat, vnicè mihi colendi patriæ patres, φαι-
δρῷ τῷ βλέμματι καὶ ἁπλαῖς χερσὶ, hoc quanquã
alieno labore atque opere confectum, à
me tamen oblatum munus accipite, me-
umque animum, qui in dante optimus
eſſe vetere verſiculo perhibetur, probate,
ac me vnà cum meis veſtræ beneuolen-
tiæ & patrocinio veſtro commendatum
habete. Dabitur à me, adiutore Deo, ope-
ra, quanta poteſt maxima, ne vnquam
huic laudatiſſimę & cariſſimę patrię meę
ſim dedecori, néve illius pondus inutile
iure meritóque meo, haberi atque no-
minari queam: in qua quidem volunta-
te & curſu me ducat benigniſſimus Deus,
à quo eſt omnis noſtra ἱκανότης, id eſt, &
idoneitas & ſufficientia: quem ipſum ar-
dentibus votis & toto corde inuoco, vt &
vos, & totam congregationem dulciſſi-
mæ patriæ meæ, ἧς ἐμοὶ οὐδὲν γλυκυρώτερον ἄλλο
ἰδίως, perpetuò regat & gubernet ſuo ſan-
cto Spiritu, vobis benefaciat & benedi-
cat, omniaque nocitura clementer à vo-

bis auertat, per Iesum Christum vnigenitum & charissimum filium, κεφαλὴν, σωτῆρα καὶ φύλακα Ecclesiæ suæ & omnium piorum, Amen. Valete felicissimè & beatissimè. Perscr. in inclyta studiorum salutaris atque eruditæ doctrinæ sede & custode, schola Vuitebergensi, Mense Octob. Anno nouissimi temporis M. D. LXXI.

Vestræ Ampl. Prud.
addictissimus

Iacob Monau
Vratisl.

CANDIDE ET RECTE SENTIENTI ATque iudicanti Lectori

S. P. D.

SPEM NOBIS FECERAT VIR CL. Dn. Victorinus, ſe, cùm hos commentarios ipſe eſſet publicaturus, prolixè lectorem commonefacere velle, & de ratione ſuæ, in hoc opere, verſionis, & de genere Philoſophiæ, quod profiteretur: quod vtinam licuiſſet illi præſtare. Sed quoniam hæc vnà cum alijs morte illius interrupta ſunt, quàm tempore ſibi quidem peropportuno, Eccleſiæ autem & Reipubl. literariæ incommodiſsimo, vir optimus & doctiſsimus nuper obijt: ego ſanè qui huic operi, quod maius eſſe agnoſco, quàm vt illud humeri mei ſuſtinere valeant, ſubſtitui me paſſus ſum, facere cogor: id ſi verò non ſic præſto vt debeo, det mihi veniam lector, ſi facio, vt queo: nec tamen ſum alia in medium allaturus, quàm quæ ab ipſo præceptore meo didici atque cognoui. Quod igitur ad verſionem Ethicorum Nicomach. attinet, videbitur ea aliquibus liberior eſſe, &, vt ita dicam, licentioſior: verùm in hac, vt puto, parte, ſatis excuſatus erit apud eos, qui genus ſermonis, quo in

his libris vtitur Ariſtoteles, intelligunt, & propius intuentur. Eſt enim illud, quemadmodum viri doctiſsimi iudicant, nimis argutum, exile & conciſum, alicubi etiam ſatis obſcurum & ſalebroſum, deniq; ſi ſic dicendum eſt, penè ſophiſticum, nec vlla putatur afferri poſſe verſio iſtorum librorum melior, præter eam, quæ non quidem verbum verbo reddat, ſed ſententiam potius verborum expendat, ijsque verſionem appendat, ac in nonnullis quoque lacunas quaſdam expleat. Cùm igitur Victorinus noſter diu multumque verſatus eſſet in lectione eorum authorum, qui libros Ariſtotelis quaſi in ſuum ſuccum conuertiſſent, illorum potius veſtigia voluit, vbi & quantum poſſet, conſectari, quàm nouam per omnia cudere verſionem. Ac quidem ille vir & factus erat, & natus, vt ſi qua ei de re dicendum eſſet aut ſcribendum, & ipſi quæ de eadem ipſa illa re alij etiam recentiores, & qui viuerent adhuc, rectè tradidiſſent, in mentem venirent, non puderet hinc illum verba ab ijs, & ſententias mutuari. Non enim hoc dicebat plagium eſſe literarium, ſed ingenuam atque candidam, doctis atque bonis viris dignam κοινωνίαν: Et faciat, inquit, aliquis idem, ſi ſecum fructu hoc poſſe ſperat, de meis quoque. In primis autem in hoc genere delectabatur le-

ctione ſcriptorum Iouiani Pontani, tum Se-
necæ atq; Viuis, & verò qui iſtis omnibus ſu-
perior, & quaſi magiſter eſt, Marci Cicero-
nis. De horum monumentis atque operibus,
quæ, quomodo, & vbi tranſſumſerit, ac ſcri-
ptis ſuis inſeruerit, facile erit animaduertere
ijs, qui ſe ad horum lectionem contulerint.
Lectione profectò librorum Pontani, (quem
vir ipſe quoque doctrina & ſapientia cl. D.
Ioachimus Camerarius, præceptor meus ſin-
gulariter obſeruandus, doctiſsimum & ſa-
pientiſsimum ſcriptorem nominat) eorum
præſertim, quæ de philoſophia morum & ſa-
pientia ciuili ſcripſit vir præſtantiſsimus, di-
ci non poteſt quantopere delectaretur, quem
præ cæteris & optimè intellexiſſe mentem
philoſophi, & eandem optimis atq; ſignifi-
cantiſsimis verbis, purè & latinè, imò ſplen-
didè etiam & ornatè enunciaſſe frequenter
ſolebat dicere, & ad illius operum lectionem
per quàm ſtudioſè nos hortari. Senecæ verò,
quamuis nonnulla, vel potius multum in eo
ſcriptore deſideraret, propter argutas tamen
ſententias, permultum, quoad hanc philoſo-
phiæ partem, quæ de vita & moribus diſſerit,
deferebat. Ludouici porrò Viuis, ingenio-
ſiſsimi Hiſpani ſcriptis, afficiebatur pluri-
mùm. Et erat ei in primis familiaris autoris
llius liberis, quem de veritate fidei Chriſtia-

 næ in-

næ inſcripſit, vnde multa ad diſputationes Ariſtotelicas, præcipuè verò eum ad locum, qui de fine hominis diſſerit, tranſtulit. Ad M. denique Ciceronem quod attinet, res eſt manifeſta, quantum in illo terendo operæ atque ſtudij poſuerit, quantumq; inde fructus & emolumenti reportarit: ac futura eſſet res multò manifeſtior, ſi ea aliquando iuris publici fierent, quæ & huius & alterius generis adhuc latent inter Victoriniana ἀνέκδοτα. Sed de his aliàs. Ex his verò, quos dixi, optimis ſcriptoribus, quorum etiam nuda nomina ſunt tamen velut philtra ad ſui amorem allicientia, noſter Victorinus hauſiſſe ſe verum intellectum Ethicorum Ariſtotelicorum, & commodiſsimam eorum conuertendorum viam atque rationem dicere ſolebat. Sed præ omnibus tamen, hac etiam in ſtudiorum parte, plurimùm commendabat Philippum Melanthonem, virum clariſsimum, cui multò verius quàm Platoni (de quo iſta ſcribit Viues Hiſpanus) vitæ integritas, ſanctitas præceptionum & eloquentia, non modò totam Germaniam, ſed vniuerſam penè Europam, imò terrarum orbem conciliarunt. Huius magiſtri lectionibus & ſcriptis, tanquam claue, ſibi fuiſſe aperta, non modò doctrinæ ſacræ, ſed vniuerſæ etiam veræ philoſophiæ intima penetralia, ſolebat magna voce & gra-

tiſsimo pectore, quoties occaſio daretur, cõmemorare. Quinimò Ariſtotelica illa, quæ de aliorum non contemnendis interpretationibus alibi didiciſſet, libenter tamen ſeſe & ſua ſponte obliuioni tradidiſſe confirmabat, vbi primùm Vuitebergam venit & hanc Atticam apiculam obſeruare, vel potius Muſarum luſciniam audire ipſi contigit. Sed hæc ſiue Victorini, ſiue etiam Melanthonis philoſophia, nonnullis videtur eſſe non ſatis accurata, neque nimis operoſa in perſequendis illis ipſis Ariſtotelicis, quæ tamen videri velit explicare atque enarrare. Sit ſanè ita, vel potiùs ita nonnullis videatur. Non inhærent ſingulis verbis, neque immorantur explicationi omnium argutiarum atq; λεπτολογημάτων, quæ profectò nimis multa in hoc philoſopho reperiri, doctiſsimi etiam viri non negant: interim verò explicantur res meliores, & magis etiam neceſſariæ, quàm ſunt alicubi Ariſtotelicæ, & quod eſt potiſsimum, vſus atque fructus illarum artium atque doctrinarum demonſtratur luculentè atque egregiè, ac planè ab iſtis, quod tantopere in Epicharmo eſt commendatum, dicuntur: τοῖς παισὶν χρήσιμα, vel vt alius poëta dixit: οὐ κόμψα, ἀλλ' ὧν δεῖ ται πόλις, idq; haud ſcio, an ab vllo vnquam ſuperiori ætate factũ ſit, vel etiamnum ab illis ipſis qui tantopere philoſophi-

am Melanthonianam aut rident, aut tam inferiorem aliorum docendi & dicendi generibus constituunt, fiat. Non hæc dico, sicut nec debeo, studio vellicandi atque carpendi summum atque præstantissimum philosophum, cui integram σωματοποίησιν omnium artium, & conseruationem duarum in his rerum præcipuarum, methodi nimirum & proprietatis in dicendo, debemus, acceptamque referimus: sed propter eorum tamen opiniones & sententias nescio quales, dissimulanda non fuerunt, qui crucifixores atque flagellatores Aristotelis, & Epitomistas, ac nescio quibus alijs nominibus, illico appellare eos solent, qui non omnes aut syllabas, aut voculas huius viri, in terram cadentes, proni adorant, quiq; renatam doctrinarum lucem, qua nũc Dei beneficio fruimur, obscurare conantur, reductis, & tanquam ab Orco reuocatis ijs, quæ non ita pridem pulsæ atque fugatæ sunt, sophisticæ & barbariei tenebris. Talium iniquis iudicijs scio Victorinum & dum viueret obnoxium fuisse, & nunc quoque post mortem apud multos adhuc, apud alios alia de causa grauari. Sed est illi hoc scilicet commune, cum optimo & præstantissimo præceptore, cuius certè γνήσιον παίδευμα esse studuit. Et quoniam in hanc commemorationem ingressus sum, repetam hoc loco breuiter

quos-

quoſdam Victorini de Philippo Melanthone viro omnium quos hic ſol noſter vidit optimo & doctiſsimo, & illius philoſophia, in qua grata de Deo fama ſpargitur, ſermones, quos pulcriore fortaſsis in lumine adornatos cernere licuiſſet, ſi non immatura mors, ſcriptum illud, quod de præceptore ſuo, gratus & fidelis diſcipulus meditabatur, interrupiſſet, vel potius interuertiſſet. Sic igitur ille de Melanthone aiebat, tria eſſe in illius ſcriptis eximia atque ſingularia, quibus illa & maximè commendarentur, & alijs iure ac meritò præponerentur: Genus ſcilicet orationis, vt Lucianus nominat διπόριστον, hoc eſt, proprium, diſertum, planum, perſpicuum, ſignificantiſsimum, ad omnem docendi rationem, ſiue, vt Plutarchus de Carneadis oratione ſcripſit, πρὸς τὸ χρήσιμον καὶ κοινώνιμον maximè accommodatum & directum. Huic prærogatiuæ, alteram etiam accedere dicebat, ipſum nimirum ordinem atq; viam docendi, Ariadnæo filo μεθοδικώτερον & igniculo Promethei illuſtriorem: hac illum in parte ita dominari & excellere, parem vt vix habeat. Quid dicam de ipſis rebus, quas deſcribendas atque tractandas ſibi ſumſit? in quibus tantum illum habuiſſe, tamq; diuinum delectum affirmabat, vt ex illis immenſis artium atque authorum cumulis, ea ſola, vt poëta ait, depaſceret at-

ret atque ſeligeret, quæ & maximè eſſent præ cęteris neceſſaria, & quæ vſum potiſsimùm ad rationē dicendi ſcribēdiq́;, & ad formandum mores, atque iudicium haberent, reiectis ac repudiatis omnibus ijs, quæ nec ſcienti proſunt, nec ignoranti nocent, & in quibus non eſt, vt ille ait, κράτιστον παιδεύεσθαι. In his tribus, ſi cum aliorum ſcriptis conferantur ea, quæ ab hac ſancta & beata anima ſunt elaborata, re atque euentu comprobari aſſerebat, quòd Philippæa verè eſſent, quemadmodum alicubi ſcripſit Gregorius Nazianzenus, qui cognomento vocatus eſt Theologus:

Μάργαρις ἐν λάεσσιν, ἐν ἀστράσι φωσφόρος ἄλλοις
ἔαρ ἐν ὥρῃσιν, ἐν δὲ φυτοῖσι ῥόδον.

Memini & iſtud dici: ſi nihil aliud docuiſſet aut feciſſet Philippus quàm hoc quòd vſum Dialecticæ & Hiſtoriæ primus monſtrauit: tamen non poſſe ei gratiā vllam dignam perſolui. Sed & fert ille hoc & fecit ac paſſus eſt longè plura alia & maiora, pro quibus ſi grati eſſe non ſtudebimus, pœnas certè poſteritati noſtræ attrahemus longè grauiſsimas & triſtiſsimas. Solebat præterea Victorinus præceptor meus vocem referre Parmenidis philoſophi, qui, vt eſt apud Diogenem διττὴν, ἔφη, φιλοσοφίαν εἶναι τὴν μὲν κατὰ ἀλήθειαν, τὴν δὲ κατὰ δόξαν: illam quę eſt κατὰ ἀλήθειαν ſoli Philippo tribuens, & qui hunc ex alto deſpicerent,

eiq́;

eiq; nescio quæ alia præferrent, illis comparabat, qui inuentis frugibus, glandes tamen comedere mallent. Sæpissime verò vnius sese Philippi scriptis, sicut apes floribus solent, & rore cicadæ, suauissimè victitare atque ali: & huius se vmbram aliquam, natiuæ aliorum faciei longissimè anteponere, ingenuè asseuerabat. Sed non est meum propositum plura hoc loco dicere de Philippo Melanthone, viro ad miraculum summo, cui non habebunt parem futura sæcula: neque etiam contra indoctos vel semidoctos patrocinium prolixius suscipere scriptorum eorum quæ vir ille σοφὸς καὶ θεῖος edidit, de quibus profectò Maronianum illud verè vsurpari potest:

—— Nec Phœbo gratior vlla est,
Quàm sibi si qua tuum præscripsit pagina nomen.

Et illud Syracusani idylliorum scriptoris:

κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

De illis verò, qui sine fine & modo hæc & cætera diuini viri Philippi salutaria scripta arrodere & conuellere conantur, procul omni dubio id futurum est, quod Aristoclen quendam de calumniatoribus Aristotelis dixisse Eusebius commemorat: Eorum scilicet libros atque nomina prius & citius quàm corpora interijsse: πάντες (inquit) ἦσαν σοφισταὶ, καὶ ἐριστικοὶ, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ βιβλία τέθνηκε τῶν σωμάτων μᾶλλον. Verùm hæc iam mittamus. Orandus

eſt nobis potius miſericors Deus, vt in iſtis mundi fecibus, in quibus omnia propemodum non ad prophanam modò impietatem, ſed & barbaricam ignauiam atque inſcitiam magis magisque tendunt & propendent, benignè tueatur atq; conſeruet genus doctrinæ Theologicæ atque philoſophicæ Melanthonianum, illiusq; verè ac rectè intelligentes propagatores atque doctores (numero heu nimis exiguos) cuſtodiat atque protegat, & aliquot ſubinde alios exuſcitet, eosq; propter gloriam nominis ſui & publicam Eccleſiæ vtilitatem conſeruet. Spero pio atque candido lectori non fore ingratam hanc qualemcunque commemorationem, aliquibus etiam nonnihil fructus allaturam. Equidem cùm iſtum librum, nulla captandæ gloriolæ, nulla lucri & commodi priuati cupiditate, ſed ingenuo & liberali animo, ſolaque officij, boniq; publici ratione adductus, ederem, neceſſe habui aliquid de his dicere, propter variorum varia iudicia, quibus ſi non poteſt, vt eſt hoc præſertim ſeculo infinita ſophiſtica, obuiam iri vniuerſis, (id enim eſſet cribri foramina obſtruere) agè aliqua ſaltem noſtrorum eorum quæ proferimus, contra illos inſultus, ſi poſſumus, præmuniantur, & cætera permittantur Deo τῷ καρδιογνώσῃ, cui & optimè notus eſt ſenſus atque animus vniuscuiuſlibet,

&

& qui iudicabit de ſingulorum conſilijs, ſtudijs & laboribus. Maluiſſem, ſi ita fuiſſet viſum æterno Deo, vt de his & alijs pluribus ipſe author dixiſſet, quod illi in promptu fuiſſet luculentè & egregiè facere, ſed quoniam ille paucos dies, poſt huius operis, nondum tamen perfectiſsimam, abſolutionem, (animaduertet enim lector, poſteriores libros parcioribus ſcholijs illuſtratos) de ſtatione vitæ huius euocatus à Domino ſuo exceſsit, & mihi, qui non ſatis ad hanc rem me idoneum eſſe, libenter agnoſco & fateor, lampas iſta tradita eſt, boni ſcilicet conſulenda erunt ſalſamenta, ſi deſint carnes, quemadmodum eſt in quadam veterũ parœmia. Ac poterunt tam iſti quoque Victoriniani commentarij interea, vel ſaltem poſt ea quæ in hoc genere ab alijs præſtantibus artificib. elaborata ſunt, & adhuc elaborantur, in quorum numero in primis pono illa, quæ tũ præceptor meus Ioachimus Camerarius in hoc ipſum Ariſtotelicum volumen eſt commentatus: quorũ partem aliquam ab ipſo audiui ego quoq;: tum etiam ea quæ gener illius Eſromus Rudigerus accuratiſsima paraphraſi ſua perſequutus eſt, aliquo fortáſsis loco haberi & conſpici. Sed fiat de his & alijs quod bonum eſt in oculis Domini. Tu bene feliciterq; vale lector candide atque orthodoxe, & iſta omnia

qua-

qualia qualia ſunt, ſine faſtidio cognoſce: quod ſi te facere cognouerimus, dabitur fortaſsis opera, vt plura huius viri Opera interea concinnentur à quibuſdam, & ad editionem præparentur. Mihi hîc quieſcere liceat. Iterum vale. Vuitebergæ, M. D. LXXI.

I. M. V. S.

ORA-

ORATIO DE PHILOSOPHIA MORALI, RECITATA IN ACADEMIA HEIDELbergensi, Anno CHRISTI 1567. die 18. Septemb.

NON ignoro quantum onus subeat, quantamq; rem suscipiat, qui partem philosophiæ de vita & moribus se alijs traditurum esse pollicetur. Etsi enim communia præcepta de vitæ gubernatione vulgo nota sunt, ac pleraq; nobiscum nascuntur: tamen ad fontes officiorum intelligendos, arte & quadam eruditiore doctrina haud dubiè opus est. Inspicienda est natura hominis, considerandum quis sit ordo partium, quod munus à natura singulis attributum, deniq; causæ propriæ actionum quærendæ sunt.

Auget etiam difficultatem huius professionis, quòd qui docent tantùm in hoc genere, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Nam philosophus, vt verissimè scripsit Cicero, in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quòd in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemq; vitæ professus delinquit in vita. Vt enim, si grammaticum se professus quispiam barbarè loquatur, aut si absurdè canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quòd in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic arguti disputatores sine virtute suas disputationes moribus destruunt, vel mores suos disputationibus arguunt, ipsiq; aduersus se sunt graues censores & accusatores acerrimi.

Quid quòd virtutibus amaritudo permixta est, vitia verò voluptate condita sunt? Illa igitur offensi, hac deliniti homines feruntur in præceps, ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur.

Sed his difficultatibus oppono dictum Pauli, Hoc tantùm requiritur in ministro, vt sit fidelis. Nemo.n. post conditum mundum perfectus doctor virtutis extitit, nisi Christus, qui & verbo sapientiam tradidit, & doctrinam perfecta virtute confirmauit. In alijs verò doctoribus laudem habet fidelitas, quæ complectitur mediocrem scientiam eius artis, quam profitentur, & diligentiam in omni officio, etiamsi nemo esse sine macula poßit, quamdiu indumento carnis oneratus est. Quare cùm ad profeßionem Ethicæ doctrinæ afferam fidelitatem, spero bonos viros fore æquißimos mearum operarum æstimatores & iudices.

Etsi autem tota philosophia frugifera & fructuosa est, tamen nullus feracior in ea locus est, nec vberior, quàm de officijs, à quibus constanter honesteq; viuendi præcepta ducuntur. Nihil enim melius & fructuosius est, quàm præcepta vitæ dare, nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicēdi affert, quàm qui honestè atq; laudabiliter docet viuere. Idcirco maiori in gloria philosophi quàm oratores fuerunt apud Græcos. Illi enim rectè viuēdi doctores sunt existimati, quod est longè præstabilius, quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene viuere ad omnes. Præclarè ergo apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam moralem omnibus rebus præferens, malle se

dicit vel vnum paruum de officio libellum, quàm longam orationem pro seditioso homine Cornelio. In Physica verò, vt ait Lactantius, sola oblectatio est, in morali philosophia etiam vtilitas. Quæ cùm ita sint, pauca ad commonefaciendos iuniores dicam de veritate & necessitate eius philosophiæ, quam Græci ἠθικὴν, Latini moralem vocant, & alios qui ætate, sapientia & virtute excellunt, reuerenter oro, vt tenuem oratiunculam sine morositate & fastidio audiant.

Principiò satis constat, fontem huius sapientiæ non esse incertam hominum opinionem, aut prætoris edictum, sed Dei legem, illam sanctam, illam cœlestem, quam Marcus Tullius in lib. de Repub. tertio, penè diuina voce depinxit, cuius ego verba subijciam: Est quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi, nec propagari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus, neque est quærendus explanator aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit, vnusq; erit quasi communis magister & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, hoc

ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.

Hanc diuinam legem, quæ non libris inscripta, nec in æs incisa, sed pectoribus nostris est à natura indita, Paulus in epistola ad Romanos veritatem & ius Dei appellat. Cùm igitur ex hoc sancto augustoq; veritatis fonte philosophia moralis hausta sit, nemini obscurum esse potest, quid de ea existimandum sit.

Vt autem in cæteris artibus grata de Deo fama sparsa est, ita hæc pars philosophiæ testimonia de Deo maximè illustria continet. Nam æternum & immotum discrimen honestorum et turpium in nostris mentibus perspicuè conuincit omnes homines, vt fateri cogantur, naturam humanam neq; casu ex Democriti atomis cōflatam esse, neq; à natura bruta ortam esse, sed mentem architectatricem, esse intelligentem ordinis, & quidem ostendit qualis sit, videlicet discernens honesta & turpia, & conseruatrix humanæ societatis, & certò puniens atrocia delicta, pugnantia cum suo ordine. Si enim noticia, qua discernimus iusta & iniusta, ex atomis casu & temere concursantibus, extitisset, nequaquam immota & sui similis perpetuò maneret, quia fortunam & casum nemo ab inconstantia & temeritate seiunget. Est autem septum illud, quo recta à prauis dirimuntur, adeò firmum & constans, vt nulla vi labefactari, nunquam dimoueri loco poßit. Esse igitur præstantem aliquam æternamq; naturam, discernentem recta & non recta, ordo huius discriminis cogit confiteri.

Dein-

Deinde, si non esset in Deo hæc sapientia, de qua dixi, & voluntas volens recta, & sua quadam lætitia acquiescens in rectis, & nolens contraria, & vera indignatione repellens ac destruens, plus esset in opere quàm in opifice. Nihil autem potest esse artifice suo maius aut melius. Fateamur ergo Deum talem esse, qualem (vt ita dicam) effigiem ipsius discrimen honestorum & turpium pingit.

Præterea hoc discrimen testimonium est de Dei iudicio. Nihil enim valet lex sine executione, vt præclarè ab AEschine dictum est, Nihil valet ciuitas, quæ non habet neruos aduersus improbos. Conspicitur autem executio huius discriminis partim in pœnis corporum, partim in pauoribus conscientiæ, quibus nulli cruciatus corporum, quamuis horribiles, conferri & comparari possunt. Quantò enim maior vis est animi quàm corporis, tantó grauiora sunt ea, quæ animo, quàm quæ corpore concipiuntur. Quare hoc discrimen est testimonium maximè illustre iudicij diuini.

Ac vt priorem locum de veritate philosophiæ moralis breuiter concludam, sic statuo, tantam esse certitudinem huius doctrinæ, vt singularum virtutum eruditæ & splendidæ demonstrationes tradi poßint. Huius asseuerationis pauca exempla colligam, vt iuniores totum ordinem demonstrationũ magis ament & diligentius considerent.

Et quia veritas est fundamentum aliarum virtutum, recitabo demonstrationes, cur necessaria sit veritas. Nulla membra & nullæ vires membrorum, attri-

butæ toti speciei humanæ, frustra conditæ sunt. Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Sunt autem in homine membra & vires ordinatæ ad cognitionem & ratiocinationem, imò & notitiæ insitæ sunt. Ergo necessaria est ratiocinatio & consideratio veritatis. Deinde tollere veritatem est, confundere & destruere vitam, vt si nulla esset fides pactorum, magna ex parte contractus tollerentur. Iudicia etiam essent horribilis confusio vitæ, imò plena latrocinijs, si non esset quærenda veritas, & iuxta vera testimonia pronunciandum. Necessaria est etiam veritatis conseruatio in artibus. Nam si medicus pro salubri medicamento daret venena, extinguerentur homines. Est igitur euidens necessitas veritatis in contractibus, iudicijs & artibus.

Est & illa demonstratio plena eruditionis, quæ in Ethicis traditur de iusticia commutatiua. Necesse est communicationem, quæ fit victus causa, in infinitum vagari & esse perpetuam. Non potest autem perpetua esse & in infinitum vagari, nisi seruata æqualitate Arithmetica, quia altera pars exhauritur, quando nõ redduntur æqualia pro æqualibus. Ergo necessaria est Arithmetica æqualitas in contractibus.

Vt autem aliarum virtutum demonstrationes breuitatis causa omittã, quàm me delectat demonstratio de Temperantia! Omnia nascentia seruantur alimẽto conuenienti, & tali mediocritate, vt sit æqualitas agentis & patientis, id est, naturæ conuertentis nutrimentum. Temperantia seruat illam mediocritatẽ

in nu-

in nutritione corporis, vt nec inopia enecetur, nec satietate affluenti quorum vtrunq; perstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat atq; affluit. Ergo temperantia est necessaria.

Sed quid ago? an oblitus sum, hoc nunc mihi propositum esse, vt cùm breuiter de veritate philosophiæ moralis dixerim, de altero loco, qui necessitatem continet, eadem breuitate dicam?

Non dubium est, Deum velle, vt omnes homines disciplina frenentur. Ideo enim vox diuina præcipit legem non solùm sæpe recitari, sed etiã in vestibulis ædium scribi, & in tabellis scriptam circumferri, vt cogitatione eius flectantur animi ad moderationẽ. Pertinet autem ad legis doctrinam hæc philosophia, in qua de causis omnium officiorum multa sapientissimè dicuntur. Certum est igitur eam omnibus hominibus necessariam esse, vt & Plato in octauo de Repub. dixit, Huius causa inprimis studendum est, vt alijs omnibus disciplinis neglectis, hanc vnam disciplinam exquiramus atq; discamus, Vt liceat aliquando discere & inuenire, quísnam vnumquenq; instruere valeat, quò possimus vitam bonam à praua distinguentes, meliorem semper, quoad fieri poterit, eligere.

Præparat etiam hæc pars philosophiæ studiosos ad Iuris ciuilis cognitionẽ. Vt enim Physica fons est artis medicæ, sic doctrina, quam Iurisconsulti profitentur, ex philosophia morali velut ex scaturigine manat. Hanc sententiã confirmare possumus Ciceronis testimonio, quod extat in primo de Legibus: Sic habetote,

inquit, nullo in genere disputandi magis honesta patefieri, quid sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendiq́ causa nati & in lucem editi simus, quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, fons legum & iuris inueniri potest. Non ergo à prætoris edicto, vt plæriq́ nunc, neq́ à duodecim tabulis, vt superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam puto. Multũ enim inter se distant rabulæ & Iurisconsulti, longeq́ sunt diuersi atque seiuncti. Nam rabulæ sunt contortores legum, serentes lites ex litibus, deglubentes suos clientes, depeculantes Remp. ludificantes iudicia. At Iurisconsulti sunt viri boni, & amantes veritatis & iusticiæ, qui, vt de Sulpicio dicit Cicero, ad æquitatem facilitatemq́ omnia referunt, & tollere cõtrouersias malũt quàm constituere, vt pax illa & inter homines, & in vniuscuiusq́ seruetur animo, qua mirificè natura gaudet ac delectatur.

Maximè verò perspicuam vtilitatem Theologis affert hæc philosophia eruditè & prudenter tractata. Primùm enim summa sapientia hominis in hac vita est dextra collatio & distinctio philosophiæ & doctrinæ cœlestis. Discrimen autem ostendi non potest, nisi vtroque genere cognito. Nemo enim potest eam rem explicare, quam non didicit, aut illustrare apud alios, quam ipse non nouit. Deinde Theologi multa ex hac philosophia mutuantur, quoties de lege naturæ, de moribus, & ciuili consuetudine vitæ disputant.

Quare

Quare non solùm Iurisconsulti, sed etiam Theologi in hac parte philosophiæ versentur, si non vmbram eruditionis, sed solidam doctrinam expetunt.

Quàm porrò Oratori opus sit hac philosophia, Cicero in primo dialogo de Oratore declarat, cùm inquit: Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atq; mores, duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiæ nostræ, tertium verò, quod semper Oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil Oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus, de vita & moribus, totus est Oratori perdiscendus, cætera si non didicerit, tamen poterit, si quando volet ornare dicendo, cùm erunt ad eum delata & tradita. Hanc Ciceronis sententiam velut oraculum studiosi eloquentiæ meminerint, & sciant veram copiam orationis plenam rerum optimarum ex doctrina de vita, de officijs, de virtute, de moribus, quasi quodam limpidissimo fonte hauriendam esse. Nihil enim sine ea scientia, quam dixi, grauiter, amplè, copiosè dici & explicari potest.

Postremò non est maior cognatio, &, vt Græci dicunt, συμπάθεια, venarum & arteriarum in humano corpore, quàm huius philosophiæ & historiarum. Vt enim venæ & arteriæ pulcherrimo fœdere iunctæ sunt, & mutua habent orificia, siue, vt Galenus loquitur, συναναστόμωνται καθ' ὅλον τὸ σῶμα: sic scriptores historici intexunt narrationibus sententias & admonitiones vitæ vtiles, easq; tanquam flosculos fragrantis-

ſimos ex hac philoſophia decerpunt. Præclarè ergo Stigelius in quodam epigrammate cecinit:

Sanguinis vt dulces humano in corpore riuos
Humida diuerſo tramite vena vehit:
Itq́ comes ſociæ viuaci ſpiritus aura,
Corpora qui læto ſana vigore fouet:
Sic varia hiſtoriæ & geſtarum lectio rerum
Officij larga pabula præſtat ope.
Sed decus his recto doctrina attemperat vſu,
Quæ mores hominum non ſinit eſſe rudes.
Hæc niſi ſit geſtis comes & dux proxima rebus,
Frugis ab exemplis copia nulla venit.
Qui legit hiſtoriam, nec mores inde gubernat,
Dixeris huic viui ſanguinis eſſe nihil.

Hactenus de veritate, & neceſsitate eius philoſophiæ dixi, quæ virtutis continet & officij & bene viuendi diſciplinam, quam qui profitetur, grauiſsimam mihi ſuſtinere perſonam videtur. Debet enim doctor virtutis & docere honeſta præcipiendo, & confirmare faciendo, vt ſit quaſi dux, & manum porrigat ſecuturo. Ac dixi equidem breuius, quàm rerum magnitudo poſtulat. Sed in eo argumento, in quo nemini oratio deeſſe poteſt, non tam copia quàm modus in dicendo quærendus eſt.

Cùm autem omnia, iuxta Pauli præceptum, in nomine Chriſti, id eſt, in vera agnitione filij Dei, fide & inuocatione facienda, & ad eiuſdem Domini gloriam referenda ſint, concludam hanc oratiunculam pia precatione.

Primùm

Primùm igitur omnipotentem, æternum, viuum & verum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, supplex oro, vt propter filium suum Dominũ nostrum Iesum Christum, quem voluit pro nobis esse victimam, mediatorem & deprecatorem, semper in his regionibus Ecclesiam æternam sibi voce Euangelij incorrupta & Spiritu sancto colligat & gubernet, & diu incolumem ac florentem conseruet inclytum & illustrissimum Principem Fridericum Palatinum Electorem, Dominum nostrum clementissimum, ac præcipuum Ecclesiæ senescentis & literarum patronum, qui mihi honestum locum in hac Academia clementer tribuit, ac munus commendauit re ipsa amplissimum, videlicet explicationem doctrinæ de virtutum officijs.

Deinde ab eodem vero & viuo Deo precor fiducia filij mediatoris, vt bonis studijs, quæ gloriam ipsius ornant, & Ecclesiæ necessaria sunt, placidã pacem concedat, nec sinat hæc agmina docentium & discentium bello, peste, aut alia fatali calamitate, quam peccata nostra merentur, dissipari, sed vmbra manus suæ protegat nos, vt hortulum cœlestem plantare possimus.

ΠΡΟ-

ΠΡΟΛΕΓΟ΄ΜΕΝΑ IN ETHICA ARISTOTELIS AD NICOMACHVM.

I. An vſus Philoſophiæ Chriſtianis conceſſus ſit.
II. Quid ſit philoſophia Moralis, & de diſciplina.
III. De diſcrimine doctrinarum, Philoſophiæ, Legis & Euangelij.
IIII. De vtilitatibus doctrinæ Ethicæ.
V. De varijs formis tradendi doctrinam moralem.
VI. De methodo, qua vtitur Ariſtoteles in decem libris Ethicorum ad Nicomachum.
VII. De titulo librorum ad Nicomachum.

DE PRIMO.

PHILOSOPHIA non ſignificat omnes opiniones vndecunque ortas, ſed certas noticias, quæ ſunt demonſtrationes aut earum membra, id eſt, principia vel concluſiones. Has veras notitias, quæ habent ſuas metas & rectè accommodantur, non damnat Paulus, cùm in cap. 2. ad Coloſſenſes inquit, Nemo vos decipiat per philoſophiam, ſed confuſionem philoſophiæ & Euangelij.

Quòd

Quòd autem philoſophia Chriſtianis conceſſa ſit, & qua ratione ea vtendum ſit, docent hæc dicta piæ vetuſtatis.

Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 40. Sicut Iſraëlitæ idola & vaſa aurea & argentea Aegyptiorum auferunt, & ad iuſtos & Deo placentes vſus conferunt: ita Chriſtiani philoſophiam & diſciplinas liberales, quæ in Ethnicorum libris extant, non ideo prorſus relinquere debent, quòd Ethnici eis impiè abuſi ſunt, ſed ad iuſtum prædicandi Euangelij vſum transferre debent.

Tertullianus in libro de Reſurrectione carnis: Eſt quidem & de communibus ſenſibus ſapere in Dei rebus, ſed in teſtimonium veri, non in adiutorium falſi, quod ſit ſecundum diuinam, non contra diuinam diſpoſitionem. Quædam enim & natura nota ſunt, vt immortalitas animæ penes plures, vt Deus noſter penes omnes. Vtar ergo & ſententia Platonis pronunciantis, Omnis anima immortalis. Vtar & conſcientia populi conteſtantis Deum deorum his verbis, Deus videt, & Deo commendo. At cùm aiunt, Mortuum quod mortuum, &, Viue dum viuis, & Poſt mortem omnia finiuntur, tunc meminero & cor vulgi cinerem à Deo deputatum, & ipſam ſapientiam ſeculi ſtultitiam pronunciatam. Tunc ſi & hæreticus

ad

ad vulgi vitia, vel ſeculi ingenia confugerit, dicam ei, quid cæco duci inniteris, ſi vides? quid veſtiris à nudo, ſi Chriſtum induiſti? quid alieno vteris clypeo, ſi ab Apoſtolo armatus es?

Nazianzenus in carmine ad Nemeſium: Sed & ipſos philoſophiæ ſermones pronos in pauimentum Chriſti proſterno, vt cedant magni Dei verbo, quod obſcurat omnem humanæ mentis flexibilem & multiformem cogitationem, ſicut luce Solis reliqua ſidera offunduntur. Idem in oratione funebri de Baſilio, & bona ingenia ad colendam philoſophiam hortatur, & cauſam exponit, quare multi hanc doctrinam ex alto deſpiciant: Conſtat inter omnes, qui habent aliquid ſanitatis, doctrinam eſſe ſummum bonum, non hanc ſolùm præſtantiorem noſtram, quæ omnem ambitioſum orationis ornatum negligens, ſola rerum bonitate & ſalutis ratione contenta eſt, ſed etiam externam illam, quam multi Chriſtiani tanquam inſidiatricem, fallacem, & à Deo procul abducentem reſpuunt & aſpernantur. Sed tales in ſummo errore verſantur atque in maximarum rerum ignoratione. Quemadmodum enim cœlum, & terram, & aërem, & quæ his continentur, non ideo contemnimus, quòd aliqui creaturis honorem diuinum

num tribuunt, ſed quicquid in ſingulis boni eſt, ad vſum vitæ prudenter accommodamus, & nocitura quantum fieri poteſt, declinamus, nequaquam conditori creaturam anteponentes, ſed potius ex operibus fabricatorem agnoſcentes: Ita philoſophiam quodam iudicio amplectimur, & ſi quid in ea hæret erroris aut impietatis, id omne conſtanter reijcimus, ſimul ex collatione diſcentes, eccleſiæ doctrinam perfectiorem eſſe. Non igitur contemnenda eſt liberalis doctrina propter quorundam inconſiderata iudicia, ſed malis & indoctis annumerandi ſunt, qui volunt omnes ſui ſimiles eſſe, vt in turba ſimilium latere, & inſcitiæ reprehenſionem effugere poſsint.

Baſilius in concione de vtilitate lectionis ſcriptorum Ethnicorum: Quemadmodum in plantis differunt fructus à folijs: ita magnum diſcrimen eſt inter philoſophiam & eam ſapientiam, quam filius Dei ex ſinu æterni patris protulit. Nam ex doctrina Euangelij poſſunt decerpi fructus Deo placentes, & ſalutares animæ noſtræ & Eccleſiæ. At philoſophia ſimilis eſt folio, quia tantùm ſeruit huic mortali vitæ. Sed vt folium tegit & ornat fructus, ſic philoſophia magnum ornamentum eſt Eccleſiæ, & adminiculum cùm in explicatione, tum in propugnatione doctri-

doctrinæ Euangelij. Hanc ob causam & Moyses, cuius nomen propter sapientiam apud omnes homines clarissimum est, literas & artes Aegyptiorum didicit, & Daniel sapientia Chaldęorum imbutus, ad gubernationem Ecclesiæ & Reipub. accessit.

Nicephorus lib. 10. cap. 26. duas rationes affert, cur liberalis doctrina non sit reijcienda. Vna hæc est: Seruatoris nostri dicta, & diuinitus inspiratæ scripturæ, admirandæ quidem prorsus doctrinæ sunt & institutiones, rectam vitam & religionem veram nobis tradentes, fidem insuper Deo gratam studiosis exhibent. Minimè verò nos differendi docent artem, vt satis idonei simus cùm velimus, tempore flagitante, pro eis fortiter aduersarijs resistere, easque colluctando defendere. Porrò suis ipsius armis hostem ferire, strenui admodum & fortis viri est. Quod cùm certò Iulianus sciret, ne Christiani Græcorum doctrina imbuerentur, lege sanxit. Altera verò ratio hæc est: Spectatos numularios nos esse diuinum oraculum iubet, & vt pulcherrimum quodq; ex rebus omnibus deligentes, quod malum est abijciamus, quod bonum autem, inquiramus atque inuentum retineamus. Attenti quoque præcipuè vt simus, ne quis prædam è nobis agat, per inanem & vanam philosophicorum dogmatum

ſeductionem. Id autem quomodo perſpicere poſſumus, niſi illorum ſubeamus arma? Non equidem vt eis vſurpandis eadem quæ illi ſentiamus, ſed ex abundanti, ſuis contra eos potius vtamur telis, & malum quidem auerſemur, quod verum autem & opportunum eſt legentes cautè recipiamus. Vbicunque enim aliquid boni eſt, ipſius veritatis id eſt.

His teſtimonijs confirmati ſtatuamus petulantiam, quæ labefactat veritatem in philoſophia diuinitus monſtratam, & vitæ hominum pernicioſam, & aduerſus Deum, qui fons eſt veritatis, contumelioſam eſſe.

DE SECVNDO.

PHILOSOPHIA moralis eſt explicatio legis naturæ, demonſtrationes ordine in artibus vſitato colligens, quantum ratio iudicare poteſt, quarum concluſiones ſunt definitiones virtutum, ſeu præcepta de regenda diſciplina in omnibus hominibus, congruentia cum Decalogo, quatenus de externa diſciplina concionatur.

Significat autem lex naturæ non cupiditates ſeu affectus huius deprauatæ naturæ, ſed notitias monſtrantes diſcrimen honeſtorum & turpium, & ordinem actionum conuenientem naturæ iuxta creationem. In hanc ſententiam grauiſsimè Demoſthenes

περὶ στεφάνου inquit: Hæc honesta esse non solùm scriptæ leges docent, sed & natura ipsa legibus non scriptis in mentib. hominum impressit.

Porrò quoties de disciplina dicitur, hæ quæstiones considerandæ sunt. Prima, quid sit disciplina, & quam normam habeat. Secunda, cur necessaria sit disciplina. Tertia, quomodo sit possibilis. Quarta, quid à virtute differat.

Est igitur disciplina gubernatio locomotiuæ congruens ad legem Dei. Huius gubernationis præcipuæ causæ sunt mens cogitans præcepta, & voluntas imperans neruis, vt cieant externa membra iuxta præcepta, etiamsi intus repugnant affectus. Causæ adiuuantes hanc gubernationem sunt bonitas temperamenti & assuefactio, sicut in familijs honestis mediocriter assuefiunt pueri gubernatione & exemplis parentum, vt & ipsi mores bene compositos habeant. Norma verò disciplinæ est lex Dei seu Decalogus rectè intellectus. Etsi enim philosophia rectè quærit normas actionum in notitijs naturalibus: tamen cùm in hac imbecillitate naturæ hæ notitiæ sint obscuriores, & assensio languidior, nos in Ecclesia rectius à voce & mente diuina sumimus actionum discrimina. Deinde etiam intueamur ra-

dios diuinæ ſapientiæ ſparſos in mentes humanas.

Meminerimus præterea, diſciplinam propter quatuor cauſas neceſſariam eſſe, quarum prima eſt mandatum Dei, cui omnes creaturæ rationales obedientiam debent. Secunda eſt, vt vitentur pœnæ, quia regula certiſsima eſt, Atrocia delicta puniri atrocibus pœnis in hac mortali vita, iuxta hæc dicta, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Væ qui ſpolias, quia viciſsim ſpoliaberis. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Ac multa ſunt ſimilia dicta Ethnicorum, & à patribus ſumta, & perpetua experientia confirmata, vt Pindarus Oda quarta Pythiorum inquit: Sunt hominum mentem velociores ad laudandum doloſum lucrum præ iuſticia, repentium tamen ad aſperum poſt feſtum. Et Oda ſeptima Iſthmiorum: Voluptatem iniuſtam amarus exitus ſequitur. Tertia cauſa eſt, vt communi paci & tranquilitati conſulatur, quia homo non viuit ſibi tantùm, ſed etiam vt adiuuet communem ſocietatem, iuxta dictum, Diliges proximum ſicut teipſum. Quarta cauſa, quia diſciplina eſt pædagogia in Chriſtum. Nam homines perſeuerantes in ſceleribus contra conſcientiam, nec doceri de Deo poſſunt, nec à filio Dei viuificantur.

Etſi autem honeſta diſciplina etiam in non renatis poſsibilis eſt: tamen ſæpe impeditur partim à naturæ noſtræ imbecillitate, partim à Diabolorum inſidijs, vt ſuo loco copioſius dicitur. Fit igitur diſciplina magis poſsibilis, cùm accedunt conuerſio ad Deum, & vera inuocatio. Tunc enim filius Dei depellit ab inuocantib. ipſum Diabolos inſidiatores, & addit vires imbecillitati noſtræ per ſpiritum fortitudinis, dilectionis & modeſtiæ.

Poſtremò, quid interſit inter veram virtutem, & externam gubernationem geſtuum, oſtendit illuſtris imago, propoſita in hiſtoria de lapſu primorum parentum, qui cùm antea fuiſſent domicilium Dei, & fulſiſſet in eis filius Dei tanquam Sol veræ virtutis, flammas in eis ſpargens, & fuiſſet in tota natura congruentia cum mente & voluntate Dei, poſtea excuſſo Deo, cùm iam in mente caligo eſſet, folio fici tegunt non cætera membra, ſed vnius partis deformitatem. Huic folio fici ſimilis eſt diſciplina. Quid eſt autem hoc folium, ſi conferas ad illum Solem antea in natura hominum lucentem? Hæc ſæpe cogitanda ſunt, & in ipſo veſtibulo librorum Ethicorum pingenda erat hæc imago primorum parentum trepidantium, & ſe folio fici tegentium.

DE TERTIO.

DISCRIMEN doctrinarum ostendunt ipsæ definitiones. Lex est doctrina, quam Deus in creatione humanis mẽtibus indidit, docens, quales nos esse oporteat & quæ facienda sint, & quæ non facienda sint, præcipiens integram obedientiam, pro qua & præmia promittit, & denuncians iram Dei & pœnas violantibus legem, estque summa legum moraliũ recitata in Decalogo. Euangeliũ verò est promissio remissionis peccatorũ, reconciliationis cum Deo, iusticiæ & vitæ æternæ, gratuita propter filium Dei mediatorem: cuius promissionis notitia nequaquam nobiscum nascitur, sed ex arcano sinu æterni patris prolata est supra & extra conspectum omnium creaturarum. Sunt igitur præcipua discrimina Legis & Euangelij hæc quatuor. Differunt notitia, promissionibus, beneficijs & obiectis. Primùm lex naturaliter nota est. Euangelium est arcana sapientia, prolata per filium ex sinu æterni patris. Secundò, Legis promissiones habent annexam conditionem integræ obedientiæ sine peccato. At Euangelij promissio gratuita est, nec pendet ex nostra dignitate seu merito. Tertiò, per vocem Euangelij Deus dat æterna bona, remissionem

per Spiritum sanctum & vitam æternam. Hæc prorsus aliena sunt à doctrina legis, quæ corda quidem arguit, sed non sanat, vt alibi copiosè dicitur. Quartò differunt obiectis. Lex tradit præcepta de moribus, & proponit comminationes aduersus contumaces: Euangelium verò monstrat mediatorem consternatis mentibus, & earum vulneribus medetur.

Hæc discrimina semper in conspectu sint, quibus intellectis facilè de philosophia iudicari potest. Philosophia moralis nequaquam est promissio Euangelij, sed pars est legis, quatenus de disciplina concionatur. Ac vt folium fici, quo suam nuditatem tegebant primi parentes, non tollebat peccatum aut mortem: ita philosophia non medetur vulneribus naturæ nostræ, sed disciplinam vtcunque regit.

DE QVARTO.

ETSI omnes artes extructæ ex notitijs principiorum & ex demonstrationibus, sunt riuuli diuinæ sapientiæ, & testimonia de Deo, & adminicula in explicatione doctrinæ cœlestis, imò & nerui politicæ societatis, & ornamenta ac præsidia totius vitæ: tamen hæc verissimè dicuntur de ea parte philoso-

phiæ, quæ à morum ſuauitate ἠθικὴ Græcis nominata eſt. Non enim hac appellatione complector quælibet ſomnia aut ſophiſticas præſtigias, quales multi ſparſerunt, vt Epicurus, Stoici, Cynici, & alij, ſed veram & eruditam doctrinam de vita & moribus.

Primùm ergo cogitantes de hac parte philoſophiæ, fontem ſapientiæ Deum agnoſcamus & celebremus, qui gratam de ſe famam ſparſit, cùm in cæteris artibus, tum in lege naturæ, cuius explicatio eſt doctrina Ethica. Nam lex naturæ teſtatur eſſe Deum, & docet qualis ſit, diſcernens eum à malis naturis, & teſtatur vindicem eſſe. Nec verò aliud maius de Ethica dici aut cogitari poteſt, quàm quòd ſit pars legis diuinæ, & teſtimonium præcipuum de Deo. Etenim ordinata & perpetua non exiſtunt caſu, cùm fortuna amica varietati conſtantiam reſpuat, vt ait Cicero in 2. de N. D. Eſt autem in mente humana æternum & immutabile diſcrimen honeſtorum & turpium. Quare hoc diſcrimen non caſu extitit, ſed eſt radius ſapientiæ diuinæ.

Fieri etiam non poteſt, vt vel cauſa toto genere effectu ſit deterior, vel etiam vt melior natura à deteriore oriatur. Eſſet autem diuina natura toto genere deterior humana, ſi non & ipſa eſſet intelligens, liberrima & iuſticiæ approbatrix. Eſt igitur Deus eſſentia intelli-

telligens, liberrima, iusta, casta, verax, bona, benefica.

Denique frustra condidisset Deus discrimen honestorũ & turpium in humanis mentibus, nisi postea accederet pœna turbati illius discriminis.

Secundò manifestum est doctrinam de fine hominis, & de virtutum officijs adminiculum esse Theologiæ in ijs locis, in quibus disserendum est de disciplina, de lege naturæ, de rebus politicis, de contractibus, de coniugio. Hos enim locos rectius & facilius explicare poterit, qui florem ex hac philosophia decerpsit, quàm rudis & ignarus disputationum Ethicarum.

Tertiò, vt hi qui in media arte excellere volunt, physica doctrina imbuendi sunt: sic iuris studiosi pręparandi sunt hac philosophia, qua nihil dulcius cogitari potest. Nã iuris ciuilis doctrina, est notitia discernẽs iusta & iniusta, extructa ex legibus naturę, partim per demõstrationes, partim ꝓbabilibus rationibus, ita ne quid recipiatur pugnãs cum legibus naturæ, regens certæ ciuitatis mores & pacem.

Quartò prodest hæc ipsa doctrina ad gubernationem vitæ & morum, vt verè in primo Ethicorũ Aristoteles dixit: Magnum habet eius cognitio in vita momentum.

Quàm porrò Oratori necessaria sit hęc philoso-

losophia, Cicero in Oratore declarat, cùm inquit: Nihil sine Ethica grauiter, amplè, copiosè dici & explicari potest. Et in secundo dialogo de Oratore: Si laudationes sunt in oratoris officio, quod nemo negat, Oratori virtutum omnium cognitio, sine qua laudatio effici non potest, necessaria est.

Si quis igitur vituperat hanc dulcissimam & vtilissimam partem philosophiæ, hunc non dubium est furiarum tædis ardentibus de sua mente & sanitate deturbatum esse, & nocere hominum vitæ, quæ disciplina carere non potest, & Deum autorem huius sapientiæ contumelia afficere.

DE QVINTO.

TRES sunt rationes docendi in omnibus artibus vsitatè. Prima νομικὴ, altera παραδειγματικὴ, tertia ἀποδεικτικὴ.

Νομικὴ est, quę nuda ac breuia quędam pręcepta siue sententias aut regulas proponit sine causis atque demonstrationibus. Ad hanc primam formam pertinent in morali doctrina libelli Catonis, Isocratis, & similium, qui sententias & regulas vitæ collegerunt.

Παραδειγματικὴ ratio docendi est, quæ præcepta propositis exemplis illustrat. Ad hanc secundam formam in morali doctrina perti-

nent

nent historiæ, tragœdiæ, comœdiæ, poëmata, heroica, & apologi. Nam historia, vt ait Cicero in 2. de Oratore, est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, in cuius lectione illud est præcipuè salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi tuæq; Reip. quod imitere capias, inde fœdum incœptu, fœdum exitu, quod vites. Tragœdia est imago vitæ humanæ, & doctrina legis de timore Dei, de cultu iusticiæ ac pietatis, & concio de horribilibus pœnis, quibus atrocia scelera diuinitus puniuntur. Ac Vergilius vno versu, velut argumentum omnium tragœdiarum, complexus est,

Discite iusticiam moniti & non temnere diuos.

De Comœdiarum vtilitate Cicero præclarè inquit in oratione pro Roscio Amerino: Hæc conficta arbitror à poëtis esse, vt effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostram vitæ quotidianæ videremus. Inter Heroica poëmata nullum præstantius extat quàm Homericum, in quo tantam virtutis doctrinam Solon & Pisistratus esse iudicarunt, vt legem tulerint, vt hoc poëma in quinquennali conuentu Attico solum præ cæteris scriptis recitaretur, hoc exemplo ostendentes se virtutis doctrinã maximè colere. Nam leges propter breuitatem non do-

cent, ſed nuda imperia proponunt. Poëtæ autem, quia vitæ humanæ imagines pingunt, eligunt optima exempla, & his orationes attribuunt, in quibus cauſas exponunt, quid cur fieri deceat, vt mentes hæc ipſa cauſarum conſideratio perſuaſas ad virtutis amorem flectat. Hæc Lycurgus in oratione cõtra Leocratem. Poſtremò, apologi ſunt venuſtiſsimæ picturę vitæ & morum propoſitæ in narrationibus, quæ neque veras, neque veriſimiles res continent.

Tertia ratio docendi eſt ἀποδεικτική, in qua non recitantur præcepta aut exempla, ſed accuratè inueſtigantur propriæ cauſæ & effectus, ac demonſtrationes colliguntur. Hac ratione docet Ethicen Ariſtoteles, qui vbique ferè ſua dogmata ſtudet firmis probationibus ſtabilire.

DE SEXTO.

SAEPE hæc vox in ſcholis repetitur, Ariſtotelem optimum Methodi artificem eſſe. Quare initiò admonendus eſt auditor de Methodo. Valde enim prodeſt ita aſſuefieri ſtudioſos, vt quæcunque ſe res obtulerit, ſtatim in animo informare methodum negocij poſſint, & exemplis Ariſtotelis multùm ea in re adiuuabuntur.

Quem-

Quemadmodum igitur doctrina physica in his tribus generibus causarum, videlicet in efficiente, materiali & formali, magnum studium multamque operam ponit: sic ea pars philosophiæ, quam Cicero nominat moralem, in explicatione finium penè tota consumitur. Nam hæc commonefactio præcipuè in Ethicis proponitur, Sic curras vt metam prospicias, & media eligas ad eam metam rectè ducentia. Prima igitur quæstio est de fine hominis, quam Aristoteles eruditè explicat monstrato ordine & dignitate potentiarum animæ. Constituit enim finem hominis rectam actionem supremæ potentiæ in homine, hoc est, actionem virtutis.

Proposito autem fine hominis, sagacissimè inuestigat definitionem virtutis, eam videlicet, Virtus est habitus consultò & sponte agens, atque in medietate consistens, quoad nos secundum rectam rationem, vt sapiens iudicat. Etsi autem ordo virtutum rectissimè ex Decalogo sumitur, qui est summa legis naturæ sapientissimè comprehensa: tamen Aristoteles suo quodam consilio ita distribuit virtutes, vt dicat alias versari circa affectus, alias circa res, alias circa sermonem.

Hactenus de præcipuis locis, quos primus & secundus liber continent, dixi. Sequitur tertius liber, in quo de causis virtutum, de obiecto

iecto voluntatis, de libero arbitrio eruditißimè disseritur, & duarum virtutum Fortitudinis & Temperantiæ methodica explicatio traditur.

In quarto libro hę virtutes explicantur, Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Appetitio gloriæ, Mansuetudo, Comitas, Veritas, Vrbanitas, Verecundia.

Quintus liber Ethicorum inter omnes Aristotelicos de virtutibus scriptos velut gemma insignis eminet. Cùm enim iusticia omnium domina sit & regina virtutum, mira solertia eam distribuit in vniuersalem & particularẽ. Deinde particularem exquisita ratione rursus diuidit in commutatiuam & distributiuam, & quæ æqualitas in vtraque constituenda sit, sapientißimè monet. Vt autem sciatur, ad quam normam iusticia dirigenda sit, de duplici iure, Naturali & Positiuo, disputat. Postea gradus delictorum recenset, quos Iurisconsulti dolum malum & culpam nominant. Ad extremum de pulcherrimo loco, videlicet de discrimine summi iuris & æquitatis, quod in omni vita maximè necessarium est, luculentam orationem instituit.

Porrò, quoniam virtutes intellectuales & morales habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se cõtinentur, in sexto libro de Intellectualibus virtu-

virtutibus, de ſapientia & prudentia, diſſerit, eaſq; diſcernit à ſcientia, item ab arte & notitia principiorum.

In ſeptimo de continentia & de heroica virtute philoſophatur. Vt enim heroica virtus longè ſupra communem hominum infirmitatem poſita eſt: ſic continentia virtuti quidem ſimilis eſt, nec tamen propriè virtus appellari poteſt. Nam in vera virtute eſt ἰσονομία, id eſt, congruentia rationis & appetitionum, iuxta illud Ariſtotelis, δεῖ τὰ αὐτὰ τὸν λόγον φάναι, καὶ τὴν ὄρεξιν διώκειν, Oportet eadē rationem approbare, & appetitionem perſequi. In ipſa verò continentia manet μάχη καὶ στασιασμὸς, id eſt, diſsidium partis intelligentis & appetentis. Etſi enim externa membra vtcunque frenat, tamen motus cordis nequaquam cum hac gubernatione cōgruunt. Cùm autem mala ſint conſpectiora bonis, orditur Ariſtoteles hanc diſputationem à deſcriptione ἀκρασίας καὶ θηριότητος, id eſt, incontinentiæ & immanitatis, vt virtutes his oppoſitæ fiant illuſtriores.

Octauus liber grauiſsimè concionatur de amicitia, quæ eſt iuſticiæ ſpecies, eamque definit ac diuidit.

Nonus liber multas quæſtiones pertinentes ad locum de amicitia explicat. Ac vt cætera præcepta propter breuitatem omittam, il-

lud certè perpetua memoria dignum eſt, Quemadmodum in exercenda hoſpitalitate vir bonus nec ἄξενος eſt, nec πολύξενος, ſed φιλόξενος: ita in amicitia colenda nec ἄφιλος eſſe debet, neq; πολύφιλος, ſed φιλόφιλος, id eſt, non viuet Timonico more, fugiens hominum cōgreſſus & colloquia, nec quorumlibet amicitijs ſeſe implicet, ſed delectu adhibito conſtanter colat amicos, quos honeſtis de cauſis complexus eſt.

Decimus liber duas quæſtiones explicat, Vnam de voluptate, An voluptas bono viro ſit expetenda? Alteram de beatitudine ſpeculatiua. Diſcernit autem voluptates conuenientes naturæ noſtræ ab alijs, quæ noſtram dignitatem & excellentiam deformant, & beatitudinem ſpeculatiuam à practica. Vt enim in primo libro diſſeruit de practica, ita in hoc libro de contemplatiua beatitudine diſſerit, cuius nutricula eſt practica. Nemo enim poteſt contemplari res bonas & magnas, niſi habeat motus animi domitos & quaſi cicuratos.

Quòd ſi quis hoc modo ſeriem atque ordinem locorum in conſpectu ſibi poſuerit, facilè poterit methodum Ariſtotelicam mēte complecti, eamq; in omni ſermone & diſputatione imitari.

DE SEPTIMO.

ARISTOTELES ſcripſit ad Nicomachum filium libros decem de moribus, & ſeptem ad Eudemum Syracuſanum, & Magnorum Moralium libros duos. Sed omiſsis cæteris nunc de ijs dicamus, qui ad Nicomachum ſcripti ſunt, de quibus Cicero in quinto de Finibus inquit: Quare teneamus Ariſtotelem & eius filium Nicomachum, cuius accuratè ſcripti de moribus libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.

Porrò de Nicomacho Euſebius libro decimo quinto præparationis Euangelicæ hæc repetit ex Ariſtocle: Ariſtoteles mortua coniuge Pythiade duxit Herpylliden, natam in oppido Stagira, ex qua filium Nicomachum ſuſcepit. Hunc ſcribunt poſt mortem patris à Theophraſto educatum eſſe, & in bello, cùm adhuc iuuenis eſſet, interijſſe.

LIBER PRIMVS ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

EVſtratius Græcus interpres in enarrando Ariſtotele hac methodo vtitur. Primùm explicat διάνοιαν, deinde λέξιν autoris, hoc eſt, initio ſummas rerum & argumentorum complectitur, poſtea addit textui ὑπομνήματα. Huius exemplo permoti, argumentum cuiuſq; libri & capitis breuiter recitabimus, & obſcuriores clauſulas textus illuſtrare conabimur.

Initio igitur primi libri Ariſtoteles quædam προοίμια ſeu προλεγόμενα tractat, videicet de diſcrimine actionum, & de certitudine moralis doctrinæ, de qua vtilis regula traditur, In moralibus negocijs ſufficit certitudo moralis, hoc eſt, non eſt exactiſsima ratio vbique quærenda. Deinde recenſet diuerſas de fine hominis opiniones, & refutat Platonem, qui dixit, Ideam eſſe ſummum bonum. Poſtea quærit finem hominis ex gradibus humanarum actionum, quia propria

actio cuiusq; rei est ipsius finis. Tandem addit disputationem de dicto Solonis, qui neminem ante obitum supremaque funera beatum pronunciauit.

Hæc ferè summa est libri primi, in quo præcipuè floret & dominatur locus de fine hominis, cuius definitione omnis ratio vitæ continetur. Significat autem finis in hac disputatione summum bonorum vel vltimum, vel extremum, quòd ipsum nullam aliam ad rem, ad id autem res referuntur omnes. Quid est autem in vita tantopere quærendum, quàm quis sit finis, quid extremum, quid vltimum, quò sint omnia bene viuendi recteq; faciendi consilia referenda, quid sequatur natura vt summum ex rebus expetendis, quid fugiat vt extremum malorum. Est igitur caput & cardo vniuersæ philosophiæ sententia de finibus bonorum & malorum. Nam cæteris in rebus, siue prætermissum, siue ignoratum est quippiam, non plus incommodi est, quàm quanti quæque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem si ignoretur, viuendi rationem ignorari necesse est, ex quo tantus error consequitur, vt quem in portum se recipiant, scire non posśint. Cognitis autem rerum finibus, cùm intelligitur quid sit & bonorum extremum & malo-

rum,

rum, inuenta vitæ via est conformatioque omnium officiorũ. Libet enim mihi eisdem verbis vti, quibus vtitur Cicero in primo & quinto de Finibus.

CAPVT I.

Argumentum.

IN VESTIBVLO *huius libri recitatur communissima sententia, quæ docet, cuiusq; naturæ esse aliquem finem. Cùm autem finis in qualibet re sit actio, prudenter discernuntur actiones. Est igitur initium doctrinæ moralis hæc hypothesis, quæ in physicis demonstratur: Omnis natura condita est ad certum finem.*

TEXTVS.

OMnis [*a*] ars, & omnis quæ à ratione suscipitur aliqua de re [*b*] institutio, omnis item [*c*] actio & libera [*d*] electio, bonum aliquod [*e*] appetere videtur.

[a] Aristoteles in libro 6. Ethicorum ad Nicomachum τέχνην vocat ἕξιν ποιητικήν, id est habitum regentem fabricationes, scientiam habitum regẽtem speculationes. Sed hæc vocabula scientiæ & artis sæpe promiscuè vsurpantur, vt in definitione artis Stoica, quæ apud Quintilianum lib. 2. & apud Lucianum in Parasitico extat: Ars est ordo certarum propositionum exercitatione cognitarum ad finem vtilem in vita. In hac definitione quatuor ad-

monitiones de formandis ſtudijs obſeruentur. quarũ prima eſt, vt amemus in diſcẽdo ordinẽ, qui memoriæ præcipuũ lumẽ affert. Altera eſt vt diſcernamus certa ab incertis, & fontes certitudinis in omni genere doctrinarum quæramus. Tertia eſt de exercitatione. Nemo enim, quamuis artis præcepta perceperit, quicquam magna laude dignũ ſine vſu & exercitatione cõſequi poteſt. Poſtrema admonitio eſt de fine & vtilitate. Nunquã enim perfectã doctrinam conſequitur, qui non proſpicit certũ finẽ ſtudiorũ, nec conſiderat, quæ ſit ex ſingulis artibus petẽda vtilitas.

[b] Nomen μέθοδος ſignificat rectã & cõpendiariã viam. Hinc transfertur ad ordinẽ explicationis rectiſsimũ, de quo Dialectici præcipiunt. Cicero in Officijs cùm ait, Omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, μέθοδον videtur eſſe interpretatus, quæ eſt, vt Græci definiunt, ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου, id eſt, habitus viam faciens certa ratione.

[c] Hæc vox ab Ariſtotele vſurpatur pro actione morali, quã latini officiũ appellant, ποίησις pro fabricatione, ἔργον pro opere ſeu opificio, ἐνέργεια pro interiori actione. Sed hæc diſcrimina interdũ in cõmuni ſermone cõfundũtur.

[d] Duo cõplectitur libera electio ſeu προαίρεσις, iudiciũ in mẽte, & libertatẽ electionis in voluntate. Sic .n. Ariſtoteles in 6. ἠθικ. ad Nicom. inquit: προαίρεσις eſt intellectus appetẽs, vel potius appetitio intelligens, νοῦς ὀρεκτικὸς, ἢ ὄρεξις διανοητική. De hac voce infrà li. 3. et 6. plura dicentur.

[e] Hoc verbũ non tantũ appetere ſignificat, ſed etiam collineare & ad certum ſcopum diri

gere. Est igitur sensus: Et electionibus quibusq; & actionib. nostris omnibus finis constitutus est aliquis, cuius ipsi gratia moueamur.

Itaq; probè definitur bonũ, cùm dicitur esse id, q, ab omnibus appetitur. Est aũt discrimen quoddam [*f*] finium. Nã alij sunt actiones, alij præter actiones quædá opera. Quòd si finis non consistit in actione, opus antecellit actioni. Quéadmodũ aũt magna [*g*] varietas est actionũ, artiũ & scientiarũ, ita varij sunt ac diuersi fines: vt verbi causa, Medicæ artis finis est sanitas, artis fabricandarũ nauiũ, nauis, Imperatoriæ victoria, artis quæ tuetur rem familiarem, opulentia.

[f] Finem vocat ad quẽ cætera omnia referuntur, vt ars medica hũc finẽ prospicit, vt sanitas conseruetur, aut amissa recuperetur. Ea est aũt diuisio finium, vt alij sint extrinsecus quidẽ positi, quemadmodũ in medicinę exercitatione sanitas, alij verò ipsis insint actionibus, sintq; actiones ipsæ fines, vt eius qui fortiter se gesserit fecerit-q; aut facit fortia, actio ipsa fortis, fortiterq; egisse vel agere est finis.

[g] Hunc locum ita vertit Iouianus Pontanus: Quocirca, cúm varię sint atque multiplices hominum tum exercitationes, tum artes ac studia, fines quoque & ipsi non constituuntur vni.

Quod si ea est artium copulatio, vt [*h*] aliæ alijs seruiant, earumq; se quasi mi-

[h] Pontanus in primo de prudentia ita

niſtras præbeant (vt rei [i] equeſtri ſeruiunt artes, quæ frenũ et reliqua arma equeſtria fabricant, res verò equeſtris & omnis belli gerendi ratio imperatoriȩ arti operam ſuam præſtat) nõ dubium eſt, quin [k] dominæ ac reginæ finis potior ſit ijs operib⁹, in quib. miniſtræ elaborant. Nam operæ quas faciunt inferiores, ad hunc vltimum finẽ, quem gubernatrix illarũ proſpicit, referuntur. Sed non multũ intereſt, ſitnѐ actio ſeipſa contenta tanquã fine, an opus aliquod finis rationẽ habeat, vt artium exempla, de quibus dixi, oſtendunt.

hunc locum enarrat: Vt ſumma totius Reipub. adminiſtrandȩ ad vnũ eumq; ſummum refertur magiſtratũ, militiæ quoque ac gerendi belli ad imperatorem: Sic fines & ipſi omnes ad vnũ, eumque ſummum ac præſtantiſsimum referũtur finem, propter quẽ omnino omnia ſuſcipiantur & officia & opera, ad quem quidem ipſum ſuum quiq; dirigunt curſum, perinde vt in portũ qui nauigant. Atque vt inter magiſtratus alius cedit alij, minorq; maiori, atque inter ciues iuuenis ſeni, ignobilis nobili, priuatus in magiſtratu agenti: Sic finium ſua quoq; ratio eſt habenda, præſtabitq; alteri is ipſe, ad quem alter ille refertur, vt res familiaris rei ruſticæ, & hæc ipſa res ruſtica faciendi aratri ac vomeris officinæ, quãdo vomeraria officina ſubſeruit agriculturæ, ipſa autem agricultura rei familiari. Hæc ille.

[i] Dio-

[i] Diogenes Laërtius in vita Platonis hanc diuiſioné artiũ recitat: Τέχνη aut eſt παρασκευαστική, aut μετασκευαστική, aut χρηστική. παρασκευαστικαὶ artes dicuntur, quę materiam fabricationi inſtrumentorum, aut nutritioni, aut medicationi ſuppeditant, vt Metallica, Agricultura. μετασκευαστικαὶ, quæ aut alteratione, aut partium diuerſo poſitu formas accidentales materiæ addunt, vt Architectonica, Plaſtice. χρηστικαὶ, quæ rebus iam conſtitutis vtuntur, vt ars equeſtris, Muſica.

[k] Achitectonica eſt gubernatrix in quolibet genere, vt ſi dicam, Theologia eſt architectonica iuriſprudentiæ.

CAPVT. II.

Argumentum.

QVEMADMODVM *Geometræ ſuam artem incboant à communiſſimis ſententijs: ita Ariſtoteles orditur doctrinam de moribus ab hac ſententia generali, Omnium rerum eſt aliquis finis. Hac ſententia conſtituta, deinceps quærit, quis ſit hominis finis. Etſi autem in ſecundo capite tantùm hoc dicit, eſſe aliquem vltimum finem hominis, illiusq́; conſiderationem doctrinæ moralis propriam eſſe: tamen infrà eum nominabit, videlicet beatitudinem, quam intelligit actionem virtutis.*

TEXTVS.

SI igitur eſt aliquis [*a*] finis, qué præ-

[a] Pontanus. Omnium finium præſtantiſ-

cipuè oportet expeti, & ad quē alia omnia referuntur, nec appetitio in infinitum vagatur, non est obscurum hunc esse summum bonū, illiusq; cognitionem [b] magnū in vita momentum habere.

Quemadmodum enim iaculatores metam prospicientes, certius sua tela dirigunt: ita nos certum finem constituentes minus in vita hallucinabimur. Constituta hac sententia deinceps quærendū est sine summa [c] subtilitate, quis sit ille finis extremus & vltimus, & quæ scientia aut facultas circa eū versetur. Sic igitur statuo, hunc finē pertinere ad considerationē eius artis, quæ est omniū maxima, maximeque necessa-

simus est, maximéque optabilis & expetendus, qui propter seipsum tātùm & quæritur & expetitur, & cuius assequendi gratia cęterę omnes actiones sunt curę́q; susceptæ.

[b] Cic. lib.4. Acad. quęst. Omnis ratio vitæ definitione summi boni continetur. Lactantius lib.3.cap.7. In disputatione de fine hominis totius sapientiæ cardo versatur.

[c] Sæpe vtitur Aristoteles hac voce, vt infrà cap. 3. παχυλῶς καὶ τύπῳ. Significat autem non nimis exactam & exquisitā, sed crassam & pinguē potius perscrutationem, atq; vt Latini dicunt, Mineruam. Sic Plato li. 6. de Rep. loquitur: ἔχεις γὰρ τὸν τύπον ὧν λέγω; ἔχω, ἔφη, καὶ ἡδέως

ria,

ria, & rectrix vitæ ac morum.

γ' ἂν ἀκριβέστερον ἃ λέγεις πυθοίμην. Habes qualemcunque adumbrationem eorum quæ dico. Habeo, inquit, & libenter accuratiorem explicationem eorum quæ dicis audirem.

Hæc enim reliquas artes in [*d*] Rep. disponit atque dispensat, & metas constituit quousq; in singulis progrediendū sit. Quid, quòd honestissimæ artes & facultates huic reginæ seruiunt, cuiusmodi sunt imperatoria, administratio rei familiaris, eloquentia! Quare cùm ciuilis scientia ministerio reliquarum artium vtatur, & in singulis vitæ partibus nos admoneat, quid agendum quidve omittendū sit, possumusne dubitare, quin finis huius scientiæ aliarum [*e*] artium fines contineat, & præcipuum sit generis humani bonum? Etsi autem possessio huius boni non

[d] Plato & alij philosophi vocant πολιτικὴν eam sapientiā, quę efficit bonos viros & bonos ciues, quæq; in genere virtutē considerat. Aristoteles verò distinguit Ethicen à politica, id est, priuatæ vitæ rationē à rerumpub. gubernatione.

[e] Pontanus: Inter ipsa bona, quod idem dictum est de finibus, est aliud alio melius ac præstantius, illud verò optimū & pręstantissimum, &

modò

modò [*f*] singulis, sed & vniuersæ Reip. salutaris est: tamen maius quiddã est ac penè diuinũ toti Reip. hoc bonum impertire atque conseruare. Hinc perspicuum est inuestigationem atque explicationẽ boni, de quo dixi, ciuilis scientiæ propriam ac peculiarem esse.

omnium maximè optabile, quod cætera cõplectitur, cõtinétq; omnia, quod & summum & vltimum merito est suo habendũ, quod adeptus qui fuerit, non aliter quàm qui in portum ex alto delatus est, finẽ sit postremum assecutus.

[f] Vtilis admonitio de duplici fine omnium virtutum. Vt enim homo non solùm sibi nascitur, sed natura ipsa ad societatem ducitur: ita necesse est geminos esse actionum fines, videlicet alterum priuatum, qui ipsi naturæ per se considerata competit, alterum communem, qui competit naturæ, quatenus in societate communi viuit. Et vtrunque finem homo tueri debet, scilicet vt se conseruet, & societatem. Sed finis communis plus dignitatis habet quàm priuatus, vt Aristides est bonus vir, etiamsi remotus sit à Repub. Sed longè melior est in gubernatione, vt Menander inquit, Bonus vir est commune bonum: & Cicero, Hoc genus officiorum excellit, quod tenetur hominum societate.

CAPVT III.

Argumentum.

Hoc

HOC caput non pertinet ad locum de fine hominis, sed est digreßio obiter intertexta de certitudine philosophiæ moralis, quæ extruitur ex lege naturæ partim per demonstrationes, partim probabilibus rationibus. Quemadmodum enim in medicorum doctrina præcipua pars artis habet demonstrationes, deinde accedunt sententiæ receptæ propter probabiles rationes: ita in morali doctrina sunt aliquæ demonstrationes firmæ & immotæ, postea accedūt præcepta probabilia. Sit igitur hoc iam persuasum auditoribus Ethicæ, non in singulis partibus huius doctrinæ flagitandas esse demonstrationes, sed in multis præceptis acquiescendum esse propter rationes verisimiles atq; in speciem probabiles.

TEXTVS.

SI quis autem existimat hæc paulò crasßius dici, is cogitet non vbiq; flagitandas esse demonstrationes, vt verbi causa in ijs rebus, quas [*a*] opificum manus parant.

[a] Vt faber potest quadrare circulum. Sed Geometra non potest. Quia Physicus versatur circa prope verum, Mathematicus circa verum.

Nam doctrina discernens honesta & turpia tantis [*b*] dubitationum flucti-

[b] Tres sunt causæ dubitationis de principijs practicis. Prima est caligo in mente secuta lapsum primorū

bus

bus concutitur, vt multis [c] lege tantũ & opinione, non natura constitutum esse ius videatur. parentum. Si enim natura hominis esset integra, luceret in mente firma & illustris notitia de Deo, de fine hominis, de discrimine honestorũ & turpium. Nunc etsi reliqua est notitia discernens iusta & iniusta, tamẽ assensio est languidior, & cõcutitur multis dubitationibus, vt lapis æquoreis vndique pulsus aquis. Altera causa est confusio euentuũ. Etsi enim plerunque placidus cursus est honestorum & moderatorũ, & atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis: tamen sępe bonis malè est, & malis bene, & consceleratí homines, quales fuerunt Dionysius, Sylla, Tiberius, placidos habẽt exitus. Hæc confusio euentuũ pugnans cum regula, Bonis bene sit & malis malè, valde auget atque confirmat dubitationem de principijs, quæ mores gubernãt. Tertia causa harum dubitationũ & fluctuationum est, quia pauci exigua simulachra virtutũ assequuntur, & longè magis hominum natura prona ad voluptatatem quàm ad virtutem. Imò etiam summi viri, qui virtute excelluerunt, voluptatibus tãdem languefacti sunt, vt Hercules, Themistocles, Alexãder. His causis permoti Cynici sustulerunt principia practica, ac furenter dixerunt, nihil esse natura iustũ, sed tantũ opinione. Quod cùm & falsum sit, & contumeliosum aduersus Deũ, monendi sunt studiosi vt cogitẽt, reuera principia practica & demonstrationes inde factas, firmas & immotas esse, etiãsi in hac caligine minus illã diuinam lucẽ aspicimus, & praui affectus languefaciunt assensionem.

[c] Cicero in primo de Legibus refutãs Cynicum

eum furorem prǽclarè inquit: Omnium quæ in hominū doctorū disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad iusticiā natos esse, neq; opinione, sed natura constitutū esse ius. Et Euripides dixit, Turpe est turpe, siue videatur, siue non videatur.

Quid dicam de ijs, qui ita censent, itaq; disserunt, diuitias & fortia facta non esse ornanda [*d*] appellatione boni, cum aliquibus perniciē attulerint? Hęc cum ita sint, non solū professores pingui, vt dicitur, Minerua doctrinam de moribus tradant, sed etiam auditores in tali explicatione acquiescant. Est enim hominis eruditi & ad moderationé assuefacti, non desiderare maiorem subtilitatem & certitudiné in explicando, quàm pro rei natura, de qua disseritur. Vt enim Geometra ridiculus esset, si adderet suis demonstrationibus ornaméta oratoria, sic orator iure ac merito ineptus diceretur, si in ciuilibus negocijs demōstrationes ostentaret. Nam quisque de ijs, quæ didicit, rectissimè iudicat. Ac singuli quidem artifices de suis artibus iudicant.

[d] Bonum est res condita à Deo, & ordinata ad certos vsus. Quod autem diuitiæ, vinum, imò etiá virtus, multos destruunt, id per accidens fit, nec propterea res suo genere bonæ damnandæ sunt.

Qui verò [*e*] omni

[e] Exempla hanc doctri-

doctrina excultus est, de omnibus præclarè iudicat.

clausulam declarant. Pictorum quidē munus atque officium est omnium pingere, boni verò bene pingere, & alius quidem (vt de Apelle tradidit Propertius) in Veneris tabula summam sibi vendicat, alius alia in re depingenda. Excellentissimi verò pictorum est omnium in omni picturę genere retinuisse excellentiam. Sic mercator numeros quidem digerit, ad vtilitatem videlicet ac mercaturæ vsum. Ab Arithmetico verò numerorum ipsorum proportio, quæ & quanta sit, quæritur.

Ideo iuuenis non est idoneus [f] auditor doctrinę de moribus, cùm sit rudis atque ignarus eorum, quæ in vita geruntur.

[f] Pontanus hunc locum ita expressit: Pueri adolescentuliq; propter teneritudinē, rerumq; ac vitæ ignorationem, nec cognoscendæ apti sunt veritati, neque percipiendo honesto, mini meq; accipiendis rationis præceptis, sequendisq; illius monitis, quòd virtutes etiam morales sint in mediocritate positæ, sitq; ætas illa maximè rudis, plusq; in ea polleat appetitus quàm ratio, quàm mens ipsa, quo fit, vt à malis rapiatur cupiditatibus, decipiaturq; recti ac honesti specie, à prauo turpiq;. Hæc ille. Obijciet autem aliquis, Si auditor Ethicæ nec puer, nec adolescens esse potest, cur iuuentuti doctrina de virtutibus proponitur. Respondeo, Aliud est loqui de pædagogia, aliud de gubernatione Ecclesiæ & Reip. Pædagogia seu disciplina omnibus necessaria est, quia Paulus disertè præcipit, vt pueri doceantur & disciplina regantur.

Nomi-

Nominat enim παιδείαν, quæ est disciplina, id est, morum gubernatio, quæ fit per assuefactionem, quotidiana exercitia, tempestiuas castigationes & exempla, & huic disciplinæ vult addi doctrinã Domini, & studia literarũ, cùm Ecclesiæ doctrina sine literis percipi non posʃit. Sciamus igitur à Paulo vtrunq; præcipi, vt iuuentus assuefiat ad necessariæ doctrinæ studia, & disciplina regatur, & hoc præceptum diligentiʃsimè affigamus animis. Etsi enim ætas imbecillior rudis & ignara est maximarum rerum, quæ in vita geruntur, & vim pręceptorum, quæ de moribus traduntur, non penitus perspicit: tamen valde prodest aures iuniorum personare concionibus de virtutum officijs, iuxta illud, A teneris adsuescere multum est. Postea verò cùm ætatis & iudicij maturitatem adepti sumus, & vocatio, seu ecclesiastica, seu politica, nos onerat ingenti mole negotiorum & periculorum, præcepta fiunt illustriora, & ad vsum transferri posʃunt. Summa igitur responsionis hæc est, Nequaquam arcendi sunt pueri à scholis philosophicis, in quibus de virtute differitur, sed à gubernatione nauis, quæ vehit Ecclesiã aut Remp. Nam ad gubernacula Ecclesiæ & Reip. collocandi sunt non stulti adolescentuli, sed senes, quorum iudicia certiora sunt, & affectus placidiores. Sed hæc satis sit breuiter attigisse, ne quis suæ ignauiæ falsò prætexat Aristotelis autoritatem.

Accedit illa quoque causa, cur iuuenis non sit ad hanc doctrinam percipiendam accommodatus, quia impetus stultarum cupiditatum sequitur, nec frenum cæcis affectibus

inijcit. Nam huius doctrinæ laus non in [g] cognitione, sed in actione consistit. Nihil autem interest inter iuuenem, qui nondum ætatis maturitatem assecutus est, & eum qui errantibus animi motibus frenos laxat. Non enim ex annorum paucitate, sed ex laxatione disciplinæ & morum corruptela hoc quidem in loco iuuenem æstimamus. Parum igitur prodest huius doctrinæ cognitio ijs, qui blandissimis dominis voluptatibus obtemperant, earumque se quasi ministros præbent. Alijs verò, qui errantes cupiditates in gyrum rationis & disciplinæ ducunt, magnam vtilitatem philosophia moralis affert. Sed hæc quidem hactenus de auditore Ethicæ dicta sint. Nunc ad institutum redeat oratio.

[g] Nam rectè moratos, benéque institutos nō eos dicimus, qui qualis, quídve sit virtus, nouerunt, verùm qui secundū eam viuunt. Virtutis enim laus omnis in actione consistit, vt ait Cicero in primo de Officijs. Eadem sententia infrà lib. 10. cap. 9. pluribus verbis ab Aristotele repetitur.

CAPVT

CAPVT IIII.

Argumentum.

QVARTVM *caput non inuadit in arcem causæ, sed tantùm nominat vltimum & præcipuum bonum, in quo tanquam in portu acquiescimus. Docet enim finem hominis vocari beatitudinem. Postea addit præceptum Dialecticum de duplici via docendi. Aut enim à prioribus iter est ad posteriora, vt in Geometria & Arithmetica, aut econtra, vt in Ethica, & in multis partibus artis Medicæ & Physicæ.*

TEXTVS.

CVM omnis cognitio & libera electio bonum aliquod appetat, deinceps quærendum est, in quo genere bonorum ciuilis scientia acquiescat. Ac de nomine quidem nullam video esse inter doctos & indoctos dissensionem. Omnes enim hunc finem extremum & vltimum vocant beatitudinem, & huius verbi vim sic interpretantur, vt idem præ se ferat, quod bene [*a*] beateq; viuere.

[a] Pontanus: Qui ea aget, quæ & viro & ciue digna sunt bono, & patrefamilias frugi, quíque pietatem colet atq; iusticiã, Deo, patrię, parentibus, cognatis, amicis, ipsi hominũ generi, quoad eius facultates tulerint, iusta honestáq; præstiterit, qui laboribus atq; ærumnis nõ cesserit, neque succũbet aduersis, abhorrebit à turpibus,

ſequetur honeſta atque commendatione digna, ipſamq́; in primis naturam ratione & duce & comite, aut hic bene dicetur viuere, aut nomen ipſum bene viuendi futile iudicandum eſt atq; omnino vanum. Poteram & breuius complecti definitionem, Bene illum viuere, cui nihil deſit, virtutibus omnibus publicè priuatimq́; exercẽdis. Sed magis placuit illum circumſcribere.

De re autem variæ ſunt ac diſcrepantes non modò vulgi, ſed & doctiſsimorum hominum ſententiæ. Nam alij res notas & vſitatas, vt [b] voluptaté, aut [c] diuitias, aut [d] honoré ſic admirantur, vt eas in ſummo gradu bonorum collocent. Sæpe etiã fit, vt aliâs aliter de ſummo bono iudicemus.

[b] Lactantius lib. 3. cap. 4. Voluptas & ſatietaté affert, & nimia nocet, & proceſſu minuitur ætatis. Idem lib. 6. ca. 11. Omnis voluptas caduca & breuis, oculorum maximè & aurium. Summum autem bonum nõ poteſt efficere quẽquam beatum, niſi ſemper fuerit in ipſius poteſtate. Ac quoties de hominis beatitudine agitur, oportet ſummum ſummi animalis bonum in eo conſtitui, quod commune cum cæteris animalibus eſſe non poſsit. Cùm igitur voluptas homini cum beſtiis communis ſit, nec ſemper ſit in noſtra poteſtate, nequaquam ſummi boni rationem habere poteſt.

[c] Pontanus: Diuitiis quidem ſi careas, vocabere tantùm pauper. Sin illas cùm poſsideas, minimè vtare, earũ poſſeſsio quem afferet fructum? Quibus malè ſi vtare, abundas iam inſtru-

ſtrumento ad omnem & malitiam & nequitiã atque ad poſtrema quęque flagitia. At vtetur diues & rectè & bene diuitiis ac rebus partis. Verùm beatitudo hæc non tam à diuitiis manat, quàm à iuſtis honeſtisq́ actionibus, atq; ex vſu qui ſit rectus, ac ſecundum rationem rectam. Nam diuitiarum ſola quidem eſt materiæ ſubminiſtratio, bene verò agendi atque vtendi rectè modus, animi ac rationis proprium munus eſt atque officium.

[d] Quantulum eſt hoc, quòd alij homines caput tibi aperiunt, de via cedunt, te blandè ſalutant, domum ducunt & reducunt? Aut enim hi geſtus ſimulati ſunt, aut non ſunt diuturni. Nemo ignorat, quæ præconia de Themiſtocle poſt pugnam Salaminiam fecerit tota Græcia, videlicet, huius vnius viri conſilijs victos eſſe Perſas & ſeruatam Græciam. Quid homini poteſt tribui glorioſius ac maius? Et tamen Attica ciuitas hunc optimè meritũ ducem exilio mulctauit. Hoc igitur exemplo & alijs innumerabilibus admoniti diſcamus, nihil honore vanius eſſe, nihil quod minus optimi & perfectiſsimi finis, ad quem humana natura condita eſt, rationem habere poſsit.

Vt enim morbo oppreſſus cunctis rebus ſanitatem anteponit, ſic pauper diuitias præcipuè expetit. Adde huc paucos quoſdam, qui de ſua inſcitia & infantia cogitantes alios ſuſpiciunt, qui eruditione & eloquentia antecellunt. Sunt autem alij, & hi quidem magni atq; nobiles, qui cenſent ſummũ bonum eſſe mentem ęternam, cauſam boni in tota rerum

vniuersitate. Sed non est operæprecium singulas opiniones ad calculos vocare, cùm in ijs potius elaborandum sit, quæ maximè [e] eminent, quæque doctorum disputationibus agitantur.

[e] Etsi multæ sunt opiniones de fine bonorum: tamen duæ tãtùm sunt principales inter se præcipuè dissidentes, quas paulò post diiudicabimus, Vna quòd virtus seu virtutis actio sit finis, Altera, quòd voluptas sit finis.

Hîc verò lector admonendus est de duplici via docendi. Aut enim à priore procedimus, aut à posteriori ad principia regredimur. Quemadmodum enim in stadio aut à gubernatoribus certaminum ad metam properamus, aut cursum reflectimus: ita duplex est iter in artibus, aut à prioribus ad posteriora, aut econtra, vt præclarè dixit Plato. Neque verò dubium est in omni ratione docendi à rebus notis initium ducendum esse, quarum aliæ sunt nobis notiores, aliæ per se & suo genere sunt illustriores. Ac vt de reliquis artibus nihil dicam, illud certè constat, doctrinam moralem inchoandam esse ab ijs, quæ nobis exploratè percepta & cognita sunt. Necesse est igitur studiosum huius sapientiæ [f] manere intra metas officij, nec quicquã admittere, quod à norma iustorum &

[f] Bene moratum benéque constitutum esse oportet auditorẽ hui⁹ philosophię. Vti-

hone-

honestorum operum dissentiat. Nā cui viro talis viuendi ratio comparara est, huic non opus est subtilitate[*g*] demōstrationū, quæ ex principijs vel causis extruūtur. Aut enim principia cernit luce naturali, aut ab alijs tradita dextrè accipit.

tur eadem phrasi & infrà, cùm de bona assuefactione loquitur: Διὸ δεῖ ἦχθαι πῶς εὐθὺς ἐκ νέων, ὡς Πλάτων φησιν. lib. 2. cap. 3.

[g] Duplex est docendi ratio. Aliàs enim tātùm τὸ ὅτι artis traditur, cū videlicet nuda ac breuia quædā præcepta siue sentētiæ aut regulæ proponuntur sine causis atq; demōstrationibus. Tales in morali doctrina sunt παραινετικοὶ libelli Catonis, Isocratis, & similium. Aliàs verò etiā διότι monstratur, hoc est, non recitantur nudę sententiæ ac regulę, sed accuratè inuestigātur propriæ causæ & effectus, ac demonstrationes colliguntur. Hoc pacto docet Ethicen Aristoteles, qui vbiq; ferè sua dogmata studet firmis probationibus stabilire.

Cui verò vtrunq; horum deest, is[*h*] audiat versus Hesiodi:

Qui nullo monitore potest facienda videre
Quæq; decent, quæq; euentus in fine secundos
Sunt tandem paritura, suisq; obtemperat ipse
Consilijs, mores vera ratione gubernans,
Anteit hic alios virtute & laudibus omnes.
Sunt alij minus ingenio plærīq; sagaces,
Qui parere tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter rectè numerantur & isti.

Sed qui nec ſapit ipſe, neq; audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus ſequitur, quò traxit cæca libido,
Hic malus ac odio dignus ducatur, & idem
Accerſet pœnas ſibi tandem & triſtia damna.

[h] Tres ſunt gradus hominum. Primus eſt eorum, qui ſeipſos regere poſſunt. Secundus complectitur dociles, qui rectè monentes audiunt. Tertius eſt fatuorum, qui nec ipſi quicquam intelligunt, nec alijs obtemperant. Neceſſe eſt autem homines, qui de virtute docendi ſunt, verſari vel in primo, vel in ſecundo gradu. Apud Liuium libro 2 Decadis tertiæ, Minucius magiſter equitum ſplēdidis verbis Heſiodi ſententiam ab Ariſtotele citatam interpretatur. Sępe ego, inquit, audiui milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit, ſecundum eum, qui bene monenti obediat, qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Nobis quoniam prima animi ingenijq; negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamns, & dum imperare diſcimus, parere prudenti in animum inducamus.

CAPVT V.

Argumentum.

IN CAPITE *quinto Ariſtoteles recitat varias & diſcrepantes hominum opiniones de fine. Nam homines ſecundū diuerſa genera vitæ varios ac diuerſos fines ſibi proponunt. Vt enim ſtudioſi eruditionem, &*

politici

politici gloriam præcipuè expetunt: ita molles & delicati voluptatem putant esse summum bonum.

TEXTVS.

SEd eò, vnde digressa est, redeat oratio. Non reprehendo consilium eorum, qui vitæ genera discernunt, ac postea quid de beatitudine existimandum sit, pronunciant. Multi enim & hi quidem stolidi putant voluptatem esse summum bonum, & hoc errore fascinati totos se voluptatibus dedunt, earumque instrumenta quærunt. Sunt enim tria vitæ genera, voluptarium, cuius modò mentio facta est, ciuile [a] & contemplatiuum.

[a] Pontanus: Cùm ad agendum homines & contemplandum nascantur, aliiq; munus vtrunq; prosequantur, in altero tantùm sese exerceant alij, hinc effectum est, vt duplex esse humanæ vitæ videatur genus, & eorum qui in cœtu viuunt, ciuilia obeuntes munera, & eorum qui præteritis aut contemtis rerum ciuilium administrationibus, in ipsarum tantùm rerum naturæ cognitione versantur atq; scientia. His generibus additur ab Aristotele tertium illorum, videlicet qui affluenter viuunt magis quàm bene, abutunturq; potius quàm vtuntur rerum ipsarum copia, eamq; non tam ad frugem conuertunt, quàm in suam ipsorum ac rerum simul perditionem. De his tribus generibus vitæ præclara & memorabilis extat sententia Plutarchi

in libello de puerili institutione. Sic. n. inquit, Voluptuaria vita est dissoluta & seruilis,& bestiis potius quàm hominibus conueniens. Speculatiua verò non seruiens actiuæ inutilis est. Actiua deniq; expers philosophiæ inhumana est, & sæpe atrociter delinquit. Danda est igitur opera, quantum fieri potest, vt & Reipub. officium præstemus,& philosophiæ adminiculis vtamur. Sic enim Remp. gubernarunt Pericles & Archytas Tarentinus, Dion præterea Syracusanus,& Epaminondas Thebanus, quorum vterq; Platoni familiaris fuit.

Sed hi qui voluptate omnia metiuntur, seruili ingenio præditi sunt, & ad pecudum vitam proximè accedunt. Mouentur autem hac ratione, vt cogitent tantum boni esse in voluptate, quia vident affluentes omnium rerum copia more [b] Sardanapali viuere.

[b] Cicero in quinta Tusculana: Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi iussit in Busto: Hæc habeo, quę edi, quæq; exaturata libido Hausit, at illa iacent multa & præclara relicta. Quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in regis sepulchra inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.

Alij verò qui in luce Reip. versantur, honorem auidissimè expetunt, & huc omnes neruos contendunt, vt in laude viuere possint. Sed hæc vmbra honoris multò leuior est, quàm vt summi boni locum tenere tuerique possit. Videtur enim magis eorum esse qui hono-

honore afficiunt, quàm qui honore afficiuntur. Bonum autem de quo nunc disserimus, ita est hominis [c] propriũ, vt nec eripi, nec surripi posſit vnquã, neq; naufragio, neq; incendio amittatur, nec tempestatum, nec temporũ permutatione mutetur.

[c] Ludouicus Viues in primo de Doctrina Christiana: Finis conditiones sunt hæ, vt sit homini proprius, ac ea de causa in optima illius & præstantiſsima parte situs, vt qui vnus satis sit ad beatitudinem, quod autem beatum hominẽ reddit, maximas vt delectationes importet sine vlla molestia vel perturbatione necesse est Adde his, vt sit perpetuus nec auferri poſsit. Ex his conditionibus multa iudicari possunt in disputatione de fine hominis.

ἀτελεστάτη καὶ αὐτὴ) Virtus non est finis hominis, vt Stoici contendunt, sed actio virtutis.

Etsi autem aliqui hoc decus expetunt quasi quoddam præmium, quod virtuti re ipsa debetur, tamen illi ipsi declarant virtute nihil esse magnificentius atque ornatius. Ac ne quis in eam opinionem discedat, vt existimet virtutem esse finem vitæ politicæ, is cogitet hominem virtute præditum quandoque dormire, nonnunquam ignauo otio languere, deniq; omnibus fortunæ telis propositum esse. Quis autem hoc modo viuentem beatũ dixerit, nisi absurdæ [d] opinio-

[d] Thesis est absurda opinio de rebus

nis

nis assertor? Sed de hoc altero genere paulò accuratius in libris [e] ordinarijs dictum est.

in philosophia notissimis. Eustratius: Θέσις ἐστὶ παράδοξος ὑπόληψις τινὸς τῶν κατὰ φιλοσοφίαν γνωρίμων.

[e] Cicero in quinto de Finibus: De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, vnum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in cōmentarijs reliquerunt, non semper idem dicere videntur. Strabo libro 13. Antiqui Peripatetici post Theophrastum, cùm omnino libris ordinarijs carerent, paucis duntaxat exceptis, exteriorum sermonum, nihil habebant, in quo firmiter philosopharentur.

Restat tertium genus, quod contemplatiuum nominatur, de quo infrà plurib. verbis disseremus. Porrò cùm hi, qui opes cumulant, sæpe in contractibus recedant à legitima æqualitate, cumq; opes non propter se, sed propter vsum expetantur, nequaquam in his summum bonum collocandum est, vt nec in cæteris, quæ paulò antè commemoraui. Verùm his omissis ad reliqua festinet oratio.

CA-

CAPVT VI.

Argumentum.

Cvm Aristoteles sit amans proprij sermonis, qui ad docendum maximè accommodatus est, sæpenumero dicta figuratè tanquam non congruentia ad normas artium reijcit. Ita in hoc capite exagitat Platonis dicta de idea boni. Ac prodest interdum ad exercenda atq; acuenda ingenia in scholis impropriè dicta notare atq; agitare, si tamen modus quidam adhibeatur, & postea interpretatio commoda addatur. Primùm igitur ostendam causas, propter quas Aristoteles Platonem vellicat, eiq; calcem impingit, sicut pulli equini contra matrem calcitrant. Deinde commodam interpretationem grandiloquentiæ Platonis addam, vt studiosi intelligant me non amare λογομαχίας, quæ sunt coruorum contentiones, vt venustissimè Galenus dixit.

Arbitror autem primam causam fuisse cur Aristoteles Platonem reprehenderet, ipsam sermonis obscuritatem & improprietatẽ. Cùm enim genus sermonis grandius, quo Plato vtitur, pauci assequantur, dici non potest, quæ deliramenta indocti de ideis fingant. Etenim grandiloquentia Platonis, qui sæpe de Ideis figuratè loquitur, & prosopopœïas facit, præbuit occasionem indoctis, vt fingerent ideas esse communes naturas nescio vbi volitantes. Has ineptias dum multi sequuntur,

quuntur, & tamen aliqua ex parte corrigere student, prorsus eis accidit quod illi fatuo, cribri foramina obstruenti. Altera causa huius reprehensionis est, quia Plato videtur collocare summum bonum in notitia, non in voluntatis actione. Nam Ideæ dicuntur imagines ac notitiæ, quæ mente concipiuntur, hoc est, definitiones & demonstrationes. Est autem omnino verum, neminem sola notitia iustum ac beatum esse. Accedit illa quoque causa, quòd Platonicæ disputationes de Idea, longius recedunt ab actionibus ciuilibusque negocijs, atque à rerum vsu remotæ sunt. Iam verò constat, eam philosophiam potißimùm ab Aristotele probari, quæ habet vsum in vita.

Recitaui causas, quæ Aristotelem impulisse videntur, vt Platonis dicta de Ideis exagitaret. Nunc si placet videamus, qua interpretatione Platonis sententia defendi poßit. Plato in sexto de Repub. & in Philebo videtur de Idea sic loqui, vt complectatur notitiam illustrem & firmam virtutis & amorē illius admirabilem ac penè incredibilem, vt in Scipione est firmior notitia, statuens bonum principem debere alijs exemplo prælucere, quàm in Antonio, & hanc notitiam firmam sequitur in corde amor verus, non simulatus castitatis. Quòd si hoc modo intelligatur Platonis sententia, facilè poterit cum Aristotelis disputatione conciliari.

Sed omissa λογομαχία, studiosi meminerint insignem locum Platonis, in quo fatetur quæstionem de fine difficilem esse, ac dicit non esse stabilem assensionem

in

in mente hominis de fine, sed variè agitari assensionem inquit, vt cùm res in vndis motis conspectæ non offerunt se oculis stabiliter. Verba Platonis in sexto de Rep. hæc sunt: Maxima ac præcipua doctrina est gubernatori Idea boni, nec sine ea ciuitates ornari possunt, ac ne quidem satis perspici potest. Item: Omnis anima appetit quoddam vltimum bonum quasi vaticinans aliquod esse. Sed tamen non satis id apprehendere potest, nec firmam de eo habet assensionem, sed ita cernit, vt vmbræ in aqua cernuntur. Hæc Platonis querela bonas mentes de multis magnis rebus commonefacit, de infirmitate & magnis miserijs hominum, & ostendit philosophiam mutilam esse, & quærendum aliud genus doctrinæ de causis & remedijs humanarum miseriarum.

TEXTVS.

ETsi non modò arduum & difficile est, sed etiam odiosum, explicare quæstionem de summo bono, cùm amici quidam de Ideis anteceptas habeant opiniones: tamen [*a*] philosophi est veritaté sic amare & tueri, vt eá beneuolentiæ amicorũ anteponat. Nulla enim res nobis sanctior esse debet, quàm [*b*] veritas perspicua & immota.

[a] Plato in sexto de Repub. describens philosophum, inquit: philosoph⁹ sit natura φίλος καὶ ξυγγενὴς ἀληθείας, id est, amicus & cognatus veritatis.

[b] Pro-

[b]Proſper in ſententijs: Sic diligendi ſunt amici, vt eorum non diligantur errores. Et Lutherus enarrans caput ſecundum Geneſeos præclarè inquit: Elegans & vera ſententia eſt Ariſtotelis in primo Ethicorum, Melius eſſe patrocinari veritati, quàm nimis addictos eſſe ijs, qui nobis familiares & coniuncti ſunt, atque hoc in primis decere philoſophum. Cùm enim ambo nobis chari ſint, veritas & amici, potiore loco veritatem habendam eſſe. Hoc ſi homo ethnicus in ciuilibus diſputationibus faciendū cenſet, quantò id magis faciendum eſt in ijs, quæ manifeſtum teſtimonium ſcripturæ habent, ne hominum authoritatem ſcripturæ anteponamus. Homines enim falli poſſunt. At verbum Dei eſt ipſa ſapientia Dei, & certiſsima veritas. Hæc ille. Meminerint etiā ſtudioſi duo inſignia dicta Lactantij de veritate, quorū prius extat in lib. 3. Inſtitutionum, cap. 13. alterum in Epitome: Non trahamur autoritate cuiuſquam, ſed veritati potius accedamus. Item: Vbiq; cuſtodienda eſt veritas, quæ licet ad præſens ſit inſuauis, tamen cùm fructus eius atque vtilitas apparuerit, non odium pariet (vt ait poëta) ſed gratiam.

Principiò ſatis conſtat [c] autores huius opinionis non conſtituiſſe ideas, vbi locum habet prius & poſterius, eamq; ob cauſam numerorū ideas ſilentio præterijſſe. Res aūt

[c]Primum argumentū refutationis. Diuerſarum ſpecierū non eſt vna communis idea. Sunt autem diuerſiſsimæ ſpecies bonorum. Non eſt igitur vna idea boni.

oſten-

ostendit bonum dici in substantia, & in qualitate, & in relatione. Cùm igitur substantia ordine naturæ antecedat relationem, quæ est accidens, & vt ita dicam, appendix substantiæ, fieri non potest, vt horum sit communis idea.

Deinde quoniam appellationes boni & ent s latissimè [d] vagantur, (Est enim bonum quoddã in substãtia, vt Deus & mẽs, & in qualitate, vt virtutes, in quantitate, vt mediocre, in relatione, vt verbi causa, vtile, in tempore, vt occasio denique in loco, vt victus ratio) manifestũ est non esse communem horum generum ideam. Non enim vagaretur per tot prædicamenta, sed regionibus vnius sese contineret.

[d] Secundum argumentum. Aequiuoci non est vna cõmunis idea. Bonũ æquiuocè dicitur de bono naturali, honesto, vtili, suaui. Ergo nequaquam est communis idea boni.

Præterea cùm vnius ideæ tantũ sit vna [e] scientia, quid obstat, quò minus omnia bonorũ genera ab vna aliqua arte explicentur? Sunt autem multæ scientiæ etiam earum rerum, quæ ad vnum prædicamentum pertinent,

[e] Tertium argumentũ. Diuersorum bonorũ diuersæ sunt artes & diuersa prędicamenta, quia notitię diuersæ sunt. Non est igitur vna idea boni.

nent, vt in aliam occasionem Imperator intentus est, aliam obseruat medicus. Sic alius est gradus mediocritatis in victu, alius in corporis exercitio.

Quæret autem hoc loco aliquis, quid intersit inter [f] imaginē hominis abstractā, & hominē qui oculis conspicitur, cùm eadē definitio vtriusq; naturam explicet.

[f] Plato discernit inter speciem abstractam, quæ est perfecta imago, & aliam vulgarem imaginem. Aliud est enim Platoni αὐτοάνθρωπος, aliud ἄνθρωπος. Sed Aristoteles exagitat & deridet affectationem seu nouitatis seu subtilitatis inanem, ac dicit idē significari his vocibus ἄνθρωπος καὶ αὐτοάνθρωπος. Cùm autem hæ λεπτολογίαι sæpe occurrant in Platone & Aristotele, meminerint studiosi regulā Eustratij, traditam lib. 10. Ethic. cap. 2. Quando Platonici præponunt dictionibus τὸ, aut pronomen αὐτὸ, significant Ideam, vt: τἀγαθὸν seu αὐταγαθὸν, significat Ideā boni.

Eodem modo quæri potest, sitnē vna definitio boni, & an bonum æternum magis sit bonum, quàm fugax & euanescens vmbra boni, sicut longi temporis albedo non est magis color quàm vnius [g] diei albedo.

[g] Euripides. ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ' ἐφήμερος: Felicitas non est diuturna, sed diurna. Et Aristoteles lib. 5. de Animalibus, cap. 19. ait bestiolas quasdam, apud Hypanin fluuiū nasci, quæ vnū diem viuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est, quæ verò occi

dente sole, decrepita, eò magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum breuitate, qua illæ bestiolæ reperiemur.

Itaq; minus absurdè [h] Pythagorici philosophati sunt, qui in serie bonorũ collocarũt vnicum & summũ bonum, quam quidẽ opinionẽ [i] Speusippus iudicio ac testimonio suo comprobauit. Sed de hac sententia alibi fortasse plura dicẽtur.

[h] Pythagoras regnante Seruio Tullio docuit in vltima ora Italiæ, quæ Magna Gręcia vocatur, fuitq́; doctrina eius obscura, plena ænigmatũ, & ad vsum communem minus accõmodata. Et quia arcanos congressus & suos quosdã ritus Pythagorici habuerunt, à Tyrannis deleti sunt.

[i] Speusippus, vt narrat Diogenes Laërtius, filius fuit Eurymedontis, scholæ Platonicæ successor, quam octo annos tenuit, mercede docuit, quod ei Dionysius exprobrauit. Huic adhuc viuenti, sed solutis morbo membris, successit Xenocrates Chalcedonius, charissimus Platoni magistro discipulus, hebeti ingenio, sed seuero, sanctisq́; moribus.

Cæterum in [k] disputatione, quam nũc agitamus, non parum [l] dubitationis relinquitur, cùm multa nõ satis explicatè dicãtur. Affirmant. n. patroni

[k] Redit Aristoteles ad secundum argumentum refutationis, idq́; hoc sensu repetit & vrget: Si vna esset idea bonorum, quæ propter se expetũtur, oporteret omnia, quæ tamen pluri-

idearum, vna idea cōprehendi nō modò bonum, quod propter seipsum expetitur, sed illa etiā, quæ hoc bonū vel efficiunt, vel cōseruant, vel eius impedimenta è medio tollūt.

mū differunt, eadem ratione seu eodē modo dici bona. Sed non est vna ratio boni in sanitate & virtute. Ergo non est vna idea.

[l] Hæreditatum actiones multæ fuerunt. ἀμφισβήτησις, qua quærebatur, quis esset hæres, cùm decessisset aliquis sine liberis, & sine testamento. ἐπιδικασία, cū proximi agnati petebant hæreditatē, etiam si factū erat testamētum, cùm querebātur se iniustè præteritos esse.

Est autem vera & omnibus nota distinctio bonorum, quorum alia propter se expetuntur, alia sunt instrumenta seu adminicula, quæ vsus causa expetuntur. Hac distinctione considerata, tanquam limite conspicuo in regundis finibus, videamus vtrùm omnia genera bonorum in vna imagine includi possint. Quis est autem qui arbitretur, sapientiam, visionem, voluptates & honores in eo gradu bonorum locanda esse, quæ propter se expetuntur, cùm videat illa vsus causa expeti?

Neq; verò difficilis est confutatio eorum qui contrariæ opinionis patrocinium suscipiunt, quiq; rerū ignari [m] vmbris & imaginibus gaudēt. Si enim

[m] Idea est inane vocabulum, cui nulla res subest. Verè au-

hęc, quę modò enumeraui, propter se expetuntur, necesse est vnā definitionem boni singulis perinde accommodatā esse, vt albedinis eadē descriptio est, siue in [n] cerussa, seu in niue extet atq; emineat. Sed constat diuersas esse descriptiones honoris, sapientię & voluptatis, quod ad boni rationem attinet. Quare non est vna idea boni.

tem dixit Demosthenes: Omnis oratio, cui nulla res subest, vana & irridenda videtur.

[n] ψιμμύθιον Græci, Cerussam latini, Bleyweiß Germani vocant. Et hæc plumbum est aceti acerrimi halitu in candidū pollinem resolutum. Eadē si vratur donec rubescat, colorem gignit qui Sandix appellatur, quem Vergilius intelligit cùm ait, Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Etsi autem bonum de multis dicitur, tamen id fit quadam conuenientia, quæ est æquiuocatio consultò facta, nec est [o] æquiuocatio fortuita. Vt enim in corpore est visus, ita in anima est mens. Sed hæc omittamus cùm in alia philosophiæ parte subtilius exquirenda sint.

[o] Duplicia sunt æquiuoca. Alia vocātur æquiuoca à casu, id est, fortuitò nata, vt idem nomen fucus significat insectum & cerussam. Alia vocantur à consilio, quæ sunt arte facta propter similitudinē, vt metaphoræ & aliæ vicinę figuræ, vt sceptrum pro regno, fasces pro imperio. Causam verò

vtriusq; æquiuocationis Seneca in libro secundo de beneficijs explicat, cùm inquit, Ingens copia est rerum sine nomine, quas non proprijs appellationibus notamus, sed aliunde cõmodatis, quia pedẽ & nostrũ dicimus, & lecti, & veli, & carminis. Canem & venaticum, & marinum, & sidus, quia non sufficimus, vt singulis singula assignemus, quoties opus est, mutuamur.

Porrò si Idea est bonũ à singularibus [p] separatum, nullũ habet vsum in cõmuni vita, nec mediocri conatu obtineri potest. Nunc autem non plus requirimus, quàm quantum mediocris homo præstare & efficere potest.

[p] Quartum argumentum: In philosophia quęritur bonum posſibile. Idea Platonica est impoſsibilis. Ergo frustra quęritur.

Quanquam autem non potest effici idea illa, tamen cognitio eius vtilis est, vt ad eam consilia & actiones dirigantur. Quòd si in hanc sententiam disputatio de idea accipiatur, non omnino absurda erit. Verùm ab artibus [q] dissentire videtur talis disserendi ratio. Etenim omnes artes bonum aliquod appetentes, & ea quæ vitę hominum desunt studiosè inuestigantes, boni illius cognitionem negligunt. Neque verò consentaneum est, tantum adminiculum ab omnibus artificibus

[q] Aristoteli displicuit illa vox Platonis in 6. de Rep. Non posse ornari ciuitates sine Ideæ consideratione.

ficibus aut ignorari aut non inquiri. Et quia est paratu difficile, haud sanè intelligo, quem fructum vtilitatis afferat textori aut fabro suam artem exercenti. Ac vt maximè eius cognitione & contemplatione aliquis excellat, non tamen propterea aut medicus aut imperator præstantior euadet. Cùm enim agens versetur circa singularia, non sufficit ei cognitio vniuersalis imaginis, sed singularia cognoscenda sunt, vt medico non satis est cognoscere quid sit sanitas, sed quæ sit huius corporis sanitas. Sed hæc quidem hactenus.

CAPVT VII.

Argumentum.

TRES *sunt loci in capite septimo. Primus distinguit fines medios ab vltimis, vt victoriæ finis medius est pax, vltimus est conseruatio veræ religionis & honestæ disciplinæ.*

Secundus locus quærit ex gradibus actionum in homine, quæ sit beatitudo seu finis nostræ naturæ. Vtitur autem hac erudita demonstratione, quæ confirmat virtutem esse finem. Propria actio cuiusq; naturæ est eius finis. Actio virtutis est propria hominis. Ergo est finis. Hæc demonstratio fit illustrior adiecta mentione Dei. Cùm enim solus homo inter visibiles naturas Deũ intelligat, & sciat quomodo ei obediendum sit, imò etiã

norit, hanc obedientiã esse præstantius bonum, quàm ea quæ sunt communia cum pecudibus, non dubium est omnes bene moratos homines fateri, hoc proprium decus hominis, & hanc quasi copulationem cum Deo maius esse bonum, quàm voluptatem corporis.

Tertius locus repetit admonitionem suprà traditam videlicet non semper demonstrationes in Ethicis quærendas esse.

EXPLICATIO PRAECIPVAE QVAESTIONIS IN primo libro Ethicorum, de FINE hominis.

ETSI multis displicet ea ratio enarrandi Aristotelem, in qua conferuntur genera doctrinarum, & philosophicis sententijs interdum correctio additur: tamen nos in scholis Christianis ideo discimus philosophiam, vt consideremus quodnam sit iudicium rationis de natura rerum & de moribus, & quatenus cum doctrina cœlesti congruat aut non congruat. Ac si verè iudicare volumus, res ipsa ostendet, summam hominis sapientiam esse in hac mortali vita dextram collationem & distinctionem philosophiæ & doctrinæ cœlestis, & philosophiam valde illustrari admota face Euangelij, & vtrunq; genus doctrinæ hac collatione fieri gra-

gratius. Quæ cùm ita ſint, non pudebit nos eius operæ ac ſtudij, quod ponimus in comparandis & diſcernendis ſententijs de fine bonorum ſeu de ſummo bono, quarum aliæ ex ſcholis philoſophorum prodierunt, aliæ ex fontibus Iſraël hauſtæ hortulos Eccleſiæ ſuauiter irrigant.

Eſt igitur ſecundum legem Dei ſine vlla dubitatione finis hominis, Deum verè agnoſcere & celebrare hac obedientia, quam lex poſtulat. Secundum Euangelium finis hominis eſt, agnoſcere Deum, & filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & acceptis beneficijs Chriſti celebrare Deum hac obedientia, quam præcepit. De hoc fine Ioannis 17. dicitur, Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum.

Congruit autem cum legis diuinæ iudicio vera philoſophia, & ſecundum rectum iudicium rationis prorſus idem finis eſt hominis, qui eſt ſecundum legem Dei, ſcilicet agnoſcere Deum, & celebrare eum obedientia, quam ſanxit in diſcrimine honeſtorum & turpium, quod nobis impreſsit. Sed ratio ſine luce Euangelij non nouit Chriſtum. Ideo philoſophicus finis non congruit cum Euangelico, ſed tantùm cum legis doctrina.

Dixi, quomodo de principali fine homi-

nis iuxta legem Dei, Euangelium & philoſophiam ſentiendum ſit, id eſt, quid præcipuè appetendum ſit.

Deinde gradus rerum appetendarum intelligendi ſunt. Primum locum habet præcipuus finis. Poſtea opus eſt homini vita, facultatibus, multis naturæ & fortunæ bonis, quæ ſunt adminicula actionum, & diuina ordinatione comitari virtutem præmia debent. Rectum eſt igitur & hæc bona externa appetere, ſed ordo ſeruetur, ne anteferantur Deo & virtuti. Ideo & Chriſtus iubet petere panem quotidianum. Quia verò non ſemper comitantur præmia virtutem, ſed boni ab iniuſtis opprimuntur, mirantur multi vnde ſit hæc confuſio, & doctrinam de finibus conturbant, & in vniuerſum Ethicen delent. Etſi igitur philoſophia has quæſtiones de finibus & de cauſis calamitatum non ſatis explicat: tamen quando ſententiæ philoſophorum conferuntur, vera eſt hæc Ariſtotelica, quæ affirmat virtutem eſſe præcipuum finem, non voluptatem, & falſa eſt Epicurea, quæ affirmat voluptatem eſſe præcipuum finem.

Confirmatio Ariſtotelicæ ſententiæ, quam & ſuprà recitaui, hæc eſt: Propria cuiuſque naturæ actio eſt eius finis præcipuus. Actio ſecundum rectam rationem, obtemperans

diſcri-

diſcrimini honeſtorum & turpium, eſt propria hominis. Ergo hæc actio eſt præcipuus finis.

Secunda confirmatio. Actio neceſſaria & ſancita immutabili lege, & anteferẽda omnibus appetitionibus, eſt præcipuus finis. Lex naturæ ſeu ratio naturalis immota affirmat neceſſariò obediendum eſſe Deo, ſecundum diſcrimen honeſtorum & turpium, ſiue ſequantur voluptates, ſiue non ſequantur. Ergo hæc obedientia eſt finis præcipuus.

Tertia confirmatio. Illud non eſt finis præcipuus, quod plæraſque virtutes euerteret, ſi anteferendum eſſet virtuti. Voluptas autem euerteret multas virtutes, imò totius ſpeciei ſalutem, ſi anteponeretur virtuti. Ergo voluntas non eſt finis. Minorem ſic confirmat Cicero in quarto Academicarum quęſtionum: Epicurum ſi ſequare, multa ruunt, & maximè communitas cum hominum genere, charitas, amicitia, iuſticia, reliquæ virtutes, quarum eſſe nulla poteſt, niſi erit gratuita. Nam quæ voluptate, quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non eſt virtus, ſed fallax imitatio ſimulatioq; virtutis.

Quarta confirmatio. Illud eſt finis præcipuus, quod præcipuè mouet agentem. στοργαὶ φυσικαὶ mouent ſine ratione vtilitatis, vt pater amat ſobolem non ſuæ vtilitatis cauſa.

Ergo

Ergo voluptas non eſt finis, ſed ipſæ ſtorgæ & virtutes ſine ratione vtilitatis. Hæc confirmatio extat apud Ciceronem in 5. de Finibus.

Poſſent & plures addi rationes eandem ſententiam confirmantes, qualis eſt illa, Virtus magis eſt poſita in noſtra electione, quàm fortuna. Sed quia ſunt obſcuriores, relinquo eas, & ad refutationem argumentorum Epicuri accedo.

REFVTATIO ARGVMENTORVM EPICVRI.

CONTRA hanc veram ſententiam acerrimè contendit Epicurus, Voluptatem eſſe finem, & né in vocabulo ſit error, vocat voluptatem eſſe ſine cruciatu cordis aut aliorũ membrorum, id eſt, vitæ ipſius conſeruationem, ſeu incolumitatem, & motiones ſeu actiones, quantum fieri poteſt, vacantes cruciatu cordis & aliorum membrorum.

Fons autem erroris Epicuri eſt contumacia cordis, in quo magna confuſio eſt appetitionum diſsidentium à iudicio rationis. Finem igitur homini Epicurus attribuit non congruentem iudicio rationis, ſed illi contumaciæ cordis, quod appetit voluptates ſine ordine.

Cùm

Cùm autem philoſophia ignoret, vnde ſit hoc in homine diſsidium, & putet omnia, quæ ſunt in hac imbecillitate naturæ, bona eſſe, difficile eſt ignaris Euangelij perſpicuè argumenta Epicuri diluere. Sed explicatio facilis eſt ijs, qui vtrunque genus doctrinæ mediocriter intelligunt, philoſophiam & Euangelium.

PRIMVM argumentum Epicuri: In qualibet natura illud eſt finis, ad quod natura vltro fertur & non coacta. Ad voluptatem pręcipites feruntur homines, ad virtutem vix cogi poſſunt. Ergo voluptas eſt finis.

Solutio.

In philoſophia difficilis eſt reſponſio, quia maior vera eſt, & debebant homines magno impetu ad virtutem ferri, & congruere iudicium mentis & appetitiones cordis debebãt. Nobis verò in Eccleſia facilis eſt ad minorem reſponſio, videlicet quòd ſit fallacia accidentis. Fit enim per accidens, quòd natura humana in hac corruptione non obtemperat rationi. Nam ſi natura eſſet integra, mentis iudicium eſſet firmius, & concordia eſſet omnium virium cum recto iudicio. Tota igitur natura magno impetu ad virtutem ferretur. Cæterum philoſophi negare poſſunt minorem, quia fallacia eſt à dicto ſecũdum quid ad di-

ad dictum simpliciter. Non enim tota natura fertur ad voluptaté, sed mens ante factum & post factum repugnat. Nam post delicta sequuntur tristißimi cruciatus. Impoßibile est autem, finem naturæ eam rem aut actionem esse, quam natura tota post factum horribiliter auersatur, & potius non esse mallet, quàm sustinere conspectum eius facti. Vt Dauid mallet non esse, quàm sustinere cogitationem sui lapsus. Hæc solutio manifestißimè refutat Epicureos, ac ostendit non ferri totam naturam ad voluptatem principaliter.

SECVNDVM. Natura maximè appetit conseruationem sui. Voluptas est conseruatio naturæ hominis, virtus destructio, sicut Papinianus interficitur propter iusticiam. Imò omnes homines franguntur contentione laborum. Ergo voluptas est finis hominis.

Solutio. Nego minorem, & ratio est, quia est fallacia accidentis. Nam quòd voluptas vtcunq; est conseruatio indiuidui, hoc fit per accidens. Econtra virtus per sese est conseruatrix naturæ, quia neminem lædit, & tuetur alios. Voluptas verò multipliciter lædit alios, non suscipit labores pro communi defensione. appetit alienas opes & coniuges. Quòd autem virtus non est conseruatio naturæ, fit per accidens, id est, propter aliorum maliciam,

ciam, vt virtus Senecæ non eſt per ſe cauſa quòd Seneca interficitur, ſed iniuſta cupiditas & crudelitas tyranni, qui eſt hoſtis virtutis. Item: Virtus eſt conſeruatio ſpeciei, quia omnes labores honeſtorum hominum directi ſunt ad conſeruationem communis ſocietatis. Econtra voluptas diſſipat vniuerſam ſpeciem, cùm priuatim errantibus cupiditatibus quiſque obtemperat. Ac monet hæc ſolutio, priuatis bonis communem ſalutem anteponendam eſſe.

TERTIVM. Finis debet eſſe vltimum, in quo natura acquieſcat, ita vt non requirat præterea alia. Natura adepta virtutem recto & legitimo appetitu tamen appetit voluptatem, hoc eſt, incolumitatem & conſeruationem. Ergo virtus non eſt vltimum bonum.

Solutio. Minor eſt neganda, quia eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam. Etſi enim natura hominis adepta virtutem vlterius appetit incolumitatem: tamen non appetit tanquam ſummum & præcipuum bonum, in quo acquieſcat principaliter, ſed appetit vt bonum vtile, quod ratio intelligit eſſe quidem neceſſarium, ſed collocat inferiore gradu, nec eſt præſtantius virtute, nec virtus abijcienda eſt, etiamſi illa bona detrahantur, quæ iuſtè debentur virtuti, vt Camillus

lus iudicat benefaciendum esse patrię, etiam si non respondent præmia.

QVARTVM. Duo bona coniuncta sunt magis expetenda. Virtus & voluptas sunt duo bona coniuncta: Nam hęc Epicurus vult cõiungi. Ergo virtus & voluptas sunt finis, & non virtus sine voluptate.

Solutio. Maior est vera, seruata vtriusque boni dignitate, seu ordine seruato, hoc est, si virtus intelligatur præstantius bonum, & propter se expetendum, voluptas autem ita expetatur, vt si non contingat, tamen retineatur principale bonum. Sed non seruato ordine bonorum maior non est vera, cùm videlicet principale bonum extinguitur. Estq; fallacia secundum non causam vt causam. Epicurus autem non seruat ordinem bonorum, sed ita sentit voluptatem esse vltimum, vt nolit virtutem expeti, si non plærunque sequatur voluptas. Mutato igitur ordine voluptatem anteponit. Ergo hæc copulatio non efficit maius bonum, sed extinguit virtutem. Hæc est vera responsio ad hoc argumentum, quæ ostendit posse quidem expeti coniuncta bona, sed ita, ne amplectamur pro principali aliud inferius minus principale.

Respondi ad præcipuas obiectiones Epicuri, qui affirmat voluptatem esse summum

bonum,

bonum, & his responsionibus consideratis intelliguntur fontes controuersiæ, quæ oritur ex dissidio virium hominis, quod secutum est lapsum primorum parentum.

TEXTVS CAPITIS VII.

NVNC ad institutum reuertamur, & quale sit summum bonum consideremus. Videntur enim in singulis actionibus & artibus singula inesse bona, vt medicæ artis summum bonum est, sanitas: Imperatoriæ, victoria: Architectonicæ, domus. Actionis verò moralis & liberæ electionis summum bonum est [a] finis, propter què alia omnia suscipiuntur. Itaq; si omniũ consiliorum & negociorum vnus duntaxat finis est, non dubium est quin huic appellatio boni moralis tribuenda sit. Sin autem plures sunt fines, ad hos eadem appellatio transferenda est.

[a] Cicero 1. de Legibus: Finis bonorum est, quò referuntur, & cuius causa sunt facienda omnia.

Et quoniam in hunc sermonem de finibus ingressi sumus, experiamur si possimus discrimina finium illustrius proponere. Cùm multi sint fines bonorum, & in his quidam

non propter se expetantur, vt diuitiæ, tibiæ, & similia instrumenta, manifestum est non omnes esse perfectos. At bonum summum & maximum ex omni parte absolutum esse debet. Quare si vnum quiddam eiusmodi est, illud ipsum est quod quærimus. Sin autem plura sunt perfecta, haud dubiè perfectißimum, quod habet omnes partes, & omnium partium summos gradus, cæteris anteponendum erit. Vocamus autem perfectum, quod propter se expetitur, nec ad aliud refertur, quo in genere videtur esse beatitudo. Hanc enim semper propter se expetimus, nunquam autem aliorum causa. Honorem verò & voluptatem, & mentem atque omnem virtutem, cùm propter se diligimus, tum vel maximè propter beatitudinem, quia ad bene beateq; viuendum pertinent.

Et porrò firmißimum hoc afferri videtur, cur beatitudinem perfectam esse credamus, quòd seipsa contenta sit, & omnibus bonis referta. Nam perfecto bono ex seipso apta sunt omnia, quæ ad beatè viuendum ferunt. [b] Sufficiens verò nominamus, quod non tantùm vni solitariam vitam agenti necessaria suppeditat, sed & parentibus

[b] Hæc vox aliàs ad rem, aliàs ad personã refertur. Cùm de re dicitur, significat affluentiam & copiam omnium rerum, quæ ad beatè viuendum fe-

&li-

& liberis, & coniugi, denique amicis & ciuibus, cùm [c] homo ad societatem natus sit. Sed modus quidã seruetur in exercenda beneficentia, ne in immẽsum exeat. Nemo enim potest sua bona communicare omnibus posteris & amicis, qua de re infrà rursus dicetur.

runt. Sic Plato in definitione Dei inquit, Deus est mens æterna, causa boni in natura, καὶ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν, id est, cui oĩa ex seipsa apta sunt ad optimè viuendi rationẽ. Sic Cicero in quinta Tusculana Stoicum dogma interpretatur, ὅτι ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν αὐτάρκης, id est, ad beatè viuendum virtutem seipsa esse contentam. Cùm autem ad personam seu affectum refertur, significat talem animum, qui contentus est mediocribus commodis huius vitæ, & non habet vagas & infinitas cupiditates. Hac significatione vtitur Paulus 1. Tim. 6. Magna opulentia est pietas μετ' αὐταρκείας. Et Philip. 4. dicit, Ego didici αὐτάρκης εἶναι.

[c] Hæc sententia est principium doctrinę politicæ, quam Aristoteles in primo Politicorum, & Cicero in tertio de Finibus copiosè explicant. Quòd enim homo, inquit Aristoteles, natura aptus sit ad cœtus, consilia, ciuitates, hinc perspicuum est, quia homini sermo datus est, cuius vsus non est nisi in societate. Natura autem nihil facit frustra. Quòd pręterea nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidẽ voluptatum abundantia, facilè intelligitur nos

ad cōiunctionem cōgregationemq́; hominum, & ad naturalem communitatem ėſſe natos. Eſt igitur cauſa humanæ ſocietatis non tantū indigētia, ſed multò magis ϛοϱγή. Vt enim apum examina nō fingendorum fauorum cauſa congregantur, ſed cùm congregabilia natura ſint, fingunt fauos: ſic homines, ac multò etiam magis, natura congregati adhibent agendi congregandiq́; ſolertiam.

Summa igitur concluſionis hæc eſt: ſufficiens eſſe id, quod ſolum efficit vitam, qua nihil eſt optabilius, nihil omnibus bonis affluentius. Talis autem ſtatus, cui nihil [*d*]deeſt, iure beatitudo appellatur.

[d] *συναριθμουμένην, cum alijs bonis coniunctum)* Cic. lib. 1. Acad. quæſt. Omnis illa antiqua philoſophia ſenſit in vna virtute eſſe poſitam vitam beatam, nec tamen beatiſsimā, niſi adiungerentur bona & corporis & cætera ad virtutis vſum idonea.

Hoc igitur probè ſtabilito & fixo, illud excutiendū eſt, vt ſciatur, quæ res ſit beatitudo. Ad huius quæſtionis explicationem facilior erit aditus cōſideratis actionibus naturæ humanæ. Quemadmodum enim in qualibet re actio propria eſt eius finis: ita hominis finis eſt præcipua naturæ noſtræ actio. Non enim fruſtra homo conditus eſt, ſed vt alijs rebus longè inferioribus certæ actiones attributæ ſunt, ita homini propria quædam actio aſsignata eſt, in qua vim ſuam poſsimùm exerat.

rat. Quæ eſt igitur hæc nobiliſsima actio, diſcernens hominem ab alijs naturis? Primus quidem gradus, qui actiones vegetatiuæ potentiæ continet, communis eſt cum plantis. Secundus, qui actiones ſenſuum complectitur, communis eſt cum brutis. Reſtat ergo tertius gradus rationis, ſeu mentis & voluntatis. Vt enim mens rectè iudicat, ſic voluntatis eſt recto [*e*] iudicio rationis obtemperare.

[e] Etſi in fine primi libri Ethicorum de gradibus potentiarum animę dicendum erit: tamē hic locus non poteſt intelligi, niſi conſideretur, quæ potentiæ quomodo regendæ ſint. Primùm igitur ſciendū eſt, voluntatē in ſuprema potentia rationali ſic conditā eſſe, vt habeat libertatē, & ſit rectrix aliarū facultatum, quæ rationi obtemperare poſſunt. Deinde duæ ſunt potentiæ, quæ regi poſſunt, Appetitiua in corde, & Locomotiua. Reguntur autem diſsimilibus modis. Locomotiua obtemperat vt ſerua, ſeu vt brutum, etiamſi non oſtenditur cauſa bona vel mala. Sed cor non obtemperat ſine perſuaſione, id eſt, ſine oſtenſione boni alicuius, & obtemperat non vt ſeruus, ſeu vt brutum, ſed perſuaſione motum, vt ſapientes & liberi ciues. Conſideranda autem ſunt hęc diſcrimina, de quibus ſuo loco pluribus dicam, vt nos ipſos ad curam regēdarum potentiarum exuſcitemus.

Boni viri, σπουδαίου ἀνδρὸς) σπουδαῖον eſt habere virtutes, vt inquit Ariſtoteles lib. 1. Magnor. moral. τὸ σπουδαῖον εἶναι, τὸ τὰς ἀρετὰς ἔχειν. Cic. 3.

Finibus: Vt histrioni actio, saltatori motus non quiuis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet, quod genus conueniens consentiénsque dicimus.

Ad hunc gradum propiè pertinet beatitudo. Est igitur beatitudo actio rationis in homine, neque verò id solùm, sed etiam actio secundum virtutem, hoc est, ea quæ recta ratione discernente honesta & turpia gubernatur, & quidem secundum omnes virtutes, aut præcipuas & confirmatas, & in [f] vita perfecta. Vt enim vna hirundo nõ facit ver, sic optimè viuendi ratio non vno aut altero die cõparatur.

[f] Tria sunt membra in definitione beatitudinis. Primum est genus, videlicet actio rationis in homine. Etsi enim apes miranda opera instinctu naturæ efficiunt & simulachra virtutum habent: tamen apes non dicuntur beatę, quia mentis & rationis expertes sunt. Alterum membrum est differentia, Actio scilicet rationis secundum virtutem. Hæc differentia necessariò adiecta est generi. Vt enim Musicæ finis est rectè & certa quadam arte canere, non stridenti stipula miserum disperdere carmen: Sic in ratione quærenda est actio directa ad certam normam. Hanc verò normam actionum rectè quærit philosophia in notitiis naturalibus, quæ sunt radij diuinæ sapientiæ sparsi in mentes humanas, vt ostendant quæ actiones cum diuina mente congruant,

ant, quæ non congruant Postremò additum est tertium membrum, non frustra nec temere, sed graui consilio: Secundum omnes virtutes, aut præcipuas & confirmatas, & in vita perfecta seu in ætate quæ iam maturuit. Etsi enim rara est perfectio & copulatio omnium virtutum: tamen vir bonus est qui habet virtutes maximè necessarias, cuiusmodi sunt, pietas, iusticia, castitas, veritas. Deinde sapienter discernit Aristoteles actionem & habitum. Etsi enim iustè fecit Cambyses, puniens iniustum iudicem Sisamnē, cui cutem detraxit, eamq́; instrauit tribunali: tamen non propterea iustis principibus annumerandus est Nam bonus seu iustus princeps est, qui habet studium rectè faciendi, & plærunque rectè facit, etiamsi interdum labitur. Sed cur requirit ętatis maturitatem, & vt ipse loquitur, vitam perfectam? Quia impediunt iudicium ætatis infirmitas & imperitia. Est enim iuuentus minus perspicax & minus intenta, & vt audacior est, ita iudicium præcipitat. Exemplum iuuenilis & temerarij iudicij recitat Xenophon de Cyro adolescente. Cùm puer grandior indutus breuiori tunica, eripuisset vi iuniori longiorem tunicam, data breuiori, res ad Cyrum iudicem defertur. Cyrus pronunciat magis conuenire longam vestem grandiori, & hunc retinere eam iubet. Hîc inquit Xenophon Cyrum plagas à magistro accepisse, qui monuerat æquū esse, non quod nobis videtur, sed quod lex sanxit, legem autem pręcipere, vt suum quisque teneat.

Sit igitur hæc qualiscunque descriptio beatitudinis. Prius enim extrema lineamenta du-

ta ducenda ſunt, quàm viui colores addantur. Etſi autem non difficile eſt membra huius definitionis oratione illuſtrare: tamen optimus interpres eſt & monitor ipſa experientia, quæ omnibus artibus præcipuum lumen affert.

Hîc etiam repetenda videtur admonitio, quam ſuprà tradidi, ea videlicet non eſſe omnia exiliter & exiguè ad calculos vocanda, ſed habendam eſſe rationem propoſitæ materiæ & artis, in qua verſamur, vt verbi cauſa, aliter de recto angulo faber diſputat, aliter Geometra. Ille enim ad ſuum opus ſine exquiſita doctrina angulum accommodat. Hic autem, cùm ſit veritatis ſtudioſus, accuratius de eo diſſerit. Idem omnino in cæteris artibus faciendum eſt, ne ſint plura [g] acceſſoria, quàm neceſſaria.

[g] Semper hanc regulã meminerimus, eámque in omni ratione ſtudiorum & vitæ ſequamur: Vt enim in tota vita pręcipua eſt ſapientia, neceſſaria facere, ita & in ſtudijs prima ſit cura, vt neceſſaria diſcamus. Huius regulæ teſtes ſunt, ſapiẽs hiſtoricus Thucydides, qui ſcripſit, κράτιςον εἶναι ἐν ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεσθαι. hoc eſt, diſcenda eſſe maximè neceſſaria. Et Seneca cùm inquit, Neceſſaria ignoramus, quia non neceſſaria didicimus.

Proinde non ſunt vbique cauſæ quærendæ, ſed interdum in nudis præceptis acquieſcen-

ſcen-

ſcendum eſt, vt principia non demonſtrãtur, ſed cùm natura nota ſint declarantur, vel [h] inductione, vel ſenſu, vel aſſuefactione. Danda eſt aũt opera, vt principijs dextrè vtamur, eaq́; accommodemus ad ſententias, de quibus loquuntur. Hæc enim docẽdi ac diſcẽdi conſuetudo tantam habet vim, vt plus ſit quàm [i] dimidium totius.

[h] Etſi omnia principia naturali luce cernuntur: tamen alia aliter declarantur. Nã ſpeculabilia inductione exemplorum congruentiũ illuſtrãtur. Practica verò ipſo vſu fiunt conſpectiora, vt quantum boni ſit in temperantia nemo rectius intelligit, quàm qui hanc virtutem exercet.

[i] Ariſtoteles magna cum venuſtate ad laudationem principiorum accommodat dictum, Principium dimidium totius, & addit, has ἀρχὰς plus eſſe quàm dimidium totius. Vult enim diſcentes ad fontes doctrinarum deducere, quia in qualibet doctrina plurimum refert rectè cognoſcere initia & fontes, ex quibus conſilia vitæ & artium præcepta hauriũtur.

CAPVT VIII.

Argumentum.

QVINQVE *propoſitiones ſummam huius capitis contin.nt, quarum prima oſtendit conſenſum re-*

ctè iudicantium de beatitudine. Altera docet beatitudinem esse habitum, non quidem otiosum, sed efficacem. Tertia recitat hanc sententiam iucundissimam esse virtutis actionem, vt de AEacidis Hesiodus inquit, AEacidæ bello magis quàm conuiuio gaudebant. Sic Achilles interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset omnium maximos ac difficilimos labores, respondit, susceptos pro amicis, cumq́; pergeret Aiax interrogare, quos omnium iucundissimos sustinuisset, rursus Achilles, eosdem, inquit, significans bono viro nihil dulcius esse, quàm seruire communi vtilitati, vt Musico nihil dulcius est eruditissimis artis suæ exercitijs. Quarta monet, normam virtutis esse rectam rationem, id est, legem naturæ, quæ est notitia principiorum practicorum, vt alibi copiosè dicitur. Quinta propositio affirmat, corporis & fortunæ bonis tanquam adminiculis & ornamentis vitæ beatæ opus esse. In his quinq; propositionibus summa capitis octaui versatur.

DE APPELLATIONIBVS BONI ET MALI.

CVM in prima propositione Aristoteles recitet partitionem bonorum traditam à veteribus, vt declaret se non gignere nouas & monstrosas opiniones, sed amplecti consensum omnium qui rectè philosophantur, de Stoica imaginatione aliquid dicendum

eſt, quæ affirmat ſolam virtutem eſſe bonum.

Stoici in conſtituendo fine magis verbis quàm rebus diſſentiunt ab Ariſtotele. Litigant enim Sophiſtæ de vocabulo, cùm contendunt ſolam virtutem eſſe bonum. Nolunt autem vocari bona res vtiles, vitam, bonam valetudinem, pecuniam, ſed nominant προηγμένα, id eſt, prælata, Decet autem, vt ſæpe dictum eſt, bonas mentes fugere λογομαχίας. Ideo reiecta cauillatione Stoica, conſideremus vbi & quo diſcrimine boni & mali appellationes vſurpentur in ſermone Eccleſiæ & in philoſophia.

Bonum in philoſophia generaliter ſignificat aliquid conueniens illi naturæ, cuius eſt bonum, hoc eſt, ordinatum ad eius naturæ integritatem & conſeruationem, non ad deſtructionem. Duplex eſt igitur bonum iuxta philoſophos, Bonum naturale & bonum morale.

Bonum naturale eſt res conueniens ad conſeruationem naturæ, ſeu ordinata ad bonum vſum, vt cibus, potus, bona valetudo, opes, imperia. Ita Phyſicus bonas res vocat elementa, vt Pindarus dixit, optimam rem eſſe aquam, quia omnes res aluntur humore.

Bonum morale eſt actio intelligentis & liberæ naturæ, congruens cum recto iudicio ratio-

rationis, quod ideo rectum dicitur, quia est lux diuinitus insita mentibus, congruens cum mente diuina. Talia bona sunt tantum virtutes & virtutum actiones, & vocantur propriè bonum honestum.

In sermone Prophetico & Apostolico bonum tripliciter vsurpatur.

Primùm generaliter significat rem conditam à Deo, & suo loco placentem Deo & ordinatam ad certos vsus seu fines, quos Deus approbat. Ita Gen. 1. dicitur, Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona, id est, Deo placentia suis gradibus, & ordinata ad certos vsus.

Secundò bonum significat ἀδιάφορον, id est, concessum lege Dei. Sic Paulus 1. Cor. 8. inquit, Bonum est homini non comedere carnem, id est, concessum lege Dei. Et 1. Cor. 7. Bonum est homini non tangere mulierem, id est, concessum est manere in vita cœlibi. In hac significatione bonum opponitur prohibito.

Tertiò bonum significat actiones virtutis, quas Deus præcipit, seu cultus à Deo præceptos, qui vocantur bonum, quia sunt quiddam Deo placens & à Deo ordinatum, vt Micheæ 6. dicitur: Bonum est facere iudicium, diligere misericordiam, & timere Deum.

Iam

Iam è regione considerandum est, quàm variè vsurpetur appellatio mali.

Malum naturale significat philosophis rem non conuenientem naturæ, seu pugnantem cum ordine naturæ, vt morbi sunt mala corporis.

Malum morale est turpe non congruens cum recto iudicio mentis.

At in sermone Prophetico & Apostolico maior varietas est appellationum. Sed tamen in genere sic describi potest. Malum est destructio ordinis diuini, & naturæ diuinitus conditæ, non condita à Deo. Hæc descriptio complectitur peccata & mortem & alias calamitates. Est autem duplex.

Malum culpę est actio vel habitus pugnans cum lege Dei, quod malum nominamus vitium & peccatum, idq; Deus non solùm non condidit, sed nec vult etiam, nec approbat, imò verè auersatur & odit, vt scriptum est, Non volens Deus iniquitatem tu es.

Aliud nominatur malum pœnæ, quod est destructio naturæ sequens culpam, nec pugnat cum lege Dei, vt mors, morbi, & multæ calamitates. Etsi autem hæ destructiones, non sunt res conditæ à Deo: tamen Deus, cùm sit iustus, non vult seruare sine pœna naturam ab ipso auersam. Ita cùm damnet culpam, sinit extingui naturam à se desertam, & vult

pœnam

pœnam propter iuſticiam. Ideo malum pœnæ Deus velle dicitur & approbare propter iuſticiam. Ad hanc ſpeciem propriè pertinet dictum, Non eſt malum in ciuitate, quod non fecit Dominus, id eſt, nulla pœna cogitari poteſt, qua Deus non caſtigauerit populum.

Poſtremò malum ſignificat materiam, id eſt, rem nocentem, vt res venenatæ re ipſa ſunt bonæ creaturæ Dei, & tamen dicuntur malæ, quia nunc in hac hominum mortalitate ſunt exitio homini. Ita in Eſaia dicitur, Ego ſum Deus creans bonum & malum, id eſt, res iuuantes & nocentes.

Hanc ſignificationum varietatem obſeruare prodeſt, vt videamus ſingulis locis, quæ ſit vocabuli interpretatio. Neceſſe eſt enim vitare harum ſignificationum confuſionem.

Cæterùm gradus bonorum diſcernendi ſunt. Summus gradus eſt Bonum honeſtum, quod eſt actio vel virtus congruens cum recto iudicio rationis.

Bonum vtile, quod iuuat conſeruationem naturæ, vitam & vitæ neceſſaria, vt cibus, veſtis, domus, aut quod propter iſta expetitur, vt pecunia.

Bonum ſuaue, quod congruit cum aliqua natu-

naturali & ordinata appetitione, vt cùm bibens in siti delectatur potu.

Etsi autem primus gradus anteferendus est reliquis gradibus, vt docet primum præceptum Decalogi: tamen & cæteros gradus suo loco & ordine expetere rectum est, Quia etiam vtilia & suauia sunt res bonæ à Deo nobis donatæ & promissæ.

His fundamentis cognitis, perspicuum est errasse Aristonem Chium, qui nihil dicebat esse bonum, nisi solam virtutem, cætera vitam & mortem, bonam & malam valetudinem, dicebat paria esse. Cùm igitur ordinem & delectum rerum sustulerit, naturam euertit, & corrumpit multarum virtutum exercitia. Huius duritiem Stoici correcturi, retinent hoc paradoxon, Solam virtutem bonum esse. Deinde verò vt aliquem delectum rerum retineant, vtilia vocant προηγμένα, id est, prælata. Ita verbis tantùm ab Aristotele dissentiunt. Nos verò reiecta vocis Stoicæ nouitate, sequamur consuetudinem loquendi vsitatam & Deo & hominibus sapientibus omnium temporum.

TEXTVS CAPITIS VIII.

HActenus ex gradibus humanarum actionum conclusionem extruximus de beatitu-

titudine. Nunc si placet, [a] dicta veterum de hac sententia audiamus. Vt enim verũ vero [b] consonat, sic mendaciũ veritati aduersa fronte repugnat.

[a] Eustratius. Vsitatum est Aristoteli, expositis demõstrationibus ad confirmandam negocij certitudinem, recitare nõ modò sapientum opiniones, sed etiam vulgi naturales notitias. Ἔθος Ἀριστοτέλει μετὰ τὰς ἀποδείξεις, ὡς πλείονα πίστιν τῶν πραγμάτων ἐπάγειν, καὶ τὰς τῶν σοφῶν δόξας, καὶ τὰς τῶν πολλῶν αὐτοφυεῖς συγκαταθέσεις.

[b] Cicero 4. Acad. Plura vera discrepantia esse non possunt.

Sunt autem tria genera bonorum, alia quæ vocamus externa seu fortunæ, nonnulla corporis, quædam animi. Neque verò dubium est, quin ea quæ ad animum pertinent, cæteris maiora & præstantiora sint, cuiusmodi sunt actiones animi, de quibus paulò antè diximus. Cùm igitur vetus sit opinio, & multorum philosophorum firmata consensu, beatitudinem esse actionem virtutis, haud sanè intelligo, quid in hac sententia absurditatis relinquatur. Congruit enim cum eo quod dicitur, beatum bene viuere & præclarè agere. Itaque beatitudo nominari potest bene viuendi ratio & actio præclara. Eodem pertinent & reliquæ opiniones de beatitudine, quæ etsi verbis dissonant, tamen

men reipſa concinunt, vt quòd alijs beatitudo videtur eſſe virtus, alijs prudentia, alijs ſapientia. Et horum quidem [c] nonnulli voluptaté ad beatam vitam adiungunt, alij voluptatem non procul à beatitudine ſegregant. Quidam etiam fortunæ bona beatitudini adiuncta eſſe volunt. Hæ opiniones partim à plebeijs hominibus, partim à philoſophis defendũtur, neq; vlla harum eſt, quæ ſimpliciter vanitatis & ſtultitiæ condemnari poſsit. Sed omnium maximè probanda eſt ea, quæ in virtute, vel potius in actione virtutis ſummum bonum collocat.

[c] Cicero 2. de Finibus. Tres ſunt fines expertes honeſtatis, vnus Ariſtippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius. Tres in quib. honeſtas cum aliqua acceſsione, Polemonis, Calliphonis, Diodori. Vna ſimplex, cuius Zeno autor, poſita in decore tota, id eſt, in honeſtate.

Multùm enim intereſt, vtrùm id bonum, de quo quærimus, ad vſum & ad actionem conferatur, an velut depoſitum cuſtodiatur omnis actionis expers ac vacuum. Nam habitus poteſt eſſe iners atque ignauus, vt ſi quis dormiat aut alioqui otioſus ſit. Actio autem ſemper aliquid molitur. Quemadmodum igitur in ludis [d] Olympicis nõ forma aut ro-

[d] Agona Olympicũ ante bellũ Tro-

bore præstantes coronātur, sed hi qui alios certando vincunt: ita beati & haberi & nominari debēt, qui vitam iustis & honestis actionibus ornant.

ianum Hercules in honorem atavi materni Pelopis prim⁹ edidit, quē diu intermissum ab excidio Troiæ año 408. Iphiclus tandem instaurauit, deficientibus iam & regib. Lacedæmoniorum & regno Corinthiorum. Celebrabatur autem hoc certamen ad Elidem quarto quoque anno, id est, sub exitum cuiusque Olympiadis. Nam Olympias comprehendit annos quatuor.

[e] Quid est autem iucundius, aut quod magis delectet, quàm virtutis actio? Non.n. tanta lętitia perfunditur [f] amator equorum, aut spectator ludorum quantā ex reb. honestè & laudabiliter gestis capit virtutis studiosus.

[e] Cic. 5. de Finibus: Quòd si ipsam honestatē vndiq; perfectam atq; absolutā, rem vnam præclarissimam omnium maximeq; laudandam penitus viderent, quónam gaudio complerentur, cùm tātopere eius adūbrata opinione lætentur? Quem enim deditū voluptatibus, quem cupiditatum incendijs inflammatum in his potiendis, quæ acerrimè corripuisset, tanta lætitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Aphricanum, Annibale victo, aut posteriorem Carthagine euersa, quē Tiberina decursio festo illo die tanto gaudio affecit, quanto L. Paulum, cùm regem Persen captum adduceret, eodem flumine inuectum. Hæc Cicero.

[f] Plut. Numa: Θεὸς οὐ φίλιππος, οὐδὲ φίλορνις, ἀλλὰ φιλάνθρωπός ἐστι. Deus non est equis aut auibus, sed hominum generi amicus.

Etsi autem [g] vulgus aliter iudicat, cùm virtutis pulchritudinem nō videat: tamen boni viri nulla in re suauius acquiescunt, quàm in honestate actionum.

[g] Vulgus eligit id, quod parti bonum est, vt febricitans appetit potum conuenientem parti, sed sapiens antefert conseruationem totius.

εὐημερίας) εὐημερίαν λέγει τὴν ὑγίειαν, καὶ τὴν τῶν ἀναγκαίων εὐπορίαν. Eustrat.

Itaq; non desiderant coniunctionem voluptatis cum honestate, sed contenti sunt eo gaudio, quod ex rectitudine actionum oritur. Si quis autem non lætatur rectè factis, is nullo modo bonis viris annumerandus est. Quis enim hunc iustum dixerit, qui nō compleatur gaudio propter iustè facta? Hæc cùm ita sint, perspicuum est honestas & laudatas actiones iucundissimas esse.

Tunc autem magis dulcescet virtutis actio, cùm à recta ratione gubernabitur. Proinde beatitudo est res vna præclarissima omnium, maximeque laudanda. Neq; enim diuersis rebus hæc epitheta tribuenda sunt, vt in epigrammate Deliaco, Iusticia pulcherrima dicitur, & sanitas optima & facultas fruendi rebus optatis suauissima, cùm

appellatione beatitudinis omnia contineantur. Sed tamen beatitudo adminiculis bonorum externorũ indigere videtur. Nam his destituto non modò arduum & difficile est, sed etiam [*h*] impossibile res præclaras gerere. Sunt.n. nerui rerum gerendarũ amici, pecunia, & potẽtia politica. Contrà verò deformatur beatitudo ignobilitate generis, carẽtia liberorum, & formę monstrositate. Non.n. perfectè atq; absolutè beatus est, qui aut Thersitæ similis est, aut obscur⁹ atq; ignobilis, aut viuens in solitudine, aut sobolis expers. Multùm etiam de beatitudine imminuit susceptio pessimorum ac perditissimorum liberorum. & migratio amicorum ex hac vita. Quamobrem beatitudo, vt dixi, his siue instrumentis siue adminiculis indiget, & [*i*] copulationem felicitatis atq; virtutis requirit.

[h] Vt qui mare velorum vsu absque remis nauigant, nõ quò animus cogitat, sed quò venti ducunt, vehuntur: ita profectò tenuioris fortunæ homines, non quod ipsi expetunt maximè, agunt, sed quod rerum suarum præcipuè postulat necessitas. Multis enim virtutib. obstat res angusta domi, vt poëtæ verbis vtar.

[i] Callimachus à Deo petit virtutem & felicitatem. Est enim verissimum, ingens ornamẽtum esse virtutis florentem fortunam, vt longè

ante-

antecellit Huniades Sigismundo Imperatori, & nemo non magis expetit curriculum Ioseph quàm Ieremiæ.

CAPVT IX.

Argumentum.

STATVS *capitis noni est, quòd mens humana & voluntas sit causa beatitudinis, seu quòd beatitudo humano conatu parari possit. Alludit autem Aristoteles ad Platonicas disputationes in Menone & Protagora. Nam in vtroq; dialogo agitatur quæstio, An virtus studio & assuefactione comparari possit, & quidem in fine Menonis inquit Socrates concludens totam disputationem, Nec natura virtutem inesse hominibus, nec doctrina comparari, sed diuinitus existere in præstantibus naturis. Hæc disputatio oritur ex consideratione humanæ infirmitatis, quam cernunt & agnoscunt philosophi, etsi causam & remedia ignorant. Quanquam autem res ipsa ostendit, non tantùm humana vigilantia ac sedulitate, sed multò magis ope diuina virtutem comparari atq; etiam retineri: tamen Deus vult nostram diligentiam velut remigum laborē ipsi nauium regenti & impellenti non deesse. Sic Plato ipse suam sententiam mitigat in quarto de Legibus, Rectè quidem dicitur, Deum & cum Deo occasionem omnia regere: sed tamen placidius est concedere &*

artem oportere accedere vt in nauigatione. Et Galenus ex Eupoli Comico recitat dictum Aristidis, qui interrogatus, quomodo iustus factus esset, respondit, Plurimum valet natura, sed ego studiosè naturam adiuui. Nota est etiam vox regis Persici apud Herodotum lib. 7. qui rectè dixit, Regnum Persarum creuisse Deo ducente, ipsis autem regibus promptè sequentibus.

Etsi igitur magna est infirmitas humana: tamen cùm Deus præceperit excoli homines doctrina, & ad virtutum assuefieri, necesse est culturam illam non prorsus inutilem esse, præsertim in natura non distorta, qua de re hîc quidem longam disputationem instituere nolo, cùm alio loco de causis virtutum differendum sit vberius.

TEXTVS.

Hinc noua quæstio existit, Vtrùm beatitudo doctrina & disciplina comparetur, an fato quodam aut fortunæ beneficio hominibus contingat. Si enim reliqua bona longè inferiora Dei cōcessu & munere possidentur, possumúsne dubitare, quin ex eodem fonte sanctissimo atque augustissimo beatitudo ad nos permanet? Sed hæc fortasse alio loco explicabuntur.

Etsi autem aliqui arbitrantur, humano conatu beatitudinem parari: tamen fatendum est eam esse quiddam diuinum. Nam vir-

virtutis certamen & finis optimus esse videtur, & diuinus, & longè alijs omnib. præstans. Sed tamen in medio ponatur, vt omnibus sit obuius. Nemo enim sanus est, quin studio & diligentia beatitudiuem assequi [a] posit.

[a] Primum argumentum confirmationis. Finis debet esse posibilis. Esset autem imposilis, si non posset humana diligentia parari. Ergo voluntas humana est causa beatitudinis.

Quod cùm ita sit, non existimandum est [b] casu hoc bonum offerri. Nam optima bona, quæ à natura, vel ab artibus efficiuntur, non sunt fortuita. Nō est igitur [c] consentaneum, summū & maximū hominis bonū casu contingere.

[b] Secundum argumentū. Summum bonum nō est fortuitū. Beatitudo est summum bonum. Ergo non casu contingit.

[c] πλημμελεῖν est iniquè quippiá & per iniuriá agere, hoc est, ἐξυβρίζειν. Demosthenes, πλημμελεῖν εἰς τὸν θεὸν, καὶ εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ, dixit pro piaculum facere.

Eandem sententiam confirmat [d] definitio suprà tradita. Dixi enim beatitudinem esse actionē animæ secundū virtutem. Etsi enim reliquis bonis opus est tanquam instrumentis, tamen actio honesta est præcipuum bonum.

[d] Tertiū argumentum. Beatitudo est actio animæ. Non igitur casu obijcitur.

Sed ne omnia reuocentur ad primas notiones, gubernatorũ [*e*] cõsensus hoc idem declarat. Nam gubernatores Rerũpublicarũ præcipuo studio & cura in id incumbunt, vt bonos [*f*] ciues efficiant. Ideo nec [*g*] bouem, nec equum, nec aliam pecudẽ beatam dicimus, cũ bruta hui⁹ actionis expertia sint.

[e] Quartum: Gubernatorum finis est, vt ciues efficiant beatos. Propter hunc finem proponunt leges de disciplina, quæ essent inutiles, nisi humana diligentia hunc finem assequi posset.

[f] Apud Platonem in quinto de Legibus extat memorabilis sententia de fine legũ ciuilium: Hæc est legum nostrarum hypothesis, vt ciues sint quàm beatissimi, & quàm maximè inter se amici. ἡμῖν δὲ ἡ τῶν νόμων ὑπόθεσις ἐνταῦθα ἔβλεπεν, ὅπως ὡς εὐδαιμονέστατοι ἔσονται, καὶ ὅτι μάλιστα ἀλλήλοις φίλοι.

[g] Animalia cætera præter hominem omnia, quòd ratione careant ac mente, beatitudinis sunt expertia. Itaque hominis solius proprium ac peculiare bonum est beatitudo.

Eandem ob causam nec infans beatus est, cùm propter ætatis imbecillitatem nihil laude dignum efficere possit. Vt enim virtus sit firma & stabilis, & assuefactione diuturna, & ætate opus est. Multæ.n. [*h*] commutationes fortunæ in vita accidũt, nec inusitatum

[h] Omnes libri pleni sunt admonitionũ de fortunæ inconstantia, quæ ideo pro-

est

est omnibus fortunæ bonis refertum incidere in acerbissimas calamitates, vt de Priamo poëtæ scribunt. Talibus autem procellis iactatum, & miserabili morte extinctum nemo beatum iudicat.

ponuntur, vt nos de modestia admoneāt, & prohibeant hæc duo magna vitia, fiduciam nostri, & temeritatem mouendi res non necessarias, stulta spe, & nos intra metas includant, vt tantùm faciamus nostrę vocationis officia necessaria, & quidem in agnitione nostræ infirmitatis adiungamus inuocationem Dei, sicut inquit Christus, Sine me nihil potestis facere. Et Ieremias inquit, Scio Domine, quòd non est hominis via eius.

CAPVT X.

Argumentum.

TRES *sunt quæstiones in philosophia morali præcipuæ: de quibus propter peccatum Originis, id est, tristem & lugendam corruptionem hominum magnæ sunt dissensiones, quæ inextricabiles sunt ignorantibus doctrinam Ecclesiæ. Prima est de fine bonorum, id est, de summo bono, An virtus aut voluptas sit summum bonum. Secunda, Qualis sit beatitudo in hac vita, cùm omnes boni & mali ingentibus ærumnis obnoxij sint, & multi sint errores præstantissimorum hominum, vt Crœsi, Cyri, Periclis, Niciæ, qui ipsis &*

imperijs sunt exitiales. Tertia, Cur adeò difficile sit exigua simulachra virtutum assequi, cùm aliæ naturæ ardentißimè ad suos fines tendant. Harum quæstionū prima explicata est in capite septimo. Tertia explicabitur in fine libri secundi. Nunc igitur de secunda dicendum est, An virtus ad beatitudinem sufficiat, cùm virtuti non respondeant præmia. Hæc quæstio in philosophia est inextricabilis, sed in Ecclesia dextrè explicatur. Paulus est beatus, cùm placeat Deo, ac habeat Deum custodem & gubernatorem. Et quanquam in hac vita scit se cruci subiectum esse propter certas causas, tamen postea scit Ecclesiam non fugacibus, non exiguo tempore duraturis bonis, vt est huius vitæ curriculum, ornandam esse. Ita suo tempore coniunguntur præmia, & quidem perpetua, non fugacia, vt sunt bona huius mortalis vitæ. De hac dißimilitudine beatitudinis in hac vita & post hanc vitam dulcißimè cōcionatur Ioannes, cùm inquit, Nunc filij Dei sumus, & nōdum apparuit quales simus. Scimus autem quòd cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quasi dicat, Cùm Ecclesia propter multas causas, quæ in integra doctrina alibi recensentur, cruci subiecta sit, non ita fulget gloria beatitudinis inter ærumnas huius vitæ, vt post resurrectionem abolito peccato & morte clarißimè fulgebit. Differunt ergo beatitudo in hac vita & futura gloria non re, sed modo rei, vt præclarè quidam dixit. Nunc enim spe salui & beati sumus, teste Paulo Rom. 8. & vita nostra cum Christo abscondita est in Deo. Cùm autem Christus appa-

apparuerit, qui est vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria, Coloss. 3. Etsi autem in lente, vt dicitur, vnguentum quærere videmur: tamen res ostendit philosophiam mutilam esse, & quærendum esse aliud genus doctrinæ de causis & remedijs humanarum miseriarum.

TEXTVS.

SAEPE etiam hæc quæstio agitatur, Vtrùm Solonis sententia sit vera, quæ vltimum tempus ætatis expectandum esse monet, nec quenquam beatum ante obitum & suprema funera pronunciat. Hoc dicto posito atque concesso, confitendum erit, mortuum esse beatum, quo nihil [a] absurdius cogitari potest, præsertim manéte hypothesi, quòd beatitudo sit actio.

[a] Nemo enim beatum putat eum qui sit mortuus, cùm sit viuentium beatitudo, eáque in actione consistat.

τὸ ὑπάρχον) Omnis propositio de præterito vera habet aliquam de præsenti veram. Vt: si hęc est vera: Augustus fuit beatus, Erit & altera vera, Augustus est beatus.

Sin autem negamus mortuum esse beatum, & Solonis dictum sic interpretamur, quòd mortuus sit ereptus ex omnibus miserijs, relinquitur etiam in hac interpretatione aliquid dubitationis. Ita enim fiet,

vt mortuus non aliter atque viuus afficiatur ſecundis & aduerſis rebus amicorum, cùm quidem ſenſus omnino mors omnes auferat. Solet autem & de hoc ipſo dubitari. Etſi enim fieri poteſt, vt aliquis ad vltimum tempus ætatis bene beateque viuat, & ſine deformitate moriatur: tamen multa poſt mortem liberis accidere poſſunt vel ſecunda vel aduerſa. Abſurdum eſt igitur mortui ſtatum mutari cum fortuna poſteritatis, & aliâs eſſe miſerum, aliâs beatum. Eſt & illud abſurdum, caſus liberorum ne quidem exiguo tempore ad parentes pertinere.

Sed redeamus ad explicationem primæ quæſtionis, quæ etiam huic dubitationi medebitur. Si enim finis vitæ ſpectandus eſt, & tunc vnuſquiſq; beatus appellandus eſt, cùm deſijt beatè viuere, quid quæſo abſurdius dici poteſt?

Obijciet autem aliquis, Cùm beatitudo ſit quiddam ſtabile & firmum, fortuna autem fragilis & caduca, non eſſe in curſu vitæ pronunciandum de beatitudine. Non difficilis eſt reſponſio. Si enim beatæ vitæ dominam fortunam conſtituimus, erit idem aliâs beatus, aliâs miſer. Neceſſe eſt igitur ſit alterum de duobus, vt aut [b]Chamæleonti ſubinde mutanti colo-

[b] Plinius lib. 8. capit. 33. Chamæleon colorē ſubinde mu-

rem

rem beatum comparemus, aut aliunde quàm ex fortuna beatitudinē æstimemus.

tat & oculis, & cauda, & toto corpore, redditq́; semper quemcunque proximè attingit, præter rubrū candidumq́;. Defuncto pallor est. Eadem scribit Aristoteles lib.2. de historia animalium, cap.11.

Etsi enim fortunæ bonis vita hominum indiget: tamen in his nequaquam beatitudo ponenda est, cùm perficiatur vita beata virtutis perfectione. Nam omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia, virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vlla vi labefactari potest, nunquam dimoueri loco. Hæc quoque causa est, cur virtutum non tam citò obliuiscamur, quia virtutum actiones sunt crebriores & firmiores.

Summa igitur conclusionis de vita beata hæc est, Beatus omnia sua consilia & actiones ad virtutem conuertet, & fortunam [c] eleganter ac sine deformitate feret, vt virum verè bonum decet, qui est manibus, pedibus & mente [d] quadratus.

[c] Cic. 2. de Oratore: Magna laus & admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter aduersos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem.

[d] Alludit ad dictum Simonidis, quod Plato laudat in Protagora, Virum verè bonum nasci difficile est, qui manibus, pedibus & mente sit qua-

quadratus. Vt autem quadrati numeri in toto numerorum systemate rari sunt: sic pauci reperiuntur, de quibus verè dici posſit, quod de integerrimo Imperatore Marco Antonio scripſit Dion, Similis ſibiipſi ſemper fuit, nec mutatus eſt vllam in re vnquam. Erat autem bonus, & nihil erat non natiuum, nihil aſtutè, ſimulatum aut aſcitum. ὁμοίως διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλιώθη: ἀγαθὸς δὲ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποίητον εἶχεν.

Cùm autem multa caſu contingant, mediocres quidem euentus, ſiue ſecundi ſint, ſiue aduerſi, [e] parum in vita momẽti habent. Magni verò & multi aut ornãt ſua bonitate vitam beatã, aut eandem ſua ſæuitia penè opprimũt atq; extinguunt. Sed tamen per ipſas [f] lucet ærũnas decus, quia ſæuitia fortunæ ab animo firmo [g] & graui non aliter quàm fluctus à ſaxo frangitur.

[e] Vt in ſe coacta, & in aëre ſub ſolem diffuſa nucebula, nec illi lucem eripit, nec diem contriſtat: ita mediocres calamitates non obruunt virtutem aut beatitudinẽ, imò virtus in mediocri certamine magis conſpicitur, vt in tragœdia dicitur, Tamen per ipſas lucet ærumnas decus.

[f] Nullo tempore maior virtus fuit Romanę ciuitatis, quàm poſt cladem Cannẽſem, vt ait Liuius, Nulla profectò alia gens tanta mole calamitatum non obruta eſſet. Sed magnitudo populi Romani admirabilior aduerſis rebus quàm ſecundis fuit.

[g] Seneca in libro de prouidentia: Quemadmodum

modum tot amnes, tãtum superne deiectorum imbrium, tanta mediterraneorũ vis fontium, nõ mutant saporem maris: ita aduersarum impetus rerum viri constantis nõ vertit animum, qui manet in statu, & quicquid euenit in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior, nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit, & omnia aduersi exercitationes putat.

Si igitur actiones virtutis sunt principale bonum, beatus miser esse non potest. Nunquam enim facit odio digna, sed vt vir verè bonus omnes fortunæ commutationes decenter & pulchrè fert, & pro modo facultatum omnia præclarè gerit, non aliter quàm bonus imperator pręsentibus copijs rectè vtitur, & sutor ex corio bonum calceum consuit. Quæ cùm ita sint, miser quidem nunquam erit virtute præditus, sed tamen si sæuis fortunæ casibus opprimatur, vix [*h*] beatis annumerari poterit.

[h] Cùm vita nostra omnibus fortunæ telis proposita sit, Aristoteles tres hominum gradus constituit, in quorum primo collocat beatos, qui virtute præditi sunt, nec opprimuntur sęuis fortunæ casibus, quales fuerunt Scipio, Augustus, M. Antonius imperator. De hoc gradu Cicero inquit in exordio primi dialogi de Oratore: Cogitanti mihi sæpenumero & memoria repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima Republica, cùm & honoribus

noribus & rerum geſtarũ gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negocio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. Secundum gradum attribuit miſeris, hoc eſt, ſcelere contaminatis, ſiue foueantur indulgentia fortunæ, vt Dionyſius maior, Sylla, Tiberius, ſiue triſtes habeant exitus, vt tyranni, de quibus noti ſunt verſiculi.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Medius gradus eſt Ariſtoteli eorum, qui virtute præditi ſunt, & tamen ſæuis caſibus fortunæ opprimuntur, vt Hercules, Palamedes, Achilles, Socrates, Miltiades. Hos dicit non eſſe miſeros, etiamſi non pronunciat beatos eſſe. Sed tamen quia præcipuum bonum tenent, beatis proximè annumerandi ſunt.

τὸ μέλλον ἀφανὲς) Sophocles: τὸ μέλλον ἀεὶ τυφλὸν ἕρπει. Et Latini dicunt: Neſcis quit ſerus veſper vehat.

Etſi enim beatitudo non leui caſu amittitur: tamen magni fluctus & procellæ beatum de gradu deijciunt. Nemo igitur præcipitatus in maximas miſerias eſſe beatus poteſt, cùm non in aliqua parte, ſed in perpetuitate temporis vita beata duci ſoleat, nec appelletur omnino vita beata, niſi confecta atque abſoluta. Quid ergo obſtat, quò minus pronunciemus beatum eſſe, qui & virtute præditus, & omnibus bonis fortunæ refertus eum vitæ curſum tenet, vt nec magis miſerijs implicetur,

tur, nec à recta ratione vnquam aberret. Sed de his pauca dixisse satis sit.

CAPVT XI.

Argumentum.

ARISTOTELES *in libro secundo Resolutionum posteriorum quæstiones Methodi recenset quatuor, An sit, Quid sit, Quale sit, & Propter quam causam sit. Ad hunc ordinem quæstionum congruit disputatio Aristotelica de fine hominis. Primùm enim quærit, An sit aliquis extremus & vltimus finis hominis, quem præcipuè oportet expeti. Deinde constituit definitionem, quæ res sit beatitudo seu finis hominis. Tertiò, constituta definitione quærit, vnde homines assequantur beatitudinem, an diuinitus detur, an paretur humana diligentia, an casu veniat. Postremò disputat, qualis beatitudo sit in hac vita, cùm multi honesti homines magnas calamitates sustineant. Hæc de methodo Aristotelis dicenda putaui, vt ad eam assuefiant discentes, & discant hunc ordinem quæstionum transferre ad explicationem maximarum rerum, vt in doctrina de Ecclesia rectè quæritur, quæ sit Ecclesia, qualis sit, cur subiecta sit cruci, &c.*

Nunc ad Aristotelem redeo, qui cùm in capite decimo de ijs calamitatibus dixerit, quas in nostris corporis circumferimus, non frustra nec temere in capite vndecimo disputat, quid de infelicitate liberorum exi-

K *stiman-*

stimandum sit. Nullus est enim hominum maior dolor in vita, quàm qui oritur ex calamitate aut sceleribus natorum. Longè superat omnem humanam eloquentiam luctus & mœror, in quo versati sunt primi parentes necato Abele, qui futurus erat velut plantarium veræ Ecclesiæ, & reiecto parricida, cuius impietatem posteritas sectabatur. Etsi autem non potest philosophia satis hanc quæstionem explicare, quia nec causas principales videt humanarum miseriarum, nec efficacia remedia proponit: tamen facilis est responsio iuxta Ecclesiæ doctrinam, quæ de liberis eodem modo iudicat, vt de nostris corporibus. Adam, Dauid, Ezechias sunt beati, etiamsi multa tristia accidunt & ipsis & liberis. Vt igitur pœnæ, quas velut signa reatus in nobis circumferimus, non impediunt beatitudinem: ita liberorum infelicitas non deijcit de gradu beatitudinis pios & honestos parentes.

TEXTVS.

CAeterùm non affici liberorum cura & amicorũ casibus, alienum [a] ab amicitia esse videtur. Quanquam autem fortunæ commutationes varię ac diuersæ sunt, quarũ aliæ magis nos mouent, aliæ minus: ta-

[a] Arist. lib. 9. Ethic. ad Nicom. cap. 10. venustè accõmodat pręceptum de hospitalitate ad doctrinã de amicitia: μήτ' ἄξενος μήτε πολύξενος, ἀλλὰ φιλόξενος,

men

men cùm nimis longum sit singulas species persequi, contenti erimus cōmuni quadā & minus exquisita tantę varietatis [b] adumbratione.

μήτ' ἄφιλος, μήτε πολύφιλος, ἀλλὰ φιλόφιλος. Nec sis inhospitalis, nec omniū hospes, sed modū in exercenda hospitalitate seruans: ita noli esse sine amicis, nec omnium amicitijs te implices, sed sis constans in amicitia.

[b] Cic. 4. Acad quęst. Non sum sapiens, & meas cogitationes sic dirigo, non ad illam paruulam Cynosuram, Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto, vt ait Aratus, eoq́; directius gubernāt, quòd eam teneant, Quæ cursu interiore breui conuertitur orbe, sed ad Helicen & clarissimos Septentriones.

Quemadmodum igitur proprij casus aut magnum in vita pondus atque momentum habent, aut leuiores sunt, quàm vt nos de statu deturbare possint: ita amicorum casus eadem distinctione comprehendi possunt. Vt autem differunt narratio rerum tragicarum & [c] subiectio sub oculos: ita multum interest, vtrùm viuentibus accidant tristia an mortuis. Proinde & hæc dubitatio animis eripienda est, an mortui partem ali-

[a] Spectacula incurrētia in oculos magis mouent animos, quā nuda dicta, vt verè dixit Horatius, Segnius irritant animos demissa per aures, Quā quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

quam nostrorum bonorum & ærumnarum sibi decerpant. Quanquam igitur hæc, quæ dixi, ad mortuos pertinent: tamen non possunt ex beatis miseros, aut econtra ex miseris beatos facere.

CAPVT XII.

Argumentum.

ETSI *quæstio in hoc capite agitata pertenuis & perexigua est, ea videlicet, vtrùm beatitudo sit res laudanda, an potius honore afficienda: tamen occasionem præbet declarationi vocabuli, cuius intelligentia non est inutilis. Est autem vniuersaliter honos comprobatio alterius, tribuens ei præstantiam propter diuinum aliquod bonum, vt Nebucadnezar honore afficit Danielem, quia agnoscit diuinitus ei datam esse sapientiam supra cõmunem captum. Nam honor principaliter refertur ad Deum, & ad opera Dei præcipua, sapientiam, virtutem, defensiones & liberationes, vt Medico tribuendus est honos, id est, agnoscendum est artem medicam Dei donum esse, & depulsionem morborum & conseruationem vitæ, esse beneficia Dei, quæ per hanc artem & artificem exhibet, & hæc comprobatio artis & artificis cõplecti debet gratiarum actionem Deo tribuendam & deinde ministro. Sic magistratui tribui honorem intiò significat tribui ei bona diuina, id est, quòd ordo politicus sit res diuina, & sapientia & iusticia à Deo ordinata, & quòd Magistra-*

tus

tus tantorum bonorum cuſtos ſit, propter quæ & Deo gratiæ agendæ ſunt, & miniſter diligendus eſt. Poſtea hic ipſe honos, cùm ſit conſeruatio politici ordinis, complectitur obedientiam cordis & officia externa, vt ille ordo conſeruetur. Hæc ſæpe cogitanda ſunt, vt agnoſcamus politicum ordinem eſſe donum & opus Dei, amemus eum & omnibus officijs tueamur.

TEXTVS.

HIs ita explicatis deinceps conſiderandũ eſt, ſitne beatitudo res [*a*] laudanda, an potius honore afficienda.

[a] Euſtratius ſummã huius capitis paucis verbis complexus eſt: Laudanda ſunt humana, diuina verò honore afficienda. Cùm igitur beatitudo ſit quiddam diuinum, par eſt vt honore afficiatur.

Ac laus quidem videtur eſſe comprobatio eorum, quæ fiunt recto iudicio, vt iuſtum & fortem, omniq́ue virtute præſtantem, laudamus propter actiones. Honor verò eſt comprobatio alterius, tribuens ei præſtantiam propter diuinum aliquod bonum. Nam honos principaliter refertur ad Deum & opera Dei præcipua. Eſt igitur beatitudo inter res honore afficiendas & magnifaciendas, quæ ſupra communem hominum ſortem poſitæ ſunt.

δοκεῖ καὶ ἄδοξος) Cic. 2. Diuinat. Eudoxus Platonis auditor in Apologia, iudicio doctißsimorum hominum facilè princeps. Fuit autem Cnidius, Platonis σύγχρονος, circa olympiadem XCVII. Reliquit tabulas motuum cœlestium & anni ordinationem.

συναγορῆσαι) συνάγοροι dicebantur plures patroni vnius causæ.

ὁ μὲν γὰρ ἔπαινος) Sic libro primo artis Rhetoricæ discernit laudationē & encomiū. ἔπαινός ἐστι λόγος ἐμφανίζων μέγεθος τῆς ἀρετῆς: ἐγκώμιον δὲ τῶν ἔργων.

CAPVT XIII.

Argumentum.

IN OMNI *vita ad multarum rerum diiudicationem, & ad morum gubernationem, necesse est tenere doctrinam, quantulacunq; est, quæ de anima & de gradibus potentiarum traditur. Et inter cæteras partes considerari necesse est, quæ potentiæ agant naturaliter, quæ agant liberè, & quæ sint rectrices, & quæ regi poßint. Primùm igitur sciendum est, voluntatem in suprema potentia rationali sic conditam esse, vt habeat libertatem, id est, facultatem eligendi rem cognitam aut non eligendi, aut suspendendi actionem. Sed hæc facultas in natura hominis integra maior & minus impedita fuit. Nunc multò infirmior est & va-*

riè

riè impedita, sed tamē aliqua mansit, vt in disputationibus de libertate voluntatis humanæ dicendū est. Reliqua est etiam in voluntate facultas mandandi locomotiuæ, de externorum membrorū motu, vt mandare potest, ne manus rapiant rem alienam, & ne admoueant poculum ori. Deinde duæ potentiæ sunt, quæ regi possunt, Appetitiua in corde, & Locomotiua. Reguntur autem dissimilibus modis, ac mirabiliter Deus duas species gubernationis, ipsi naturæ hominis impressas, nobis proposuit, vt hac ipsa imagine commonefacti cogitemus discrimina disciplinæ & iusticiæ cordis. Locomotiua obtemperat vt serua seu vt brutum, etiamsi non ostenditur causa bona vel mala, vt cùm voluntas iubet auertere oculos, locomotiua obtēperat, siue causa ostendatur, siue non ostendatur. Sed cor non obtemperat sine persuasione, id est, sine ostensione boni alicuius, & obtemperat non vt seruus, seu vt brutum, sed persuasione motum, vt sapientes & liberi ciues. Hæc obedientia præstantior est quàm altera seruilis, & est imago veræ iusticiæ, & non hypocriticæ.

Consideranda autem sunt hæc discrimina, vt sciamus quæ potentiæ quomodo regendæ sint, & vt nosipsos ad curam regendarum potentiarum exuscitemus, vt Paulus inquit, Facite membra vestra arma iusticiæ. Vegetatiua & sensus agunt naturaliter, nec per sese obediunt voluntati, sed reguntur per locomotiuam. Homo furax, etiamsi cupiditatem cordis non potest extinguere, tamen & potest & debet per locomotiuam coercere manus. Hanc libertatem vult Deus re-

liquam esse in homine, vt disciplina seruetur, & ipsa facultas locomotiuæ seu neruorum manifestum testimonium est, hunc gradum libertatis in voluntate humana reliquum esse.

Hæc de gubernatione potentiarum plana & perspicua sunt, & lucem afferunt partitioni Aristotelis, quam recitat in fine primi libri Ethicorum.

TEXTVS.

CVM beatitudo sit actio animę secundum perfectam virtutem, deinceps de virtute me dicere oportere intelligo. Ita enim fiet, vt magis perspiciatur vis & natura beatitudinis. Accedit illa quoq; causa, quæ nos ad considerationem virtutis hortatur, quod gubernatores Rerumpublicarum omnes neruos contendunt, vt ciues bonos & legibus obedientes efficiant, cuius rei exempla suppeditant legislatores Cretensium & Lacedæmoniorum, & alij innumerabiles.

Cùm aut politica scientia versetur in consideratione virtutis, non dubium est, quin hæc doctrina ad communem vitæ consuetudinem accommodanda sit. Et quoniam virtus est animæ propria, & ab anima oritur, necesse est aliquid de animæ viribus seu facultatibus, & de diuersis functionibus dici, vt fontem ac sedem virtutis propriam monstremus.

Si enim

Si enim medicus fabricationem humani corporis diligenter considerat, vt conuenientia remedia singulis partibus atq; membris adhibere poſsit, nemini dubium eſt, quin doctrina de moribus eruditam diſtinctionem potentiarum deſideret.

Etſi autem in alijs commentarijs paulò accuratius de anima & eius viribus à nobis diſputatum eſt: tamen nunc contenti erimus populari declaratione, quæ ad hunc locum propriè pertinet.

Sit igitur hoc primum diſcrimen. Facultates animæ duæ ſunt, Rationalis & expers rationis. Neque verò huius loci eſt exquirere, vtrùm hæc diuiſio ſit totius in partes, quémadmodum corpus in membra partimur, an ſit tantùm rationis diſtinctio, qualis eſt in ambitu circuli inter conuexum & concauum.

Cæterùm ad facultatem rationis expertem referenda eſt vis vegetatiua, quæ corpus nutrit & auget. Hæc non eſt hominis propria ſed communis cum plantis & omnibus è terra naſcentibus, eaq; ſuum ius maximè exercet in ſomno, quo cum homines conſopiti ſunt, non facile eſt diſcernere bonos à malis. Hinc prouerbium natum eſt, beatos dimidia vitæ parte non diſtare à miſeris, neq; hoc abſurdè dicitur. Nam ſomnus eſt quies animæ,

quæ dicitur bona aut mala, etiamsi interdum per quietem offeruntur somnia, de quibus alibi disputauimus.

Est & alia quædam facultas per se quidem rationis expers, sed tamen participes rationis, vt sensus & appetitiua quæ sensus comitatur. Hanc etsi ratio hortatur ad optima, res tamen ostendit quàm triste dissidium sit rationis & affectuum. Quemadmodum enim membra hominis paralytici consultò & cogitatò in dextram partem mota in oppositam nutu atque pondere suo feruntur: ita sæpenumero aliud mens suadet, aliud cupido, cúmque mens videat meliora & probet, cor tamen deteriora sequitur. Sed conspectior est in corporibus aberratio motus, quàm in anima dissensio [a] mentis & appetitionum. Etsi autem plæriq; laxant frenos stultis cupiditatibus: tamē boni & sapientes vitiosos animi motus in gyrum rationis & disciplinæ ducunt.

[a] Postquam natura hominum deprauata est, harmonia legũ naturæ in mente & appetitionũ in corde turbata est. Hoc triste dissidium omnes sapientes nō solùm in Ecclesia, sed etiam extra Ecclesiam deplorant, vt Seneca in Hippolyto Phædram sic loquentem inducit:

Quæ memoras scio
Vera esse nutrix, sed furor cogit sequi
Peiora, vadit animus in præceps sciens

Re-

Remeatq́, frustra sana consilia appetens:
Sic cùm grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado:
Quod ratio poscit, vincit ac regnat furor.

Et Medea apud eundem inquit:

Vt sæua rapidi bella cùm venti gerunt,
Vtrinq; fluctus maria discordes agunt
Dubiumq́ pelagus feruet, haud aliter meum
Cor fluctuatur: ita pietatem fugat
Iramq́ pietas, cede pietati dolor.

Apud Galenũ in quinto de sententijs Hippocratis & Platonis extant elegãtes versiculi, quos dicit esse Cleanthis, qui describunt dissidium rationis & affectuũ. Sic.n. inquit Ratio ad Affectũ.

RATIO.

Quid illud est quod vult cupiditas? dicito.

AFFECTVS.

Vt omnia quæ volo faciam: nam id regiũ est.

RATIO.

Dic rursus hanc sententiam mihi clarius.

AFFECTVS.

Quæcunque concupisco, vt fiant omnia.

Illud etiam considerandum est, quasdam potentias prorsus non posse obtemperare iudicio, vt vim vegetatiuam, nonnullas verò regi posse, vt locomotiuam & appetitiuam in corde.

Postremò, rationalis facultas duplex est, alia per se, vt mens & voluntas, alia obtemperans, vt cor & locomotiua. Ex hoc fonte etiam virtutum distinctio sumitur. Quædam

dam enim sunt intellectuales, vt sapientia & prudentia, quædam morales, vt liberalitas & temperantia. Quanquam autem virtus in genere vocatur habitus laude dignus: tamen si propriè loqui volumus, tantùm moralis habitus est virtus.

FINIS LIBRI I.

LIBER SECVNDVS ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

QVemadmodum in primo libro conſtituta eſt ſententia, quòd beatitudo ſit actio ſecundum virtutem: ita in ſecundo quæritur definitio virtutis, illiusq́; cauſæ & ſpecies. Orditur autem Ariſtoteles hanc inueſtigationem à quæſtione, Vtrùm natura inſint virtutes, an verò parentur doctrina & aſſuefactione, ac tandem concludit, quòd virtus paretur diſciplina. Deinde mentionem facit præcipuæ cauſæ virtutum, videlicet rectæ rationis, qua appellatione complectitur mentem rectè iudicantem & voluntatem obtemperantem. Poſtea digreditur in locum amœniſsimum de mediocritate, vt doceat vehementes animi impetus moderandos eſſe. Vt enim Menelaus apud Euripidē inquit:

Si vela tendas, nimiùm nauis mergitur,
Sed ſi relaxes rurſus, vehitur tutius.
Odit Deus nimis vehementes impetus,
Odere ciues, gratior eſt moderatio.

Sic

Sic Aristoteles vtilem in vita admonitionem tradit, Virtutes esse mediocritates. Monstrat item communia obiecta virtutum, quæ sunt voluptates & dolores. Nam circa hæc moderanda virtus versatur. Hic locus nobis occasionem præbebit dicendi de affectibus & de Stoicorum ἀπαθείᾳ, quam disertè Aristoteles reijcit. Cæterùm admirabili sagacitate genus virtutis quærit, enumeratis fontibus actionum, & per diuisionem ratiocinatur, quòd virtutes sint habitus, non potentiæ aut affectus. Constituto autem genere inquirit differentiam ex causis. Tandem recitata definitione virtutis, tradit eruditam & venustam distinctionem de duplici medietate arithmetica & geometrica. Et quoniam hominis actiones aut circa affectus, aut circa res, aut circa sermonem versantur, ab his proximis obiectis sumit enumerationem virtutum. Sed nos distributionem sumemus à Decalogo, cuius ordo sapientissimi artificis consilio institutus est. Postremò querelam attexit de humana infirmitate, quòd difficile sit exigua virtutum simulachra assequi.

Sunt igitur in libro secundo loci præcipui, Definitio virtutis pulcherrima methodo inuestigata, & virtutum distributio sumta ex Decalogo, & Doctrina de affectibus. Hos locos

locos & propter res ipsas, & propter methodi exemplum studiosi auidè cognoscant, nec dubitent, hanc quoque philosophiæ partem reliquis studijs adiungendam esse. Hactenus argumentum secundi libri vtcunque adumbraui. Sequitur vt de capite primo dicam.

CAPVT I.

Argumentum.

PROPOSITIO *huius capitis est virtutes eas, quæ à moribus nomen ducunt, neq; esse homini à natura insitas, neq; comparandis illis naturã aduersari, verùm consuescendo, ac diu multumq; exercendo, illarum compotem ipsum fieri. Eorum enim quæ à natura insunt omnium, nihil se habere alio, quàm quo à natura ipsa institutum est modo, aut via, aut arte potest. Indidit saxo natura grauitatem, eadem ipsa leuitatem flammæ, grauitati deorsum vt feratur ac decidat, leuitati sursum vt euehatur & euolet, aduersis omnino commotionibus atq; impulsibus. Itaq; non inesse nobis virtutes à natura illud docet, quòd pueri rudes admodum cùm sint, instituere eos in scholis oportet. Neq; tamen virtutes ipsæ homini à natura negatæ aut vetitæ sunt. Quod si esset, assequendis atq; comparandis illis aditus nobis permissus esset omnino nullus.*

Quis

Quis enim instituet aut lapidem aut ventum sursum contendere? cùm ventus naturaliter ad latera, lapis verò deorsum sponte feratur sua. Itaque vt à naturæ virtutes ipsæ minimè insunt nobis, verùm discendo potius, itemq; & exercendo & assuescendo comparantur, eadem ipsa natura minimè reluctante, sic illas minimè nobis innatas esse voluit, aut tanquam animis nostris infixas. Qua in re mediam sese ipsa nobis præstitit summa etiam cum liberalitate & munificentia, nec solùm mediam, sed etiam adiutricem. Non instrumenta enim ad agendum modò idonea pernecessariaq; nobis contulit, mentemq; insuper diuinam, iudicem quidem atq; indagatricem omnium, verùm ingenuit in nobis ipsis affectus quidem illos, quibus & moueamur & impellamur ad ea cuncta, quæ vtilia, honesta, iucunda, bonaq; videantur. Neq; igitur homini morales à natura insunt virtutes, vt lapidi grauitas, vt flammis leuitas, neq; illius naturæ aduersantur. Hæc Pontanus in libro secundo de prudentia.

Vt autem studiosi intelligant quanta vis sit disciplinæ, duo exempla ex libro Ciceronis de Fato repetam. Stilponem Megareum philosophum acutum sanè hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse. Neq; hæc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid, Socratem nónne legimus, quemadmodum

modum

modum notarit Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq́, ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratē dixit & bardum, quòd iugula concaua non haberet, obstructas eas partes & obturatas esse dicebat. Addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt, extirpari autem & funditus tolli, vt is ipse, qui ad ea propensus fuerit, à tantis vitijs auocetur, non est positum in naturalib. causis, sed in voluntate, studio, disciplina.

TEXTVS.

MAgnum discrimen est inter virtutes partis intelligentis, & virtutes morales. Nam virtutes quæ ad intellectum pertinent, à doctrina originem sumunt & incrementa, eamq́ue ob causam experientia & tempore indigent. At virtus moralis assuefactione, à qua nomen accepit, comparatur. Hinc intelligi potest, nullam virtutem moralem à natura nobis insitam esse & quasi insculptam. Quæ enim insita vi naturæ agunt, non possunt assuefieri, vt lapis multoties in sublime elatus, suopte nutu & suo pondere in medium locum mundi fertur. Non igitur à natura, nec contra naturam virtus in nobis existit, sed cùm natura rationalis sic informata

ſit, vt poſsit ad virtutem flecti, ſtudioſè natura adiuuanda eſt & perficienda [a] aſſuefactione.

[a] Hieronymus enarrans caput primũ Eſaiæ: Virtus, inquit, diſcenda eſt, nec naturæ tãtũ bonum ſufficit ad iuſticiam, niſi quis erudiatur congruis diſciplinis. Diſcenda eſt ergo iuſticia, & magiſtrorum ſapientiæ terenda ſunt limina. Hanc ſententiam confirmat exemplum Numæ Pompilij ſecundi regis Romanorum, qui cùm eſſet ingenio ad omnem virtutem accommodatus, ſeipſum magis etiam per doctrinæ ſtudia philoſophiamq́ excoluit, vt teſtatur Plutarchus in vita Numæ.

Deinde & hoc conſtat, facultates ſeu vires naturales prius eſſe in nobis tanquam fontes, ac poſtea ex his actiones quaſi quoſdam riuulos manare. Non enim ſæpe videndo audiendoq; ſenſus oculorum & aurium parantur, ſed præditi vtroque ſenſu videmus & audimus. Virtutes verò & artes crebra actione parantur. Vt enim dicendo homines aſſequuntur dicendi rationem, ſic iuſta agentes efficimur iuſti, & temperanter viuentes magis amamus temperantiam.

Huius aſſeuerationis locuples teſtis eſt Rerumpublicarũ gubernatio. Nam [b] legiſlatores omni cõtentione id agũt, vt ciues ad intellectũ & officia vir

[b] Plato in quinto de Legib. Hæc eſt legum noſtrarum hypotheſis, vt ciues ſint quàm beatiſsimi, &

tutum

tutum aſſuefaciant. Si qui autem aliter ciues gubernant, hi laxant frenos diſciplinę, & bonos mores corrūpunt.

quàm maximè inter ſe amici: ἡμῖν δὲ ἡ τῶν νόμων ὑπόθεσις ἐνταῦθα ἔβλεπεν, ὅπως ὡς εὐδαιμονέστατοι ἔσονται, καὶ ὅτι μάλιστα ἀλλήλοις φίλοι.

ἀνάλογον) Euclid. lib. 5. τὰ δὲ τὸν αὐτὸν ἔχοντα λόγον, ἀνάλογα καλεῖται.

Cæterùm ijſdem rebus non modò parantur, ſed etiam corrumpuntur artes & virtutes. Etenim canendo fiunt cùm boni, tum mali Muſici. Sic ædificando fiunt cùm boni, tum mali ædificatores, quod niſi ita eſſet, nihil opus eſſet doctore, ſed omnes ſua ſponte vel boni vel mali artifices euaderent. Eodem modo de virtutibus iudicandum eſt. Nam hi qui contractus in hominum ſocietate exercent, alìas iuſti, alìas iniuſti fiunt. Ita hi, qui in periculis verſantur, partim fortes, partim timidi exiſtunt. Denique vt breui comprehendam, ſic ſtatuo, ex ſimilibus actionibus habitus oriri. Quamobrem diſcernendæ ſunt actiones, vt ſingulis habitibus conuenientes aſsignentur. Non enim parum refert, ſed [c] caput rei eſt, hominem hoc aut illo modo ab ineunte ætate aſſuefieri.

[c] Plato in ſeptimo de Legibus: Caput bonæ diſciplinę eſt recta educatio, & maximam vim habet diligentia, quæ teneros animos

mos ad virtutum officia flectit. κεφάλαιον γὰρ ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφὴ, καὶ κυριώτατον ἐμφύεται πᾶσι τὸ πᾶν ἦθος διʼ ἔθος. Laudatur etiam ab Eusebio lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ dictum Irenæi: Quæ à pueris discimus, cum anima coalescunt & adhærent ei: αἱ γὰρ ἐκ παίδων μαθήσεις συναύξουσαι τῇ ψυχῇ ἑνοῦνται αὐτῇ.

CAPVT II.

Argumentum.

DVO *sunt huius capitis loci præcipui, prior est de recta ratione, alter de mediocritate. Cùm autem rectæ rationis appellatione complectatur mentē rectè iudicantem & voluntatem obtemperantem, quærendum videtur, quæ sint causæ quæ regunt & pariunt actiones honestas. Efficientes principales iuxta philosophiam duæ sunt, mens hominis rectè iudicans, & voluntas hominis obtemperans, ac mandans externis membris, vt obediant recto iudicio. Vt enim in mente diuina notitiæ sunt æternæ & immotæ, quæ sunt regulæ actionum, & discernunt actiones: ita transfudit Deus similes notitias in mentem hominis, vt esset imago Dei. Hæ notitiæ sunt leges naturæ, quas vult Deus perpetuas & immotas regulas esse actionum. Oportet enim aliquam esse certam regulam, sicut numerorum ac figurarū certæ & immotæ sunt notitiæ. Quanquam autē nunc in hac naturæ humanæ imbecillitate ma-*

gna caligo eſt in mentibus: tamen lux illa non prorſus extincta eſt. Volũtas verò eſt languidior, ſed tamẽ externa membra & externos motus vtcunq; regere poteſt, ſi annitatur. Vt igitur adiuuentur mens & voluntas, adiungit philoſophia cauſas minus principales, videlicet naturalem inclinationem, doctrinam & diſciplinam. Sed de his cauſis virtutum ſuo loco plura dicentur. Nunc enim ſatis eſt nos declaraſſe, quid nominet Ariſtoteles rectam rationem.

Valde etiam laudandus eſt Ariſtoteles, quòd præ cæteris philoſophis virtutem vocauit mediocritatem. Stoici & alij tetrici & aſperi omnes horridè defendũt extremum, vt cùm dicunt in vniuerſum iraſci aut dolere malum eſſe, vt Stoicus vituperaret Dauidem dolentem extincto Ionatha. Vituperaret Chriſtum iraſcentem Phariſæis. Sed illa immanis opinio, defendens extrema, multos errores continet, vt poſtea de affectibus dicam. Ideo magna laus eſt Ariſtotelis, quòd mediocritatem nobis cõmendat, quod eò fecit, quia vniuerſaliter vidit actiones animantium ordinatas eſſe ad mediocritatem. Curſus corporis immodicus & otiũ necant corpus, mediocre execcitium ſeruat. Sic cibi, potus, lætitiæ mediocres congruũt naturæ. Conſtituit igitur virtutis actionem eſſe mediocritatem, idq; in omni vita meminerimus, vt in omnibus actionibus aſſuefaciamus nos ad moderationem. Eſtq; elegantiſſimè dictum ab Iſocrate: Etſi optimum eſt attingere mediũ, tamen quia facilè à medio deerratur, melius eſt deficere quàm excedere, quia mediocritas propius ac-

cedit ad id quod minus est. Hoc dictum venustissimè sumtum est ex Geometrica proportione, vbi tribus terminis ordine positis, qui Geometrica proportione conferuntur vt 2. 4. 8. semper medius terminus numero propior est minori. Quis enim non videt quaternarium longius abesse ab octonario, quàm à binario? Verba Isocratis ascribam, si quis fortè præceptum hoc magis amabit propter tanti viri autoritatem. κράτιστον μὲν τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν, ἐπειδὴ δὲ δυσκατομαθήτως ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλεονάζειν, αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχύουσιν.

TEXTVS.

CVm doctrina de moribus non tantùm ideo proponatur, vt qualis, quídve sit virtus intelligamus, sed multò magis vt secundum eam viuamus, deinceps de norma dicendum est, ad quam omnes actiones dirigendæ sunt. Necesse est enim aliquam certam actionum regulam esse. Est igitur norma virtutis recta ratio, quæ complectitur mentem rectè iudicantem & voluntatem obtemperantem. Sed de recta ratione infrà rursus dicetur.

Nunc repetendum est id, quod suprà monuimus, non esse in disputationibus moralibus requirendam certitudinem Geometricam, sed acquiescendum esse in mediocri explica-

plicatione. Nam hæc præcepta actionũ [a] parum habent certitudinis, ſed variantur ſecundum diuerſas circumſtantias in obiectis, vt in medendo.

[a] Hæc hyperbole mitiganda eſt. Vt in medicina manet ordo demonſtrationũ, etiã ſi alijs ſubiectis aliæ curationes accommodantur: ita in moralibus manet ordo demonſtrationum, etiamſi de quibuſdam practicis mutantur conſilia propter diuerſa obiecta, & diſsimiles circumſtantias, vt furenti nõ eſt reddendus gladius depoſitus, quia neceſſe eſt parere legi, Neminem lædito. Sic in alijs caſibus locum habet ſummum ius, in alijs ἐπιείκεια.

τὰ ποτὰ καὶ τὰ σιτία, potus & cibi) Cic. in 1. de Diuinat. Hic modus ſeruetur in nutritione corporis, vt nec inopia enecetur, nec ſatietate affluenti, quorum vtrunque lædere valetudinem ſolet, ſiue deeſt naturæ quippiam, ſiue abundat atque affluit.

Etſi autem humanæ actiones omnes, quæ à voluntatibus oriuntur, ſunt flexibiles, & facilè deprauantur vel ab exceſſu, vel à defectu, tamen quærendum eſt quæ ſit optima actio. Ac ne quid obſcuritatis offundatur lectori, vtar exemplis notis, quæ ſumuntur ab actionibus animantium. Res oſtendit, exercitia corporis immodica, & nimium otium perniciem afferre corporibus. Sic corpus immodico cibo atque potu oneratum

diſcedit à bona valetudine ad morbos. Contrà mediocritas in his rebus omnib.[b] congruens naturæ ſeruat corpora.

[b] Euclides in definitionibus libri decimi. Cōgruentes menſura magnitudines dicuntur, quas vna eademq; menſura præcisè metitur. Non congruentes, quarum non poteſt cōmunis menſura reperiri. Σύμμετρα μεγέθη λέγεται, τὰ τῷ αὐτῷ μέτρῳ μετρούμενα. Ἀσύμμετρα δὲ, ὧν μηδὲν ἐνδέχεται κοινὸν μέτρον γένεσθαι. Vt πλευρὰ eſt ἀσύμμετρος τῇ διαμέτρῳ, quæ per σχῆμα ducitur. Sit quadratum, cuius vnum latus contineat quinq; pedes. Erit ergo διάμετρος, vel, vt alij loquuntur, linea diagonia, pedum ſeptem. Nam duo quadrata, quæ deſcribuntur ex perpendiculo & baſi in triangulo orthogonio, efficiunt per penultimā primi quinquaginta, quorum proxima radix eſt ſeptenarius. Nullus autē numerus præcisè metitur quinq; & ſeptem.

Eadem quoq; virtutum ratio eſt. Etenim omnia fugiens ac reformidans, & nihil ſuſtinens, fit timidus. Qui verò nihil metuit, ſed omnia pericula contemnit, fit audax. Sic illum quem libidinibus inflammatum & furentem videmus, omnia rabidè appetentem, cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates vndique hauriat, eò grauius ardentiusque ſitientem, nonne rectè intemperantem dixeris? Si quis autem aſpernatur oculis pulchritudinem rerum, non

odore

odore vllo, non tactu, non ſapore capitur, excluditque auribus omnem ſuauitatem, is iure ac meritò ſtupidis annumeratur. Conſtat igitur virtutum peſtes eſſe exceſſum & defectum, earumq; dulcem nutriculam eſſe mediocritatem certa quadam moderatione ab extremis recedentem. Neque verò ortus, incrementa & obitus ab ijſdem rebus proficiſcuntur ſolùm, ſed etiam actiones in ijſdem verſantur. Quemadmodum enim robur corporis comitatur victum largiorem & plurimorum laborum tolerantiam, & qui viribus corporis præditus eſt, non modò copioſiore cibo alitur, ſed etiam laboribus ferendis idoneus eſt: ita crebræ actiones honeſtæ pariunt virtutem, & virtute præſtans res laude dignas gerit.

CAPVT III.

Argumentum.

QVEMADMODVM phyſici docent, quædam obiecta à pluribus ſenſibus percipi, vt magnitudinem, figuram, numerum, motum, quietem, quædam à ſingulis, vt à viſu colorem, à guſtu ſaporem: ita duplicia ſunt virtutum obiecta, alia communia, vt voluptates & dolores, alia cuiuſque virtutis propria, vt verbi cauſa affectus, res & ſermo. Agnoſcenda eſt igitur

obiectorum natura circa quæ virtus versatur. Ac de proximis quidem obiectis infrà capite septimo dicetur, hîc verò de communibus, videlicet de voluptate & dolore disserendum est. Voluptas propriè significat congruentiam actionis & naturæ: vt faucibus arefactis in siti grata est rigatio, quæ fit boni potus perceptione, qua nerui recreantur. In frigore pedibus nimiũ frigefactis, gratus est calor recreans neruos. Dolor verò est contraria actio potentiæ, quæ ei molitur destructionem, vt cùm ignis vrit aliquam partem corporis. Sed alia alijs partibus voluptatem aut dolorem afferunt, estq́ mira dissensio partium propter imbecillitatem humanam, vt sensus voluptate afficitur fruens adultera. Sed voluntas dolet vel metu pœnæ, vel propter turpitudinem. Ideo hîc monet opus esse assuefactione, vt quæ voluptates alijs anteferendæ sint, discamus, & eas fugiamus, quæ à ratione dissentiunt.

TEXTVS.

CErtissimum verò signum atq; indicium est habitus, si actiones aut lætitia, aut dolor comitetur. Nam qui nullas voluptates desiderat, & hac continentia lætatur, is temperans & habendus & nominandus est. Contrà qui amissa voluptate, illiusque instrumentis dolet, intemperantibus annumerandus est. Sic bello magis quàm conuiuio gaudens sine vlla dubitatione fortis atque animosus est.

eſt. Contrà, qui metu periculorum frangitur, timidus eſt. Sunt igitur obiecta communia virtutum voluptates & dolores. Nam circa hæc moderanda virtus verſatur. Vt enim nullum ſcelus, nullum malum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum nō libido voluptatis impellat: ita multos à ſtudio virtutis deterret metus doloris. Pareamus ergo & obediamus præcepto veteri de optima viuendi ratione, quod iubet appetitiones errantes vero iudicio domari & reprimi.

Et quoniam virtutes verſantur circa actiones & affectus, omnis verò actionis & affectus comes eſt aut delectatio aut dolor, non dubium eſt quin virtus ſit moderatrix voluptatum & dolorum.

Hoc idem & pœnæ declarant, quæ cùm ſint acribus remedijs ſimiles, acres dolores cient. Solent enim contraria adhibitis contrarijs curari.

Suprà etiam diximus, omnem animi habitum verſari circa illas ipſas res, quibus aut melior aut deterior efficitur. Iam verò conſtat, habitus animi contagione voluptatum ac dolorum lædi, & quando alterutrum ex his aut temere & effrenatè expetimus, aut inconſulto ſtudio fugimus ac reformidamus. Ideo virtus à quibuſdam ſic definitur, vt ſit animi quietus & placatus ſtatus, quem

nulla

nulla perturbatio mouere queat. Sed hæc opinio longè ab re ipsa atque à [a] veritate distat, cùm affectus non simpliciter ex natura tollendi, sed potius rectè moderandi, & officij regionibus continendi videantur. Sumamus igitur pro cõcesso & probato, virtutem esse optimam moderatricem voluptatum & dolorum.

[a] August. Tract. 60. in Ioannem. Pereant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Habeant eas iustis de causis animi Christiani, nec philosophorũ, Stoicorum, vel quorumcunq; similium consentiatur errori. Cicero in tertia Tusculana: Minimè assentior his, qui istam nescio quam indolentiã magnopere laudant, quæ nec potest esse vlla, nec debet. Et in Lælio: Non sunt audiendi, qui virtutem duram & quasi ferream esse volunt. Proprium est enim animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs

Basilius in concione περὶ Εὐχαριστίας: Quærat aliquis, cur Christus tantam rem gesturus, lachrymas tenere non potuerit, cùm quidem res ipsa propter magnitudinem minimè deploranda videatur? Sed manifestũ est, quòd omni è parte opem ferre imbecillitati nostræ volens, modum quendam & terminum affectibus naturalibus constituerit. Nam indolentiam tanquam immanem, & à natura hominis abhorrentem vitauit, & nimiam animi mollitiem, quæ lachymis & lamentationibus nequit expleri, fu-

ri, fugit ac reformidauit. Quare cùm amici mortem lachrymis proſequeretur, ſocietatem naturæ humanę oſtendit, & nos ab exceſſu in vtramque partem reuocauit, vt neque frangamur ac debilitemur affectibus, nec ſine ſenſu doloris viuamus.

Poſtremò non negligenda eſt diſtinctio bonorum & malorum, quæ totam hanc diſputationem valde illuſtrat. Sunt enim tria genera bonorum, quæ expetuntur, honeſtum, vtile & ſuaue, & his contraria atque oppoſita mala, turpe, inutile & moleſtum. Harum rerum electionem & fugam bonus & ſapiens vir certa ratione gubernat, ſicut è regione malus & fatuus cùm in cæteris turpiter hallucinatur, tum vel maximè in ijs, quæ ad voluptatem pertinent. Nam voluptatis appetitio communis eſt homini cum reliquis animantibus, & honeſtum atque vtile ſuauitatem quandam præ ſe ferunt, cuius omnes ab ineunte ætate auidi ſumus. Quamobrem difficile eſt animum ab hoc errore abducere, qui in vita hominum radices egit atq; etiam propagatur. Sunt tamen aliqui, qui ad certam normam actiones dirigunt, nec omnia ad voluptatem referunt. Neceſſe eſt igitur virtutem in regno voluptatum & dolorum ius ſuum exercere, cùm non parum interſit, recténe an ſecus cùm lætemur, tum doleamus.

Præclarè

Præclarè etiam [b] Heraclitus dixit, [c] difficiliorem esse voluptatis quàm iræ moderationem.

[b] Multa sunt Heracliti sapiẽter dicta, vt quòd dixit, non faciendum esse Soli, vt excedat spacia sua, quod si faciat, reperturas tamẽ illum furias administras iusticiæ. Idem dixit, de morbis intellectum, quantum bonum esset sanitas, & de fame, quàm iucunda saturitas, labore autem commendari quietem. Laudatur etiam à Platone in Cratylo eiusdem philosophi dictum de inconstantia rerum humanarum. Omnia sunt mobilia & nihil est stabile. Sunt enim res humanæ similes flumini, in quod nunquam bis ingredi possumus manentibus eisdem vndis: λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει, καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης.

[c] Scipio apud Liuium castigans Masinissam inquit: Qui voluptates sua temperantia frenauit ac domuit, multò maius decus maioremq́ꝫ victoriam sibi peperit, quàm nos Syphace victo habemus.

Quare cùm omnis ars & virtus circa res arduas & difficiles versetur, perspicuum esse debet, virtutem esse dominam & reginam certa quadam ratione moderantem voluptates & dolores. Qui enim moderatè his vtitur bonus est. Qui autem sequitur, quò cibus voluptatis vocat euntem, hic in malis habendus est. Sed quid agimus? an obliti sumus, hoc

nunc

nunc nobis esse propositum, vt cùm satis multa de obiectis communibus virtutum dixerimus, ad cætera pergamus?

DOCTRINA DE AFFECTIBVS.

IN MVLTIS disputationibus magnopere conducit nosse doctrinam de affectibus. Primùm enim necesse est tenere discrimen inter affectus & virtutes. Secundò, in Ecclesia necesse est nosse causas, loca & discrimina affectuum, vt in Christo sunt diuersi affectus, Non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat. Hîc causas & loca discerni vtile est. Tertiò, aliqui falsò & inerudité putant Stoicorum deliramenta cum Euangelio congruere, ex quo somnio multi perniciosi errores sequuntur. Hæc de vtilitate primùm cogitanda sunt.

Deinde quæratur definitio, quæ vt constitui posit, sciendum est, affectus esse appetitiones sensuum & voluntatis. Discernantur igitur gradus appetitionum tres. Primus gradus appetitus naturalis, qui oritur principaliter à potentia vegetatiua, vt appetitio cibi & potus, estque attractio vel expulsio. Hunc primum gradum, cuius organa sunt omnia membra seruientia nutritioni, se-

ni, ſeiungimus ab his, qui propriè dicuntur affectus.

Secundus gradus eſt appetitio ſenſuum. Hic gradus duplex eſt, aut enim tactum ſequitur, aut cogitationem. Tactum ſequentes ſunt delectatio & dolor, id eſt, perceptio conueniens neruis, aut non conueniens. Hi motus etiam ſunt prorſus naturales, quia nerui ſic conditi ſunt, vt alijs rebus lædantur, alijs iuuentur. Nec poſſunt cogitatione mutari, & deridendi ſunt Stoici, qui fingunt dolorem opinionem eſſe. Alij ſunt ſequentes cogitationem, qui propriè ſunt in corde, vt lætitia, triſtitia, ſpes, metus, amor, odium, ira, miſericordia.

Tertius gradus eſt appetitio voluntatis, ſuntque in voluntate ſimilia genera, vt in corde, & ſeruit cor ciendis motibus. Propriè igitur vocantur affectus in philoſophia morali, qui ſunt ex ſecundo aut tertio gradu, & tamen diſcernantur dolor & delectatio tactum ſequentes à cæteris. Sunt enim ſimpliciter perceptiones neruorum in toto corpore. Sit igitur hæc definitio affectuum, qui conſilio regi poſſunt.

Affectus ſunt motus voluntatis aut cordis ſequentes notitiam, proſequentes aut fugientes obiecta, qui cùm aut lædant naturam aut iuuent, ſemper comitantur extremi motus,

tus, dolor læsa natura, vel suauitas seu lætitia acquiescens in obiecto conueniente, vt amor, odium, spes, metus, ira, misericordia, lætitia, mœsticia.

Tales motus aut sunt in corde, aut in voluntate. Sed tamen in veris motibus aliquo modo cor cum voluntate congruit, vt in Scipione amor continentiæ est principaliter in voluntate, quæ constanter statuit, nihil se turpiter facturam esse, & se vitiosas flammas cordis repressuram esse. Sed vt sit verus & non simulatus motus, congruere aliquo modo cor oportet. Sic in Hectoris voluntate amor est patriæ & defensionis, & respondet aliquis motus in corde. Consideratis exemplis Ethnicis, deinde piorũ luctæ aspiciantur. Laurentij voluntas vult confessionem & supplicium, quod antefert impietati, & in corde necesse est respondere aliquem congruentem motum accensum à Spiritu sancto. Sed nerui in Laurentio non possunt non sentire & refugere dolorem in supplicio. Hæc pars propterea non peccat, quia nerui ita conditi sunt, vt percipiant obiecta conuenientia & lacerantia.

Sic in Christo nerui sentiunt lacerationem, & ingenti dolore afficiuntur, & fugitãt mortem prorsus secundum naturam. Præterea cor naturali & ordinata appetitione abhorret

à morte, quam oſtendit præcedens cogitatio. Sed in voluntate maior eſt dolor, qui ſequitur agnitionem iræ Dei iraſcentis peccatis humani generis. Hic dolor ſecum etiam cor rapit, in quo tanti ſunt motus, vt ſanguis effluat. Quanquam autem fuga aliqua erat in voluntate & corde ſine peccato, quia natura etiam ordinatè deſtructionem refugit: tamen ſimul in voluntate & corde ardentior affectus erat, amor Dei & obedientiæ Deo præſtandæ. Hic ardentior affectus vicit illam trepidationem. Ideo dicit Chriſtus, Veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu vis, fiat. Nec verò prolixius hîc de ſede affectuum dicam, cùm ſatis ſit noſſe, cor & voluntatem præcipuas ſedes eſſe eorum affectuum, qui cogitationem ſequuntur.

Poſtquam tradidi definitionem affectuum & ſedem oſtēdi, iam breuiter refutemus Stoica deliramenta. Sunt enim tres falſæ opiniones Stoicorum de affectibus. Prima, affectus eſſe opiniones. Secunda, Omnes affectus eſſe vitia & contra naturam. Tertia, Omnes affectus ex eo tollendos eſſe, in quo eſt excellens virtus.

De primo errore.

Breuis & perſpicua demonſtratio eſt, affectus non eſſe opiniones. Quæ ſubiectis differunt, re ipſa differunt. Affectus & opiniones ſubie-

ſubiectis differunt. Nam in parte cogitante eſt opinio, affectus in corde. Ideo re ipſa differũt.

De ſecundo errore.

Non omnes affectus ſuo genere ſeu per ſe vitioſos eſſe, ſed aliquos eſſe bonos, ſequentia argumenta oſtendunt.

I. Lex diuina præcipit hominibus multos affectus, vt amorem Dei & proximi. Certiſsimum eſt igitur aliquos eſſe bonos affectus ſuo genere.

II. Manifeſtum eſt, naturam ita conditam eſſe, vt habeat appetitiones, nec fruſtra earum inſtrumenta condita ſunt. Ideo neceſſe eſt aliquos affectus eſſe natura bonos.

III. Manifeſtum eſt, στοργὰς non eſſe accerſitos motus, ſed inſitos naturæ.

IIII. Exempla manifeſtè refutant Stoicos. Nam & in Chriſto ſunt affectus, dilectio Dei & hominum, miſericordia, ira, lætitia, mœſtitia. Imò & in ipſa natura diuina veriſsimi affectus ſunt. Nam æternus pater veriſsimè diligit filiũ, vt inquit, Hic eſt filius meus dilectus, quo delector. Et de amore patris erga genus humanum filius inquit, Sic Deus dilexit mundum. Item, Sit tua dilectio in eis qua me diligis. Ex his argumentis perſpicuũ eſt, non omnes affectus per ſe & ſuo genere vitioſos eſſe, ſed aliquos à Deo naturæ inſitos eſſe, qui ſuo genere boni ſunt, & fuiſſent in natura in-

tegra, & quidem ardentiores & flagrantiores, vt amare Deum & proximum, odisse diabolum & scelera.

De tertio errore.

Eruditisimè & planisimè distinguuntur affectus sumto discrimine à lege Dei. Sunt enim boni affectus motus cordis aut voluntatis congruentes cum lege Dei. Etsi autem hi affectus per accidens cōtaminantur: tamē in renatis retinendi sunt, & in ordinem reuocandi, vt pater amet liberos, sed plus amet Deum, nec faciat contra Deum amore liberorum. Econtra mali affectus sunt, qui pugnant cum lege Dei. Hos reprimi & coerceri oportet, vt Paulus dicit, Si spiritu actiones carnis mortificabitis, viuetis. Cùm igitur præcipiatur à Deo, vt sint in nobis affectus congruentes legi Dei, & aliqui tales conditi sint in natura diuinitus, vt στοργαί, manifestum est nec debere, nec posse tolli tales affectus ex hominum natura. Denique totum illud deliramentum Stoicum de tollendis affectibus, vanisimum somnium & mendacium est, pugnans cum lege Dei & cum natura.

CAPVT

CAPVT IIII.

Argumentum.

ETSI *magna similitudo est artium & virtutum, tamen multum refert intelligere veras metas & vera discrimina habituum intellectus & habituum voluntatis. Nam habitus intellectus constat sola notitia. Habitus verò voluntatis tria complectitur, quorum primum est vera notitia seu rectum iudicium, alterum est libera electio, tertium est excelsa constantia amplectens iudicium & electionem, nec cedens contrarijs ventis affectuum, sicut scopuli non cedunt ventis aut fluctibus in mari. Vt Scipio est iustus in gubernatione, & castus in domestica consuetudine, quia intelligit ordinem à Deo & à natura institutum, & hunc amat, & constanter auersatur violationem iusticiæ & castitatis. Ac mihi de hoc Aristotelis loco cogitanti, venit in mentem dulcißima descriptio Marci Antonini Imperatoris, de quo Dion inquit: Similis sibijpsi semper fuit, nec mutatus est vlla in re vnquam. Erat autem bonus, & nihil erat non natiuum, nihil astutè simulatum aut ascitum. Quo autem consilio hæc ab Aristotele dicantur, ex definitione virtutis intelligi potest, quæ his verbis traditur: Virtus est habitus inclinans voluntatem, vt constanter obediat recto iudicio. Est enim constantia omnium virtutum domicilium.*

TEXTVS.

SVbijciet autem hocloco aliquis, quæ ratio nos in hanc ſententiam ducat, vt exiſtimemus, iuſticiam & reliquas virtutes ex actionibus iuſtis & honeſtis oriri. Si enim homines iuſtè & temperanter viuunt, quid obſtat quò minus iuſti ſint & temperantes, perinde vt Grammatici & Muſici habentur, qui earum artium ſpecimen oſtendunt. Sed magna diſsimilitudo eſt artium & virtutum. Nam opera, quæ ab artibus efficiuntur, æſtimari ſolent ex perfectione formarum, quæ in oculos incurrunt. At virtutum officia ponderantur cauſis interioribus in mente & voluntate. Multum enim intereſt ſciens ne an ignorans aliquid facias. Deinde vtrùm ſponte & cum libera electione, an ſimulatè & coactè officium præſtes. Poſtremò non minima ratio habenda eſt firmi[a] & perpetui propoſiti. Etſi enim in artibus cognitio potiſsimùm floret & dominatur: tamen ſola notitia ad virtutẽ aut nihil, aut parum admodum confert. At libera electio proſpiciens certũ finem, & conſtantia voluntatis virtutem perficiunt. Voco autem

[a] Cic. 1. de Finib. Non ſatis eſt iudicare quid faciendum non faciendúmve ſit, ſed ſtare etiam oportet in eo quod ſit iudicatum.

iuſta

iusta & sobria opera, quæ ita fiunt, vt [*b*] iusticiæ & temperantiæ amantes ea faciunt. Præclarè ergo dictum est, homines iusticiæ & temperantiæ officia colentes, fieri iustos & temperantes.

[b] Discrimen boni gubernatoris & tyranni hanc partem textus maximè illustrat. Bonus princeps est qui habet προαίρεσιν rectè faciendi & plerunque rectè facit, etiamsi aliquando labitur. Contrà verò tyrannus est, qui non habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plærunque scelerate facit, etiamsi interdum iusta facit. Etsi igitur Cambyses iustè facit iubens detrahi cutẽ iniusto iudici, eamq; insterni tribunali: tamen non propterea iustus est. Non enim ex singulis actionibus, sed ex perpetuitate & constantia virtus æstimanda est.

Si quis enim contrarijs actionibus studet, & somniat se decus virtutis [*c*] inani disputatione consecuturum esse, is ęgrotantes imitatur, qui pollicentur se medicis obtemperaturos esse, cùm quidem aduersa fronte pręceptis medicorum repugnent.

[c] Quàm vana & futilis sit oratio, cum qua vita pugnat, hæc dicta satis declarant. Plaut. in Truculento:

Strenui nimio plus ꝓsunt populo, quã arguti & cati,
Facilè sibi facunditatem virtus arguta inuenit,
Sine virtute argutũ ciuem mihi habeã pro pręfica.

Pacuuius: Ego odi homines ignaua opera, & philosopha sententia. Sic Cornelius Nepos ad

Ciceronem ſcribit: Tantùm abeſt vt ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæq́ vitæ perfectricem, vt nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris viuendi, quàm plæriſque, qui in ea diſputanda verſantur. Video enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore & continentia præcipiant argutiſsimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Et Seneca in exhortationibus, Plærique, inquit, philoſophorum ſunt diſerti in conuitium ſuum, quos ſi audias, in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, iudicium ſui putes profeſſos. Adeò redundant in ipſos maledicta in publicum miſſa, quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Nazianzenus in epitaphio fratris Cæſarij: Sapiens eſt, qui pauca verba de virtute facit, & multa exempla iuſtorum & honeſtorum operum proponit, & vita atque moribus ſermoni autoritatem conciliat. σοφὸς ἐστὶν ὅστις ὀλίγα μὲν περὶ ἀρετῆς φθέγγεται, πολλὰ δὲ οἷς ἐνεργεῖ παραδείκνυσι καὶ τὸ ἀξιόπιστον τῷ λόγῳ διὰ τοῦ βίου προστίθησι.

Quemadmodum enim illi nunquam ex morbo recreantur, ita hi à virtute longiſsimè aberrant, qui non id agunt, vt tales ſint, quales haberi volunt.

CAPVT

CAPVT V.

Argumentum.

CVM *doctrina de moribus ex agnitione animæ tanquam ex fonte oriatur, rectè Aristoteles, quærens quid sit virtus, lectorem deducit ad considerationem animæ, in qua hæc tria esse deprehenduntur, potentiæ, affectus & habitus. Ac potentiæ, quidem sunt innatæ vires effectrices actionum, vt in epate est facultas gignendi sanguinem & reliquos humores, quibus totum corpus nutritur. In corde est facultas gignendi spiritus vitales. Affectus, vt suprà dixi, sunt motus cordis aut voluntatis, sequentes cognitionem, prosequentes aut fugientes obiecta, quæ cum aut lædant naturam, aut delectent, semper comitantur extremi motus, dolor læsa natura, vel suauitas seu lætitia fouens naturam. Habitus sunt agilitates ortæ ex crebris actionibus, & quidam sunt affectuum quasi freni seu moderationes. Differit autem Aristoteles de singulis membris, donec remotis cæteris constituit, virtutem habitum esse.*

TEXTVS.

CVm tres sint fontes omnium actionum in hominibus, habitus, potentiæ naturales, & affectus, deinceps quærendum est,

ex quo fonte virtus manet. Voco autem affectus lætitiam, tristitiam, spem, metum, [a] iram, odium, [b] inuidentiam, & similes motus, quos semper comitantur delectatio aut dolor.

[a] Lactantius in libro de ira Dei cap. 5. Ita est perturbatio, quę cùm in animũ cuiusquam incidit, velut sæua tempestas tantos excitat fluctus, vt statum mentis immutet, ardescãt oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alterius vultum maculet, nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens.

[b] Inuidia tanquam venenum inuidos exedit, in quo vno iustissima est, cæteris in rebus iniquissima.

Naturales potentias intelligo vires non accersitas, aut arte in hominem transfusas, sed nobiscum natas, vt sint causæ certarum actionum & motuum. Habituum [c] appellatione eas qualitates complector, quæ actiones & affectus certa lege moderantur.

[c] Cogitemus talem esse hominũ naturam, vt crebram recordationem & assuefactionẽ sequatur in mente & corde & locomotiua agilitas seu celeritas, quæ nominatur ἕξις, etsi quæ res sit obscurum est.

Quòd autem virtutes non sint affectus, hinc intelligi potest, quia affectus nec bonos nec malos efficiunt. Virtutes autem & vitia discernunt bonos à malis. Deinde affectus

nec

nec laude nec vituperatione digni ſunt. Non enim laudatur metu aliquo conſternatus, nec ira commotus reprehenditur, niſi extra metas erumpat. At virtus & vitium laudem & vituperationem merentur. Quid, quòd ſæpe nolentes ira aut metu perturbantur? Virtutes verò conſultò & ſponte agunt, ſeu re deliberata & cum libra electione. Poſtremò affectus ſunt rapidi motus. Virtutes autem non deturbant hominem de ſuo ſtatu, ſed placidè animum inclinant.

Propter eaſdem cauſas virtus non eſt naturalis potentia. Neque enim boni appellamur aut mali, nec in reprehenſionem incurrimus propter agendi facultatem. Denique cùm potentiæ ſint innatæ vires, nemo autem naturaliter vel bonus ſit vel malus, relinquitur ex ſufficienti enumeratione, virtutes nec affectus nec potentias eſſe, ſed habitus.

CAPVT VI.

Argumentum.

QVEMADMODVM *in capite quinto admirabili ſolertia inquiſiuit genus virtutis, idq́; velut ex latebris erutum patefecit: ita in hoc capite eadem ſagacita-*

gacitate inquirit differentiam, quò facilior sit ad constituendam definitionem aditus. Est autem genus virtutis habitus. Deinde differentiæ sumuntur à causis. Nam principales causæ virtutis sunt mens rectè iudicans, & voluntas obtemperans recto iudicio. Has vno nomine προαίρεσιν *appellat. Causa formalis est ipsa mediocritas, quæ regitur recta notitia & constanti proposito voluntatis. Hinc perspicuum est, definitionem virtutis ab Aristotele traditam esse causalē. Cùm autem duplex sit medietas, Arithmetica & Geometrica, docet virtutem consistere in medietate Geometrica, vbi non numerorum æqualitas spectatur, sed proportionis similitudo. Hæc erudita & venusta distinctio infrà declarabitur in methodica explicatione virtutis. In fine capitis sexti addit Aristoteles argutam admonitionem de medio, quæ ex hac annotatione intelligi potest. Primò dicitur medium quod est conflatum ex duobus extremis, vt color glaucus conflatus est ex albo & nigro. Tale medium non est virtus. Secundò medium dicitur respectu remißionis & incrementi graduum eiusdem rationis, vt feruēs aqua magis calet quàm tepida. Hæc significatio congruit ad naturam virtutis quæ recipit incrementa graduum eiusdem rationis. Postremò medium appellatur, quod recedit ab vtroq; extremo, & est diuersæ rationis, vt 6. est medium inter 10. & 2. Id nec conflatum ex duobus extremis est, nec eiusdē rationis est, sed diuersæ ab extremis. Sic virtutem dicimus esse medium, scilicet diuersæ rationis ab extremis, vt dilectio Dei est medium inter*

ter

ter duo vitia, Epicureum contemtum, & ſuperſtitionem, quia vtrumq; tanquam ſcopulum fugit ac reformidat. Eſt igitur medium hoc loco ſui cuiuſdam generis ſeu ſuæ rationis, videlicet conueniens ad rectam rationem. Extrema ſunt alterius generis, videlicet pugnantia cum recta ratione.

TEXTVS.

CONſtituta hypotheſi, quòd virtus ſit habitus, illud etiam quærendum eſt, qualis ſit, & quas res efficiat. Sit igitur hoc iam à principio perſuaſum omnibus, virtutis [*a*] tantam eſſe vim, vt & ſubiectum, in quo deprehẽditur, ornet atq; illuſtret, & actiones ſubiecti decenter ac pulcrè regat, vt verbi cauſa virtus, qua cernimus lucem & colores præcipuum ornamentum eſt oculi, & viſionem minimè errantem circa obiecta ſuppeditat. Sic virtus [*b*] equi non modò equum ſtrenuum & generoſum efficit, ſed e-

[a] Interdum virtus generaliter vim ſeu facultatem ſignificat, vt cùm Horatius ait, Fortes creantur fortibus & bonis. Eſt in equis, eſt in iuuencis patrum Virtus, nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam. Aliàs ſignificat habitum parientẽ honeſtas & laude dignas actiones. Porrò, vt philoſophi verè & grauiter dicunt, à virtute vtrunque perfici, ſubiectum & actionẽ: ita nos in Eccleſia piè docemus, fide non modò perſonam co-

undem

eundem & ad cursum, & ad rem militarem instruit.

ram Deo iustificari, sed etiam opera placere, quæ fiunt prælucente fide, id est, agnitione & fiducia mediatoris. Nam sine fide nec persona, nec opus Deo placet.

[b] Strenui & generosi equi descriptio. Præclarus & laudabilis equus est, qui & cursu præstat, & vehit insidentem, & libenter se inscendi sinit, neq; formidat aduersarios. Similis descriptio extat apud Vergilium Georg. 3.

Hęc cùm in cæteris rebus ita se habeant, nemini dubium esse potest, quin virtus sit firma inclinatio & confirmata ad honestè agendũ. Etsi autem de hac sententia suprà dictum est: tamen nunc paulò accuratius naturam virtutis considerabimus proposita distinctione de duplici medietate.

In omni continuo, quod diuidi potest, videre licet maius, minus & æquale, idque duplici ratione, vel quo ad rem, vel quo ad nos. Est enim æquale medium quiddam inter excessum & defectum. Voco igitur medium rei, id quod æquali interuallo distat ab extremis. Et hoc quidem vnum & idem est omnibus. Medium verò quo ad nos, quod nec plus nec minus faciendo à meta officij aberrat. Hoc medium nec vnum est, nec idem omnibus, vt sex est medium inter decem & duo. Hîc medium æqualibus numeris distat ab extremis.

mis. Ideo talis medietas Arithmetica appellatur, quæ cùm non poſsit mutari, aliena eſt à vitæ & morum gubernatione. Medium verò quo ad nos, ex Geometrica analogia ſumendum eſt, in qua non æqualitas numerorum ſpectatur, ſed proportionis ſimilitudo, vt temperantia non poſtulat eandem menſuram cibi in ſingulis. Largius enim paſcendus eſt robuſtus iuuenis, quàm infirmus ſenex. Quamobrem ciuilis officij non ignarus fugiet vtrunque extemum, quorum alterum excedit, alterum deficit, & medium quæret atq; eliget, non quidem rei, ſed ad nos accommodatum.

Plena eſt omnis vita exemplorum, quæ nobis ſtudium medietatis commendant. Sed nunc breuitatis cauſa exemplis artium contenti erimus. Omnis ars proſpicit medium, cumque à medio non aberrat, nihil de operis perfectione deeſſe arbitratur. Ideo artifices ſemper in ore habent hanc vocem, quoties perfecta opera laudare volunt, nihil eis nec adijci, nec detrahi poſſe, ſignificantes nimirum, perfectionem deſtrui exceſſu aut defectu, eandemq; medietate conſeruari. Cùm autem boni artifices ita de ſuis operibus ſentiant & loquantur, nemini mirum videri debet, virtutem longè omnibus artibus præſtantem, magno ſtudio medium

quæ-

quærere. Verſatur enim circa affectus & actiones, in quibus locum habet nimium, parum & medium. Poteſt enim aliquis aut minus, aut plus, quàm par eſt, vel lætari, vel dolere, vel iraſci, vel miſericordia affici. At ſentire hos pectoris motus quando & vbi opus eſt, nec diſcedere à natura, & perſonæ ac locorum ordine, laudem habet medietatis, de qua nunc diſſerimus. Eodem modo in actionibus videre licet exceſſum, defectum, & medietatem. Vt autem extrema vitioſa ſunt, & vituperationem merentur: ſic medietas laude & prædicatione digna eſt. Eſt igitur virtus medietas quædam, cùm omnes conatus ad medium dirigat. Sed hoc attingere difficile eſt, cùm malum iuxta Pythagoræ ſententiã [c] infinito ſimile ſit, bonum verò finito.

[c] Sic verum eſt vnum & ſimplex. Falſum verò multiplex.

ἀκρότης) Virtus dupliciter conſideratur, aut reſpectu extremorũ, quæ ſunt vitioſa, aut reſpectu graduũ ſuę rationis. In primo reſpectu virtus eſt μεσότης, in altera conſideratione eſt ἀκρότης, quia eſt ſummus gradus in ſuo genere, vt dilectio Dei eſt medietas fugiens vtrumq; extremum, Epicureum contemtum Dei, & ſuperſtitionem. Eadem dilectio eſt ἀκρότης, in vita æterna, quia tunc erit ardens ſine praua concupiſcentia.

Itaq;

Itaq; vnus duntaxat modus eſt rectè agendi, mille autem mali ſpecies, nec quicquam facilius eſt, quàm à ſcopo aberrare. Sit ergo hæc definitio virtutis: Virtus eſt habitus conſultò & ſponte agens, atq; in medietate conſiſtens, quoad nos, ſecundum rectam rationem, vt ſapiens iudicat.

Intelligatur autem medietas reſpectu duorum vitiorum, quorum alterum excedit, alterum deficit, ſiue id fiat in affectibus, ſiue in actionibus. Quanquam enim virtus, ſi cum extremis comparetur, medietatis rationem obtinet: tamen per ſe & ſuo genere ſummus gradus eſt boni & honeſti.

Neque verò omnis actio aut affectus capax eſt medietatis, ſed quædam ipſo nomine prauitatem & malitiam præ ſe ferunt, vt lætitia, quæ ex aliorum malis percipitur, [d] impudentia, inuidia: item adulteriū, furtū, homicidium. Hæc [e] enim omnia vitioſa ſunt, ſiue quis mediū ſiue exceſſum, ſiue defectum nominet.

[d] Impudentia eſt contemnere Dei & omnium hominum iudicia, & ſine reſpectu iudicij propriæ conſcientiæ & aliorum ſanorum omnibus cupiditatibus frenos laxare. Rectè igitur dictū eſt ab Euripide in Medea, Impudentia morbus eſt maximus hominum: & à Xenophonte in primo de diſciplina Cyri, Impudentia eſt dux ad omnem turpitudinem.

[e] Vtilitas huius argutæ admonitionis eſt, ne errore media extremorum pro virtutibus accipiantur, vt Dionyſius maior non eſt bonus princeps, etiamſi filius patre deterior eſt. Nam in extremis non eſt quærendum medium.

EXPLICATIO VIRTVTIS METHODICA.

DEFINITIO NOMINIS.

Triplex eſt huius vocabuli vſus.

Primùm ſæpe vſurpatur nomen virtutis pro efficacia, vt in dicto Petri 2. Pet. 1. Præſtate in fide virtutem, id eſt, vera notitia doctrinæ de Deo, & fiducia miſericordiæ non ſit ignaua & otioſa, ſed ſit efficax, & verè impellat cor ad cauenda ſcandala, ad ornandam gloriam Dei omni officio. Deinde addit, In virtute ſcientiam, id eſt, iudicium, ſeu vt vulgò vocăt, diſcretioně. Nam vbi eſt vehemens ſtudium rectè faciendi, aliqui nimio ſtudio peccant, vt ſæpe vidimus inimicos hypocriſi etiam bonos ritus abdere. Eremitæ vt viderentur valde inimici vitijs, ſuperſtitione deſeruerunt ſocietatem ciuilem, vbi debebant alijs ſeruire, quia Deus immenſa bonitate ſparſit Eccleſiam in mundum, vt ex hac corruptiſsima maſſa generis humani colligat hæreditatem Chriſto.

Se-

Sequitur, In ſcientia continentiam, id eſt, dum vitas, ne nimio ſtudio prouehare longius, vide ne pecces in alteram partem, videlicet nimiùm indulgendo corpori aut otio, vt nunc reprehenſa ſuperſtitione ieiuniorum & precationum, aliquantò minus eſt temperantiæ aut precationum, quàm oportuit. Dixit de præcepto ſexto. Poſtea de quinto loquitur. Adſit etiam patientia, id eſt, reprimatur cupiditas vindictæ. Alia enim virtus eſt patientia, alia temperantia ſeu caſtitas. Deinde inquit, In patientia ſit pietas, id eſt, Sis patiens propter Deum, non tantùm philoſophico more, ſed accedat etiam inuocatio & celebratio Dei. Poſtea inquit, In pietate ſit amor fraternus, quaſi dicat, Primùm neceſſaria eſt pietas erga Deum. Huic proxima ſit virtus amor Eccleſiæ & communis concordiæ, & fouendæ ſocietatis ſtudium. Vt ſi dicam ſcholaſtico, primùm ideo diſcas, vt Deum agnoſcas & celebres, deinde vt tuus labor aliquid boni afferat Eccleſiæ. Nem hi ſunt fines præcipui noſtrorum laborum, vt Chriſtus inquit, Luceat lux veſtra, vt glorificetur pater cœleſtis. Et 1.Cor.10. Omnia facite ad gloriã Dei. Poſtremò addit dilectionem, videlicet poſtulans ſinceritatem, Abſit ſimulatio, abſit captatio noſtræ vtilitatis. Hãc gradationem obiter repetiui, vt vocabula fiant familiariter nota ſtudioſis.

Secundò virtus significat affectionem animi constantem conuenientemq́; , laudabiles efficientem eos, in quibus est, vt Philipp. 4. Si qua virtus, si qua laus. Ideo autem coniungit virtutem & laudem, vt significet rectè factis, non inani ostentatione bonam famam parádam esse. Nam vera gloria non est approbatio leuium hominum, & stultæ multitudinis applausus, sed consentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute.

Tertiò, κατ' ἐξοχὴν vsurpatur pro fortitudine. Sic AEneas apud Vergilium ad Ascanium inquit:

Disce puer virtutem ex me, verumq́; laborem,
Fortunam ex alijs.

Etsi enim Romani omnium virtutum mirificé studiosi fuerunt: tamen quia iudicarunt hominis excellétiam in fortitudine maximè esse positam, virtutem eam nominarunt.

Hæc diuersitas in vsu vocabuli prudenter consideranda est, ne misceantur significationes in scriptis diuinis & philosophicis.

DEFINITIO REI.

Virtus in natura integra, qualis fuit ante lapsum, & qualis erit post resurrectionem, est vera conformitas motuũ cordis & omnium

virium cum Deo ſeu cum lege Dei. Idem eſt enim dicere, congruere cum Deo, & congruere cum lege Dei, quia Deus talis eſt, ſicut ſe in lege deſcripſit. Nunc verò in hac triſti & lugenda corruptione hominum difficile eſt tradere illuſtrem definitionem virtutis. Nam virtus etiam in heroicis naturis eſt quiddam languidum & mutabile, vt oſtendunt exempla Herculis, Themiſtoclis, Alexandri, & aliorum. Sed tamen conſtituamus hanc qualemcunq; deſcriptionem: Virtus eſt habitus inclinans voluntatem, vt conſtanter obediat recto iudicio propter Deum, vt & gratitudinem ei declaret, & Dei voluntatem alijs oſtendat. Ariſtoteles ita definit virtutem, vt & modum illius obedientiæ, & cauſam quæ regit obedientiam, complectatur. Virtus, inquit, eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, ſecundum rectam rationem, vt ſapiens iudicat. Sed quæ ſit ſententia verborum, Ariſtotelis ſuo loco dicam.

DIVISIO.

Quinq; ſunt virtutum differentiæ.

Prima. Virtus aut eſt διανοητικὴ aut ἠθικὴ. Huius diuiſionis autores ſunt Ariſtoteles in fine primi Ethicorum, & Cicero, qui in libro quinto de Finibus ſic inquit: Virtutum ſunt duo prima genera. Vnum earum quæ ingenerantur ſuapte natura, appellanturq; non vo-

luntariæ. Alterum earum, quæ in voluntate positæ magis proprio nomine appellari solēt, quarum est excellens in animorũ laude præstantia. Prioris generis est docilitas, memoria, quæ ferè omnia appellantur vno ingenij nomine, easq; virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumq; virtutum, quas appellamus voluntarias, vt prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iusticiam, & reliquas eiusdem generis.

Secunda. Virtutum aliæ sunt heroicæ, aliæ communes. Heroicæ dicuntur, quæ in excellentibus naturis habent ardentes impetus, vt fortitudo, qualis fuit in Achille. Communes sunt in mediocribus, non monstrosis hominibus, quia etiam mediocres naturæ, non monstrosæ flecti ad virtutem doctrina & assuefactione possunt.

Tertia. Virtutum aliæ sunt necessariæ, aliæ non necessariæ. Necessariæ sunt, de quibus extant præcepta in lege diuina, & quarum violatio polluit conscientiam, & auellit hominem à Deo, vt vrbanitas non est omnium.

Quarta. Virtutes aut sunt primæ tabulæ, aut secundæ. Virtutes primæ tabulæ sunt, quibus immediatè cum Deo agimus. Virtutes secundæ tabulæ, quibus immediatè cum hominibus agimus, quæ tamen ad hunc finem refe-

referendæ ſunt, vt ea obedientia Deo præſtetur.

Quinta. Aliæ ſunt γενικαὶ, aliæ εἰδικαί. Hanc diuiſionem tradit Euſtratius interpres Ariſtotelis lib. 6. Ethicorum. Sunt autem γενικαὶ, quarum appellatione ſignificatur copulatio multarum virtutum, vt pietas eſt officioſus erga Deum, patriam, parentes, ſanguine coniunctos cultus, denique gratitudo erga bene meritos. Iuſticia vniuerſalis eſt obedientia erga omnes leges. Humanitas eſt συζυγία iuſticiæ & aliarum virtutum mitiorum. Dilectio proximi continet omnia officia ſecundæ tabulæ. εἰδικαὶ, quæ ad certum preceptum pertinent, vt caſtitas, veritas, manſuetudo, temperantia, amicitia, gratitudo, & aliæ.

CAVSAE.

Efficientes cauſæ principales ſecundum philoſophiam ſunt, mens gubernans voluntatem recto iudicio, & voluntas obediens recto iudicio.

Cauſæ adiuuantes ſunt hæc tria, doctrina, naturales impetus, & diſciplina. De doctrina Fabius inquit: Virtus à natura ſumit initium, ſed doctrina perficitur. Et Seneca in libello de ſtudijs liberalibus: Studia liberalia virtutem dare non poſſunt, ſed

animum ad eam accipiendam præparare. De naturali inclinatione & disciplina recitat Galenus dictum Aristotelis, qui interrogatus, quomodo iustus factus esset, respondit, Plurimum quidem valet natura, sed ego studiosè naturam adiuui.

Sed cùm in Ecclesia de ijs dicimus, qui gubernantur verbo Dei & Spiritu sancto, addi plures causas oportet. Cùm Ioseph repugnaret illecebris dominæ, ac regeretur timore Dei & fide, concurrebant hæ causæ, verbum Dei, filius Dei illustrans mentem & dans Spiritum sanctum, Spiritus sanctus mouens voluntatem & cor, & ipsa voluntas Ioseph. Inchoandum est enim ab externo verbo Dei. Mens cogitabat mandata Dei, promissiones & pœnas. In hac ipsa cogitatione intuens promissionem auxilij & mediatoris petit se regi. Hîc ipse filius Dei, λόγος καὶ εἰκὼν æterni patris, sua luce mentem illustrat, vt Ioseph agnoscat æternum patrem, & sciat se ei curæ esse & fore, & simul Spiritu sancto mouet voluntatem & cor Ioseph, vt velit Deo obedire, & auget timorem Dei, & voluntas adiuta assentitur Spiritui sancto, coercet externa membra, non admittit illecebras. Hæc de causis spititualium actionum tenere prodest, vt fidei exercitia discamus. Mens cogitet mandata Dei & Euangelium, ac fide petat auxiliũ à mediatore, qui venit

venit vt deſtruat opera Diaboli. Cùm autem fide erigimur, filius Dei verè adeſt, & accendit voluntatem & cor Spiritu ſancto. Ita voluntas adiuta repugnat vitijs, & coercet externa membra, ne ruant contra rectum iudicium. Ac ſcimus nos non noſtris viribus vincere, ſed auxilio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Subiectum, in quo eſt & virtus & virtutis actio, eſt voluntas, cum qua cor aliquo modo congruere oportet. Vt enim ſenſus interni & externi ſeruiunt intellectui tanquam nuncij & teſtes experientiæ: ſic cum voluntate copulatæ ſunt duæ facultates, locomotiua & appetitiua in corde, quarum hæc perſuaſione, illa coactione regitur. Sed de gubernatione diſſimili potentiarum ſuo loco dictum eſt.

Porrò cùm de actionibus loquimur, ipſa actio forma eſt, videlicet motus voluntatis & cordis obtemperans recto iudicio, vt ipſa moderatio iracundiæ in Dauide parcente Sauli eſt forma. Habuit autē duas grauiſſimas cauſas Dauid huius ſuæ moderationis, quarum prior erat, vt ipſo facto calumnias refutaret eorum, qui vociferabantur Dauidem eſſe ſeditioſum, & occupare regnum excuſſo domino. Altera erat, quia noluit eſſe autor mali exempli interficiendorū regum in populo Dei.

Sed cùm de habitibus loquimur, firma inclinatio in voluntate & corde eſt forma.

FINES SEV EFFECTVS.

Primus & præcipuus finis omnium virtutum eſt, vt Deo præſtetur obedientia debita. Deinde ſequuntur multi fines alij, quos etiá rectum eſt ſuo ordine appetere, vt verbi cauſa, mitigatio pœnarum publicarũ & priuatarũ, incrementũ donorum ſpiritualium, præmia præſentia & æterna, tranquillitas orta à bona conſcientia, qua nihil cogitari poteſt beatius, quæ velut guſtus quidam & exemplum eſt in hoc mortali corpore immortalis illius vitæ omnibus bonis cumulatæ, honeſta exempla, bona fama, diuina defenſio in periculis. Sed nulla eloquentia omnes effectus virtutis ſatis exponere poteſt. Etſi enim virtus ipſa non eſt ſummum bonum, vt philoſophi putauerunt: tamen effectrix eſt & mater ſummi boni, quoniam perueniri ad illud ſine virtute non poteſt.

DE ARISTOTELICA DEFINITIONE VIRTVTIS.

HACTENVS doctrinam de virtute vſitata methodo explicaui: Nunc conſiderandæ ſunt partes Ariſtotelicæ definitionis. Cur dicit ἕξις προαιρετική? Quia actio externa diſsimiles cauſas interiores habet, quarum aliquæ non ſunt cauſæ virtutis. Sunt autem gradus quatuor,

φύσις

φύσις, δόξα, βούλησις, προαίρεσις. Vt Cato natura fortis eſt, quia eſt natura rigidus, nec moderatur eam ratione. Brutus opinione fortis eſt, quia ex Stoicis diſputationibus, aut imitatione, aſſumit rigidos mores, nec vtitur ſimulatione, ſed perſuaſione ita ducitur, ac putat ſe talem eſſe. Simulatione fortis eſt Thraſo, qui ſciens ſimulat fortitudinem. Hi gradus non ſunt virtutes, quia non concurrunt integræ cauſæ. Nam in duobus prioribus gradibus mens non adhibet iudicium. In tertio voluntas ne vult quidem quod oſtendit, vt hypocritæ etſi ſimulant ſe honeſtos eſſe, tamen clàm indulgent prauis cupiditatibus, vt dicitur, *Qui Curios ſimulant & Bacchanalia viuunt.* Quartus gradus antecellit prioribus. προαιρέσει talis eſt, qui rectè iudicat & re deliberata ſponte ſuſcipit actionem. His gradibus conſideratis facilè intelliget lector, quid Ariſtoteles vocauerit ἕξιν προαιρετικὴν, & cur voluerit hanc appellationem in definitione poni, videlicet vt integras cauſas actionis cōplecteretur, quarum vna eſt mens rectè iudicans, altera voluntas ſponte obtemperans, vt C. Cæſar victor ſciens & volens, non metu, non imbecillitate animi fractus reſtituit Marcellum & alios. Hæc ſatis ſit de hac particula monuiſſe, quæ facilius intelligetur ab ijs, qui cōſuetudinem Græcæ linguæ obſeruant.

Sequi-

Sequitur alia particula definitionis de mediocritate. Vt enim προαίρεσις causas rectrices obedientię complectitur, sic mediocritas modum illius obedientiæ exprimit. Nam affectus & motus omnes ad mediocritatem reuocandi sunt. Sed hîc quæstio est, qualis medietas sit virtus. Nam alia est medietas immutabilis, vt centri in circulo, alia est mutabilis, vt alius modus cibi conuenit robusto, alius debili.

Cùm igitur in plærisq; virtutibus non immota medietas quæratur, sed alia latior, quæ propter diuersas circumstãtias varia est, aliud enim alijs congruit, Aristoteles in definitione virtutis inquit, sumi medietatem quo ad nos, id est, quam conuenire nobis ex circumstantijs iudicamus, vt non idem medium est temperantiæ in homine robusto & imbecilli. Sic non idem medium est liberalitatis egenæ viduæ & Salomonis.

Meminerimus igitur dictum huius loci de medietate quo ad nos, ne Stoico more quæratur vnus aliquis gradus.

Postremò additur, vt sapiens iudicat, id est, hæc medietas retineatur, quam homo sapiens & peritus congruere circumstantiis iudicat. Vult enim normam esse, non cuiuslibet imaginationem, sed iudicium artificis intelligentis fontes earum rerum, de quibus iudicat.

CAPVT

CAPVT VII.

Argumentum.

ETSI *nulla doctrina de virtutibus expeditior est quàm Decalogus: tamen non inutile est videre consilium Aristotelis, qui ordinem virtutum à proximis obiectis sumsit. Nam hominis actiones aut circa affectus, aut circa res, aut circa sermonem versantur. Sunt igitur aliæ virtutes moderationes affectuum, vt fortitudo, mansuetudo, temperantia, aliæ mediocritates rerum, vt liberalitas, iustitia, aliæ gubernatrices sermonis: vt veritas & vrbanitas. Hæc de fonte Aristotelici consilij satis sit monuisse.*

TEXTVS.

SED conuertamus aliquando orationem ab vniuersi generis explicatione ad enumerationem specierum, vt his cognitis, de genere & vniuersa re facilius iudicare possimus. Principiò satis constat, virtutes versari aut circa affectus, aut circa res, aut circa sermonem. Vt fortitudo mediocritatem efficit secundum rectam rationem inter pauores & audaciam. Temperantia efficit mediocritatem in cibo & potu, rebusque venereis. Liberalitas est mediocritas inter sordes & profusionem. Magnificentia mediocritas quædam est in

eſt in ſumtibus & quidem magnis cum delectu faciendis. Recedunt autem ab hac ipſa mediocritate genera hominum duo, & qui dicuntur modici, cùm non ſatis pro dignitate ac decore ſeſe gerant, & qui faciendis ſumtibus expleri nequeunt. Quorum nomen etſi hactenus non ſatis proprium habetur, appellari tamen eos ventoſos à quibuſdam animaduertimus. Modicitas autem ipſa, aut ab animo, qui in eis puſillus eſt, oritur, aut ab anguſtijs rei familiaris. Cæterùm de diſcrimine magnificentiæ & liberalitatis infrà dicetur. Magnanimitas eſt mediocritas inter puſillanimitatem defectum, inflationem verò exceſſum. Vt autem à magnificentia differt liberalitas, ſic à magnanimitate modeſtia diſtat, cuius extrema ſunt ambitio, & nullum honoris ſtudium ſeu contemtus honoris. Manſuetudo frenat iram vt ſit moderata, nec ruat contra iuſticiam aut alias virtutes. Huic contraria ſunt ira effrenis, & lentum eſſe, nec iuſta indignatione exardeſcere.

Hactenus eas virtutes recenſuimus, quæ ſunt aut affectuum aut rerum mediocritates. Sequitur vt eas enumeremus, quæ verſantur in ſermone, eundemq; certa ratione moderantur. Eſt igitur veritas congruentia orationis cum re, & in dictis conſtantia. Huic

virtuti

virtuti aduersa fronte repugnant simulatio & [a] dissimulatio.

[a] Cic. Bruto: Ego ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis & Xenophontis & Aeschinis libris vtitur, facetam & elegantem puto. Est enim & minimè inepti hominis & eiusdem etiam faceti, cùm de sapientia disceptetur, hâc sibiipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant, vt apud Platonem Socrates in cœlũ effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros, se autem omnium rerum inscium fingit & rudem. Decet hoc, nescio quo modo, illum, nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior.

Vrbanitatis extrema sunt scurrilitas & insulsitas. Comitas versatur inter morositatem & adulationem.

Porrò, in ipsis affectibus sunt quædam mediocritates, vt verecundia etsi non est virtus, tamen laudem meretur. Pugnant autem cum verecundia impudentia & rusticus pudor seu consternatio. Sic [b] Nemesis est indignatio orta propter felicitatem sceleratorum. Huic opponuntur lætitia, quę ex calamitate honorũ percipitur, & inuidentia, quę vritur successibus omnium hominum.

[b] Nemesis aliàs virtutem significat, aliàs affectum. Vt cùm veteres dicunt νέμεσιν seu ἀδράστειαν comitem esse superbiæ, intelligitur Nemesis de iusticia distributiua Dei punientis superbiam & alia delicta atrocia. Sic Orpheus

pheus inexorabilem vltricem ſcelerum vindictam iuxta Iouis ſedem aſsidere, & omnium hominum facta cernere dixit. Hac Nemeſi ardere bonos principes & gubernatores oportet, vt Lucilius inquit:

Virtus id dare, quod re ipſa debetur honori,
Hoſtem eſſe atq; inimicum hominum, morumq; malorũ,
Contrà defenſorem hominum, morumq; bonorum.
Hos magnifacere, his bene velle, his viuere amicum,
Commoda prœterea patriæ ſibi prima putare,
Deinde parentum, tertia iam poſtremaq; noſtra.

Sed hoc loco ab Ariſtotele Nemeſis appellatur indignatio, orta propter felicitatem ſceleratorum. Vt enim inuidentia vritur gloria & ſucceſſibus omnium hominum ſine reſpectu virtutis aut vitij: ita Nemeſis tantùm dolet florere impios & ſceleratos. ἐπιχαιρεκακία verò lętatur calamitate bonorum & ſucceſsibus improborum, vt Semei lætatur exilio Dauidis, & venenatiſsimis ſarcaſmis calamitatem ei exprobrat. Sic Diaboli ſunt ἐπιχαιρέκακοι, quia lætantur calamitatibus Eccléſiæ. Etſi autem Ariſtoteles laudat affectum, quem vocat Nemeſin: tamen Pſalmi docent hunc animi motum frenandum eſſe, cùm videmus impios florere, pijs autem malè eſſe, vt Pſalmo 37. præcipitur, Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſticias. Videndum eſt igitur vbi congruant philoſophorum ſententiæ cum doctrina Eccleſiæ, & qua in parte ab hac norma longius recedant.

Sed de iuſticia, cuius multæ ſunt ſpecies, & de virtutibus, quarum appellationes dun-

taxat

taxat recensui, alio quodam loco accuratius dicam.

CAPVT VIII.

Argumentum.

DVO *sunt huius capitis loci præcipui, prior est arguta collatio virtutis cum extremis & extremorũ inter se. Alter est querela sæpe à philosophis repetita, quæ deplorat naturæ humanæ infirmitatem. Sed omissa argutia vtilius est in consideratione humanæ imbecillitatis immorari. Omnes sani fatentur, exiguam esse sapientiam in mente hominis, & virtutem in voluntate admodum languere, & affectus in corde velut sæuam tempestatem magnos excitare fluctus. Etsi autem philosophia hanc infirmitatem deplorat: tamen nec causas principales humanarum miseriarum videt, nec efficacia remedia proponere potest. At vox diuina docet, vnde sit in hominum natura tanta labes, & multis concionibus non solùm promittit auxilium opponendum nostræ infirmitati, sed etiam peti opem præcipit, vt cùm inquit, Quantò magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Petamus ergo fiducia filij hunc gubernatorem mentis, voluntatis & cordis, quem Paulus vocat Spiritum roboris, dilectionis & modestiæ. Roboris, quia confirmat nos contra dubitationes, & contra metum in periculis. Dilectionis, quia accendit dilectionem Dei & proximi. Modestiæ*

quia flectit animos ad moderationem in rebus secundis & aduersis. Hæc collatio doctrinarum bonæ menti suauis est, & pectora exuscitat, vt Deo gratias agant, quòd non tantùm cicatricibus, sed etiam vulneribus naturæ nostræ medetur, misso filio & donato Spiritu sancto.

TEXTVS.

NVnc, si placet, videamus, qua ratione inter se opponantur extrema & media. Quemadmodum igitur æquale si conferatur cum minore, maiorem habet rationem, & idem collatum ad maius, minorem rationem habet: ita medij habitus comparati cum defectu excedere, & ijdem comparati cum excessu deficere videntur, vt fortis respectu timidi audax apparet, & audacis respectu timidus. Ex quo fit, vt sæpe extrema pro medijs & vicissim vsurpentur. Etsi autem extrema medijs repugnant: tamen maior est extremorum oppositio, cùm longius inter se quàm à medio distent. Quædam etiam extrema aliquid cognationis cum medio habent, vt audacia quadam similitudine ad fortitudinem accedit. Sed aliàs excessus, aliàs defectus longius à medio recedit, vt timiditas longius abest à fortitudine quàm audacia. Intemperantia magis inimica est mediocritati in cibo & potu, quàm stupor, qui nullo voluptatis sensu

ſenſu afficitur. Huius diſsimilitudinis duæ ſunt cauſæ, quarum vna à re ipſa ducitur, altera à noſtra inclinatione. Primùm enim quædam extrema viciniora ſunt virtutibus, vt audacia propius accedit ad imaginem fortitudinis, quàm timiditas. Deinde ad quæ natura magis procliues ſumus, ea longius recedunt à medio. Hanc ob cauſam intemperantia aduerſa fronte repugnat temperantiæ, cùm omnes ſimus à labore procliues ad libidinem.

Etſi autem ex his quæ dixi, ſatis intelligi poteſt, qualis mediocritas ſit virtus, & quanta contentione vtrunque extremum vitet: tamen arduum & difficile eſt in ſingulis circumſtantijs medium attingere. Quemadmodum enim centrum circuli reperire non eſt cuiuſlibet, ſed tantùm artificis: ita modum ſeruare in exercenda liberalitate, & habere delectum, cui, & quid, & quantum ſit dandum, hominis eſt præclarè intelligentis officia liberalitatis. Itaque rara res eſt & laude digna vera virtus, cuius medium quærentes oportet id maximè fugere, quod à medio longius recedit, ſicut & Calypſo Vlyſſen hortatur, ne nauigans vel in fumum, vel in fluctum incurrat. Nam alterum extremorum plærunque plus vitij habet, alterum minus. Quanquam autem in tanta naturæ

imbecillitate non poſſumus perpetuò hunc curſum tenere, vt nihil peccemus: tamen & altera [a] nauigatio ſuam habet laudem, quæ perficit, ne longius à medio depellamur, ſed ad metam quantum fieri poteſt, contendamus.

ὥσπερ γὰρ τὸ ἴσον) Collocentur ordine tres numeri, 9.6.3. Inter hos numeros 6. eſt τὸ ἴσον: æqualiter enim diſtat à 9. & 3. Quando igitur ſenarius confertur cum ternario, eſt maior. Idem ſenarius ſi comparetur cum nouenario fit minor.

[a] Græci primam maximeq́; optandam nauigationem vocant ἐξ οὐρίας, cùm nauis fertur & æſtu & vento ſecundo. Rurſus cùm obliqua velificatione aut remis opus eſt, δεύτερον πλοῦν appellabant. Euſtathius in ſecundum Odyſſeæ citans autorem Pauſaniam.

Illud etiam animaduertendum eſt, ad quas res natura duce vehamur. Nam alij ad alias res magis propēſi ſunt. Neq; verò difficile eſt naturæ noſtræ inclinationē notare ex ijs, quæ vel lætitiam, vel triſtitiam nobis afferunt. Vt igitur naturæ bona fouenda & regenda ſunt: ſic mala naturæ, quantū fieri poteſt, arte & aſſuefactione contraria emendemus, eaq́; in re agricolas imitemur, qui cùm curuas frondes [b] rectificare volunt, pluſculū eas in oppoſitam partē flectunt.

[b] Baſilius in quadam epiſtola hac venuſtiſsima ſimilitudine

dine vtitur: Quidam in refutatione erroris longius prouectus, fecit agricolarum more, qui cùm curuas frondes extendere conantur, vt rectè creſcant, pluſculum inflectunt eas in contrariam partem.

Nihil præterea maiore ſtudio curaq; vitemus, quàm voluptatum illecebras, de quibus integrè & incorruptè iudicare admodum difficile eſt. Quòd ſi exemplum Troianorum iudicum nobis ad imitandum proponemus, & voluptatem eadem ſeueritate, qua illi [c] Helenam ex agro atque finibus noſtris exterminabimus, minus profectò à medio aberrabimus, ſed ad id quàm proximè accedemus.

[c] Homerus Iliados tertio:

Non erat indignum certè tot funera Troas,
Tot mala pro tali Danaos toleraſſe puella,
Cœlicolis ſimili formæ ſplendore deabus.
Séd tamen ipſa ſuos redeat cum nauibus Argos,
Ne cladem nobis noſtriſq; nepotibus olim
Inferat, & ſuperet multorum cauſa laborum.

Sed res ipſa oſtendit quàm difficile ſit medium attingere. Neque enim facile eſt decernere, quonam modo iraſcendum ſit, atq; aduerſum quos, & quanto etiam tempore, ſiquidem medium ipſum ad eum etiam qui iraſcitur, referendum eſt. Quæ res tantam aliquando efficit inueniendi medij difficultatem, vt aliquantulum in ipſa ira efferueſcere, nunc medium ſit, quod alio tempore, &

ob aliam cauſam, & in homine alio fuerat vitioſum.

APPENDIX LIBRI SECVNDI, CONTINENS ENVmerationem virtutum primæ atq; ſecundæ tabulæ, & præcipuarum etiam virtutum illuſtres demonſtrationes.

Enumeratio virtutum primæ Tabulæ.

VVLT Deus à nobis & intelligi & amari virtutes, non ſolùm vt earum officia præſtemus, ſed multò magis vt ſciamus eas eſſe teſtimonia de ipſo, & cogitatione virtutũ diſcernamus verum Deum à rebus non intelligentibus & deprauatis. Primùm enim agnitio virtutum, & diſcriminis honeſtorum & turpium in mente humana, firmum & illuſtre teſtimonium eſt confirmans eſſe Deum. Nam impoſsibile eſt, æternum & immotum diſcrimen faciendorum & non faciendorum caſu exiſtere & manere. Deinde virtutum intellectus monet qualis ſit Deus, & diſcernit eum à malis naturis. Talis eſt enim Deus, qualem virtutes pingunt, videlicet ſapiens, iuſtus, caſtus,

ſtus, beneficus, verax, nequaquam volens promiſcuas cædes, vagas libidines, mendacia, ſed hæc mala, pugnantia cum norma virtutum, puniens. Teſtatur etiam Deum eſſe iudicem, quia tale diſcrimen non eſt inane. Videmus enim pœnas etiam in hac vita, quibus atrocia delicta puniuntur. Quare propter agnitionē Dei virtutum doctrina ſtudioſè diſcenda, & aſsiduè cogitanda eſt. Cùm autem teſtimonia de Deo in hac doctrina conſideraueris, accedat & hæc cogitatio, quòd videlicet ſit norma vitæ hominum in actionibus externis ſeu in diſciplina, quam qui atrociter violant, triſtes pœnas ſibi & alijs accerſunt.

Hæc initiò dicenda putaui, vt ſemper hæc admonitio in conſpectu ſit, doctrinam de virtutibus neceſſariò cognoſcendam eſſe, non ſolùm vt ſit rectrix vitæ hominum, ſed etiam vt ſit monſtratrix qualis ſit Deus.

DE PRIMO PRAECEPTO.

SEPTEM ſunt maximè inſignes & conſpicuæ virtutes primi præcepti, Vera notitia Dei, Fides, Dilectio, Spes, Timor Dei, Humilitas, Patientia.

Quid eſt vera notitia Dei?

Eſt Deum ſic agnoſcere, ſicut ſe patefecit, eundemq; à commentitijs numinibus diſcer-

nere, nec aliud de essentia Dei, aut de voluntate, aut de cæteris articulis fidei asseuerare, quã quod ipse tradidit in scriptis propheticis & apostolicis.

Propter quas causas necessaria est vera Dei agnitio?

Prima causa sumitur ex consilio Dei, quo condidit hominem. Ideo enim homo conditus est, vt in eo luceat notitia Dei, & vt ei Deus communicet suam sapientiam & bonitatem. Præclarè ergo in versiculis Philippi Melanthonis dictum est:

Non Deus ostendit se tantùm, vt corpora curet,
Sed cur seruari nos velit, ille monet.
Scilicet vt sese nobis communicet ipse,
Semper & vt viuant pectora plena Deo.
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
Mens pia cùm discit munera nosse Dei.

Altera causa recitatur in dicto Christi: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te Deum verũ, & quem misisti Iesum esse Christum. Tertia causa, quia horribilis ingratitudo est, cùm Deus tanta bonitate se patefecerit, ne quidem audire eum velle. Quarta. Cùm mentes nõ reguntur vera agnitione Dei, impelluntur à Diabolo ad horrendas opinionum, cultuum & morum confusiones, quarum exempla recitantur in capite primo ad Romanos. De hac

causa

causa Lactantius in libro de ira Dei cap. 1. inquit: Lumen mentis humanæ Deus est, quem qui cognouerit, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet. Remoto autem Deo, cœlestiq; doctrina, omnia erroribus plena sunt.

Quid interest inter philosophicam & Euangelicam Dei notitiam?

Philosophica Dei notitia, quæ partim nobiscum nascitur, partim ex opificio mundi sumitur, est particula legis, quæ affirmat Deum esse opificem naturæ, & normam vitæ ab ipso nobis insitam esse, discrimen honestorum & turpium, & iuxta id discrimen obedientiam ei debitam esse. Hæc notitia non gignit Ecclesiam, vt multi somniant, sed semen Ecclesiæ est Euangelium seu promissio de mediatore. Notitia verò, quæ voce Euangelij accenditur, est sapientia agnoscens essentiam Dei distinctam tribus personis, ęterno Patre, Filio & Spiritu sancto, & voluntatem Dei de remissione peccatorum gratis donāda propter mediatorem filium. Etsi igitur philosophica Dei notitia vera est, quatenus congruit cum lege diuina: tamen manca & mutila est, & procul discernenda à sapientia Euangelij, de qua filius Dei inquit, Nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.

Quid eſt Fides?

Fides eſt notitia & aſſenſus, quo firmiter amplectimur totam doctrinam à Deo traditam Eccleſiæ, & in hac etiam promiſsionem reconciliationis, quam apprehendentes accipimus remiſsionem peccatorum fiducia filij Dei, & hac fiducia acquieſcētes accedimus ad Deum & nos recipi & exaudiri ſtatuimus.

Quid eſt Spes?

Eſt expectatio vitæ æternæ propter filium Dei certa, & expectatio auxilij & mitigationis calamitatum in hac vita iuxta conſilium Dei.

Quomodo differunt fides & ſpes?

Fides accipit præſens beneficium, ſcilicet remiſsionem peccatorum, vt certiſsimum eſt ex dicto, Iuſtificati fide pacem habemus. At Spes futuram liberationem intuetur & expectat. Hæc differentia perſpicua eſt.

Quid eſt dilectio Dei?

Dilectio Dei eſt ſubijcere cor Deo, & facere mandata eius cum quadam lætitia, quæ oritur à fide apprehendente miſericordiam Dei propter filium. Hæc deſcriptio traditur Roma. 13. Dilectio eſt impletio legis. Et 1. Ioannis. 5. Hæc eſt dilectio Dei, vt mandata eius ſeruemus.

Quid

Quid est timor Dei?

Timor Dei est expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccatum, & simul erigi fiducia misericordiæ, ne in pauore deficiamus à Deo.

Quomodo differunt timor seruilis & filialis?

Fides illustre discrimen facit inter timorem seruilem & filialem. Timor seruilis est horribilis pauor sine fide, & dolor animi fugientis Deum, vt in Saule, Iuda. Timor filialis est pauor, ad quem accedit fides, quæ inter pauores erigit & consolatur animum & accedit ad Deum petens & accipiens remissionem. Hæ descriptiones sunt planæ, & in exercitijs nostris intelligi possunt.

Quid est humilitas?

Humilitas est verè timere Deum, & agnoscere propriam infirmitatem, & tamen in fide obedire vocationi, & expectare à Deo auxilium & gubernationem, nec appetere ea, ad quæ Deus non vocat, nec fieri audaciorem, quasi nostra sapientia aut nostris viribus res magnas & salutares geramus, sed verè statuere, quòd Deo adiuuante res vtiles geramus, agnoscere & modum nostri doni, nec despicere alia membra, per quæ Deus est efficax, sed potius petere, vt Deus cæteros etiam adiu-

adiuuet, & illos honore afficere tanquam Dei organa, & existimare quòd Deus etiam vtiliora per eos gerere poſsit.

Quarum rerum conſideratione excitatur in nobis humilitas?

Primùm cogitet pia mens dictum Pauli de cauſa efficiente donorum 1. Cor. 4. Quid habes q̃ nõ accepiſti? Si aũt accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Deinde conſideret fines, ad quos omnia dona referenda ſunt. Eſt autem primus & ſummus finis omnium donorum, illuſtrare notitiam Dei, & ornare eius gloriam. De hoc fine filius Dei inquit, Luceat lux veſtra, vt glorificetur pater veſter cœleſtis. Et Paulus 1. Cor. 10. Omnia facite ad gloriam Dei. Alter finis eſt, fouere communem concordiam, vt Paulus inquit, Ne ſitis ſcandalo Eccleſiæ. Tertiò agnoſcat propriam infirmitatem, de qua 2. Cor. 4. Paulus ſplendidè concionatur, Circumferimus hunc theſaurum in vaſis teſtaceis, vt ſublimitas ſit Dei, non noſtra. Quartò proponat ſibi exemplum filij Dei, de quo Philipp. 2. dicitur, Is affectus ſit in vobis, qui fuit & in Chriſto, & quæ ſequuntur. Poſtremò ſubijciat ſibi mens pia præcepta de humilitate, & comminationes de pœnis ſuperbiæ, & harum exempla. Matth. 11. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. 1. Petri 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humi-

humilibus dat gratiam. Lucæ 16. Quicquid est sublime coram mundo, est abominatio coram Deo. Narrat Herodotus tantam superbiam fuisse Aprijs tyranni AEgyptij, vt dixerit, sibi nec deorum, nec hominum quenquā regnum eripere posse. Sed hic superbissimus tyrannus, cùm regnasset quinq; & viginti annis, ab Amasi strāgulatus, & regno exutus est. Hæc tota doctrina semper in conspectu sit, vt Deo obtemperemus in tuenda humilitate, & tristissimas pœnas superbiæ vitemus.

Quomodo differunt philosophica & Christiana patientia?

Discrimen ostendit collatio definitionum. Philosophica patientia est vtcunque obedire rationi in ferendis aduersis, ita vt nihil contra iusticiam, aut alias virtutes facias, vt Socrates nec iusticiam, nec modestiam violat, cùm sine seditione & sine vlla deformitate mortem oppetit. At Christiana patientia est obedire mandato diuino in tolerandis aduersis, ita ne facias aliquid contra mandata Dei, nec Deo irascaris, sed fide agnoscas eum tibi propitium esse & speres auxilium, mitigationem aut liberationem, & hac fide & spe lenias dolorem, vt Baptista scit se Deo charum esse, & Deum adesse, & in hoc ipso agone, & videt hanc mor-

mortem esse iter ad cœlestem Ecclesiam. Hæc non vident Palamedes, Socrates, Theramenes, aut similes. Ideo autem in Christiana patientia lenitur dolor, quia tunc obiecta bona fide & spe cernuntur.

Propter quas causas præstanda est patientia?

Prima est agnitio voluntatis Dei, cui debetur obedientia. Nam afflictiones non accidunt casu, sed consilio Dei. Secunda est vtilitas afflictionum, quæ aut purgant nos, aut probant, aut humiliant, aut illustrant gloriam Dei. Tertia est spes auxilij diuini. Tunc enim verè vult opitulari Deus, cùm deserti sumus à creaturis, sicut tandem in morte necesse est nos deseri à causis secundis. Quarta est consideratio exemplorum. Est enim superbia, nolle ea ferre, quæ alij meliores tulerunt, vt Elias inquit, Non sum melior quàm patres mei.

DE SECVNDO PRAECEPTO.

Huius præcepti quatuor sunt virtutes, Inuocatio Dei, Gratiarum actio, Confeßio veræ doctrinæ de Deo, & religio iuramenti.

Quæ sunt consideranda in omni inuocatione?

In omni vera inuocatione hæc cogitanda ſunt. Primùm, Quem Deum, & quomodo patefactum & diſtinctum à commētitijs numinibus velis alloqui. Secunda conſideratio eſt præceptorum. Cùm ſeuerisſimè Deus præceperit ſe inuocari, & à ſe bona peti, ſciamus hoc opus, & hunc cultum maximè neceſſarium eſſe. Tertia conſideratio eſt conuerſionis, quia in qualibet vera inuocatione fit aut creſcit conuerſio ad Deum.

Quarta cōſideratio eſt promiſsionis. Quanta bonitas eſt Dei, quòd non ſolùm præcepit à ſe peti bona, ſed etiam promiſsiones edidit de bonis æternis & præſentibus, in quibus affirmat ſe velle opitulari. Quinta conſideratio eſt de fide. Nam in omni precatione neceſſe eſt prælucere hanc fidem, quæ ſtatuit te propter filium Dei recipi & exaudiri. Sexta conſideratio eſt rerum petendarum. Sint enim in petitione expreſſæ aliquæ res neceſſariæ nobis, Eccleſiæ, Reipub. & alijs pro quibus petimus.

Hæc membra indigent longiore explicatione, quæ non eſt huius loci ac temporis.

Propter quas cauſas inuocatio aſsiduè exercenda eſt?

Primùm propter gloriam Dei, quia vult ſibi tribui laudem omnipotentiæ, bonitatis, veri-

veritatis, & aliarum virtutum, & ſe verum Deum à commentitijs numinibus diſcerni. Deinde propter noſtram & vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem. Nam verbo & precatione vincimus tyrannidem & ſophiſticam Diaboli, & moleſtias huius vitæ aut auertimus aut lenimus. Tertiò propter eruditionem, quia ſeria inuocatio non ſolùm intentionem flagitat, ſed etiam conſiderationem reuelationum & teſtimoniorum de Deo, & diſtinctionem ab Ethnica inuocatione, & cogitationem promiſſionum & fidem. Quartò propter conſolationem. Nihil enim in ſummis periculis efficacius eſt ad conſolationem, quàm ardens inuocatio, vt Bernardus in ſermone 32. ſuper Cantica inquit, Quoties me oratio, quem penè deſperantem ſuſceperat, reddidit exultantem & præſumentem de venia? Poſtremò exercenda eſt inuocatio, vt ſit tanquam confeſsio & teſtificatio, oſtendens, quomodo de Deo ſentiamus, imò vt & Diaboli audita vera Dei inuocatione, expaueſcant & fugiant.

Quid eſt gratiarum actio erga Deum?

Eſt veritas, quæ profitetur à Deo accepta eſſe beneficia, & verè eſſe Deum, eſſe omnipotentem, præſentem & opitulatorem, & eſt opus iuſticiæ, qua te obligas ad officia Deo grata.

Quæ

Quæ causæ nos impellere debent ad gratiarum actionem?

Prior causa est, quia necessaria copulatio est causæ & effectus. Cùm igitur Deus sit causa vitæ & salutis nostræ, & ab eo tanquam perēni fonte bona cuncta perpetuo quodam cursu ad nos permanent, necesse est nos agnoscere & tueri illam copulationem, de qua Cicero in primo de Legibus sapientissimè dixit, primam esse homini cum Deo societatem. Altera causa est, quia naturaliter obligati sumus ad reddenda ἀντίδωρα pro modo facultatum. Quid est autem quod Deo præter sacrificia Eucharistica reddere possimus? vt psalm. 116. Dauid exclamat, Quid reddam Domino pro omnibus quæ mihi dedit? Hostiam laudis sacrificabo ei. Et Oseas cap. 14. Omnem aufer iniquitatem, & benefac nobis, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Etsi enim Deus non indiget celebratione vllius creaturæ: tamen hoc officio delectatur, quod est illustre testimonium mutui amoris & piæ reuerentiæ erga benefactorem.

Ad quos fines gratiarum actio referenda est?

Primus finis est, vt Deo tribuatur gloria sapientiæ, bonitatis, potentiæ, libertatis &

præſentiæ in Eccleſia. Alter finis eſt, vt perſeueret in nobis vera agnitio Dei, & vt deinceps etiam ſe nobis communicet. Extinguitur enim agnitio Dei in ingratis, quibus deſinit ſe communicare. Tertius finis eſt, vt alij noſtro exemplo & teſtimonio inuitentur ad veri Dei agnitionem & inuocationem, vt Pſalmo 34. dicitur, Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius ſimul.

Quid eſt confeſſio Euangelij?

Confeſsio eſt vera, firma & conſtanti aſſeueratione ac fiducia, voce, literis, & totius vitæ obedientia ad normam verbi diuini directa, oſtendere & confiteri doctrinam prolatam à filio Dei ex ſinu æterni patris & traditam Eccleſiæ veram eſſe, & propter hanc confeſsionem nulla pericula, nullos defugere aut recuſare cruciatus. Qui enim verè in Chriſtum credunt, mori millies malunt, quàm fidem Chriſti abnegare, cùm ſciant ſe moriendo nõ interire, ſed immortales per reſurrectionem fieri, vt præclarè dixit Athanaſius in libro de incarnatione verbi.

Quare poſtulat Deus perſpicuam Euangelij confeſsionem?

Primùm, vt ipſe innoteſcat & celebretur. Deinde, vt conſpiciatur diſcrimen Eccleſiæ & hoſtium filij Dei. Tertiò, vt multi hoc teſtimonio vocentur ad ſalutem. Nam Martyrum

exem-

exempla, vt ait Theodoretus, sunt quasi turres quædam continentes murum fidei.

Quid est Iuramentum?

Iuramentum est asseueratio de re posibili & licita, facta cum inuocatione veri Dei, qua petimus, vt sit testis dictorum, & puniat fallentes, & nos ipso teste ad pœnam obligamus secundum ipsius comminationé, quasi arguentes eum mendacij, si non puniat fallentes, sicut dixit, Non habebit Deus insontem, quisquis vanè vsurparit nomen eius.

Quæ sunt partes Iuramenti?

Duæ sunt partes in iuramento. Prior est Inuocatio, qua petimus à Deo, vt sit testis & confirmator nostræ asseuerationis. Altera est Imprecatio, qua nos ad pœnam periurij obligamus. Est aũt periurij pœna diuina exitiũ, humana dedec⁹, vt inquit Cicero in 2. de Legib.

Licétne Christianis iurare?

Sciendum est sine vlla dubitatione, verum iuramentum esse opus suo genere bonum, & à Deo ordinatum & concessum, quia lex Dei Deut. 6. expresse inquit, Per nomen eius iurabis. Et ad Ebræos 6. Omnis controuersiæ finis est iusiurandũ. Et præcipuum vinculũ est politici ordinis, vt Cicero in 3. de Officijs dixit, Nullum vinculum ad astringendam vitam iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Nequaquam igitur prohibita sunt iura-

menta, quæ non fiunt temere, sed cùm Magistratus & iudices postulant, aut alia necessitas.

De quibus rebus iurare licet?

Vsitata & vera regula est, Iniusta nec promittenda esse, nec facienda, etiamsi sint promissa. Ideo rectè dicunt Iurisconsulti, Nullam valere pactionem turpitudinis. Item: Votum non debet esse vinculum iniquitatis. Hæc communes regulæ sint omnibus notissimæ, vt sciamus pacta aut vota, quæ obligant homines ad peccata, necessariò rescindenda esse.

Sunt ne iuramenta seruanda, quæ vi aut metu extorquentur?

Omne iuramentum de re licita, id est, quæ præstari potest sine peccato, seruari necesse est. Quia is qui habet iurandi potestatem, & sciens iurat de re licita, necessariò debet seruare hoc iuramentum, cùm veritas omnibus rebus humanis anteferenda sit, nec redimenda sit salus corporis cum contumelia nominis diuini. Sic Regulus ad supplicium redire maluit, quàm religionem iurisiurandi violare. Hoc exemplum ita miratur Augustinus, vt libro primo de Ciuitate Dei cap. 24. exclamet, Inter omnes suos laudabiles, & virtutum insignibus

gnibus

gnibus illustres viros non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit, nam in tanta victoria pauperrimus permansit, nec infelicitas fregerit, quia ad tanta exitia reuertit intrepidus.

Quæ personæ possunt iurare?

In iuramentis & personæ & res cōsiderandæ sunt. Cùm enim in promissione oporteat esse deliberationem & consensum, non sunt iuramēta asseuerationes earum personarum, quarum nulla est deliberatio, vt puerorum & furiosorum, & eorum, quibus lex adimit autoritatem, vt sunt pupilli. Talium personarum, quæ aut non possunt consentire, aut sunt in aliena potestate, promissiones non sunt iuramenta, nec facere promissa necesse est.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Vnica virtus est huius præcepti, videlicet Reuerentia debita ministerio Euangelij, quæ est agnoscere & fateri, ministerium Euangelicum esse opus Dei, & conseruari à Deo, & diligere personas habentes προαίρεσιν rectè faciendi, quæ sunt organa diuini ordinis, & sic diligere, vt nos ministerio subijciamus iuxta præcepta Dei, & petere à Deo, vt ipse sit custos huius sui ordinis, & regat eos, quibus commendauit ministerium.

Quæ sunt causæ, cur reuerenter de ministerio Euangelij sentiendum & loquendum sit?

Etsi omnibus temporibus multi fuerunt, sunt & erunt de ministerio Euangelij non rectè sentientes, tamen saniores intelligant, & cum obseruantia colant eius dignitatem, quæ in causa efficiente & finali conspicitur. Causa enim efficiens & conseruans ministerij Euangelici est ipse Deus, immensa bonitate per vocem Euangelij colligens æternam Ecclesiam, & genus humanum auulsum ab ipso rursus sibi copulans, & præcipiens audiri ac honore affici ministerium, vt Lucæ 10. dicitur, Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit. Causa verò finalis est, quòd hac voce Deus verissimè est efficax, remittens peccata credentibus, dans eis Spiritum sanctum, & hæreditatem vitæ æternæ. Hæc summa beneficia impertit voce Euangelii sonante per imbecilles homines, sicut inquit Dominus Ioannis 20. Sicut pater meus misit me, sic ego mitto vos, id est, certissimum est me efficacem fore per vos, sicut pater per me fuit efficax. Et Paulus inquit Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 2. Cor. 3. Euangelium est ministerium spiritus. Hæc tãta bona agnoscamus & celebremus. Præstemus etiam debitam beneuolentiam ijs, quorum

rum

rum labor in hoc ministerio seruit Ecclesiæ. Nam omnis violatio legati pertinet ad mittentem. Funguntur autem ministri legatione pro Christo, vt 2. Cor. 5. dicitur. Narrant historiæ, Corinthum à Romanis funditus deletam esse propter legatorum violationem. Hinc ratiocinari possumus, quantæ pœnæ oppressuræ sint omnes hostes & contemtores legatorum Dei.

ENVMERATIO VIRTVTVM SECVNDAE TABVLAE.

DE QVARTO PRAECEPTO.

Virtutes quarti præcepti sunt, Iustitia vniuersalis in gubernatoribus & subditis. Pietas erga liberos, Pietas erga parentes, Iusticia coniugum inter sese, Sedulitas.

Quid est Iusticia vniuersalis?

Est obedientia erga omnes leges in societate, quæ honestis legibus regitur. Cùm autem hæc virtus non tantùm ad subditos, sed etiam ad gubernatores pertineat, breuiter de officio Magistratuum, & de vinculis obedientiæ subditorum dicendum est.

Quæ sunt præcipua officia Magistratus politici?

Primum est, Sonare vocem legis moralis in genere humano, quod ad disciplinam attinet iuxta Decalogum seu legem naturalem, hoc est, proponere summas & immutabiles leges prohibentes cultum idolorum, blasphemias, periuria, iniustas cædes, vagas libidines, violationem coniugij, furta & fraudes in pactis, contractibus & iudicijs. Secundum officium est, quasdam leges ferre, sed nequaquam pugnantes cum naturalibus. Verum est enim, politicos Magistratus habere potestatem condendi suas quasdam leges, sed quæ nō pugnent cum naturalibus, verùm sint determinationes circumstantiarum addendæ generi, & sint quasi adminicula iuris naturalis. Vt cùm Decalogus tantùm de genere dicat, Non furtum facies, exprimit legislator, quid in contractu nominari furtum velit, & quomodo puniturus sit. Hæc potestas legum condendarum comprehensa est in dicto Salomonis, Per me reges regnant, & iudices iusta constituunt. Tertium officium. Magistratus sit custos & executor diuinarum & suarum legum in puniendis omnibus, qui eas violant. Nam vox legis sine pœna & executione parum valet ad frenandos & coercendos homines. Ideo dictũ est à Paulo, Non frustra gladiũ gerit. Quartum officium est, defendere obedientes

dientes

dientes contra iniuſtam violentiam, iuxta illud, Sit timori malo operi, & honori bono. Nam in vita politica vult Deus conſpici diſcrimen virtutum & vitiorum, vt ſciamus qualis ipſe ſit, & quod iudicaturus ſit. Non autem conſpiceretur diſcrimen, ſi nullę eſſent ſontium pœnæ, & nulla defenſio honeſtorum.

Quæ ſunt vincula obedientiæ ſeu iuſtitiæ vniuerſalis in ſubditis?

Duplex vinculum eſt obedientiæ erga magiſtratus & leges ciuiles, ac vtrunque diuina iuſticia ſancitum eſt. Alterum eſt obligatio ad pœnam corporalem, qua Magiſtratus coercet & punit contumaces legitimo ordine. Vult enim Deus puniri manifeſta ſcelera à magiſtratibus, & cùm hi qui præſunt, non ſumunt ſupplicia de ſontibus, ipſe mirabiliter rapit eos ad pœnas, & regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac vita, vt dicitur, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Alterum vinculum eſt Reatus conſcientiæ coram Deo, id eſt, Contumacia eſt peccatum contra conſcientiam, propter quod contumax deſinit placere Deo, effundit Spiritum ſanctum, & fit reus æternæ pœnæ, & niſi conuerſus fuerit, etiam propter illam ipſam contumaciam ruit in æternum ſupplicium. De

hoc vinculo Pauli dictum teneatur, Necesse est obedire nō solùm propter iram, id est, propter pœnas corporales, sed etiam propter conscientiā, quia contumacia est peccatum offendens Deum, & auellens conscientiam à Deo. Loquitur autem Paulus de legitimis edictis magistratuum. Nam in toto capite ordinem politicum confirmat, non vult stabilire latrocinia, tyrannides, & alias confusiones politici ordinis.

Quæ extrema pugnant cum iusticia vniuersali?

Iusticiæ gubernatorum extrema sunt affectata omisśio officij & tyrannis. Nam multi in imperijs negligunt præcipuas officij partes, non curant populum rectè doceri de Deo, non tollunt manifesta idola, blasphemias & impia dogmata, non seuerè puniunt sontes, nec rectè regunt iudicia. Alij sunt tyranni, qui falsam doctrinam stabiliunt, & iniustam sæuiciam exercent, & sumunt ex facultatibus subditorum quātum ipsis libet Briarei manibus, vt Nazianzenus inquit. Extrema iusticiȩ subditorum sunt seditio & impia seruitus. Seditio est iustis legibus nolle obedire. Impia seruitus est obedire contra mandatum Dei, & contra regulam, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Quid

Quid eſt pietas erga liberos?

Eſt iuſticia, qua parentes præſtant liberis educationem, doctrinam, diſciplinam, & defenſionem propter Deum.

Quod eſt officium pij patrisfamiliâs?

Pius & ſapiens paterfamilias primum & principaliter inſerit mentibus liberorum veras ſententias de Deo, easq; aſsiduis exercitijs confirmat, vt poſteri verè agnoſcant, inuocẽt & celebrent Deum. Poſtea curat & tuetur corpora liberorum. De hoc officio inquit Paulus Epheſ. 6. Educate liberos veſtros in doctrina & diſciplina Domini.

Quid eſt pietas erga parentes?

Eſt iuſticia, qua liberi parentibus obedientiam in omni honeſto officio præſtant cum quodam amore propter Deum.

Quot ſunt gradus pietatis erga parentes?

In dicto Siracidæ cap. 3. tres gradus recenſentur, Honora parentes ſermone, opere & patiẽtia. Primus eſt, agnoſcere Deum eſſe autorẽ huius ordinis, quo liberi regũtur à parentibus, & in hac ipſa obedientia præcipuè Deo obtẽperare. Secundus eſt, vt ipſos parentes diligamus propter Deũ, & nos eis ſubijciamus,

& in externis officijs ſine contumacia obtemperemus, ſicut Paulus inquit, Liberi obedite parentibus in Domino: hoc enim iuſtum eſt. Tertius gradus eſt ἐπιείκεια, tolerans infirmitates parentum, & ſequens vſitatam regulam, Mores amici noueris, non oderis.

Propter quas cauſas hæc virtus præſtanda eſt?

Prima eſt mandatum Dei: Honora patrem & matrem. Secunda eſt promiſsio, quæ affirmat opera huius præcepti ſingularem compenſationē habere in hac præſenti vita. Nam in Decalogo expreſsè addita eſt quarto præcepto hæc promiſsio, Vt bene ſit tibi, & ſis longæuus in terra. Tertia, vt vitentur triſtiſsimæ pœnæ, quæ omnibus temporibus pro contumacia redduntur, ſicut hiſtoriæ Cain, Cham, Abſolonis & ſimilium oſtendunt. Quarta, quia naturalis copulatio eſt cauſæ & effectus. De hac cauſa inquit Cicero in oratione poſt reditum ad Quirites: Parentes chariſsimos habere debemus, quòd ab ijs nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas, tradita eſt. Et in Paradoxis: Non violandus eſt is, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in ſede ac domo, atque in Republica collocauit.

Quid

Quid est iusticia Coniugalis?

Est obligatio ad mutuum amorem, fidem, societatem bonorum & ærumnarum, & ad defensionem.

Quæ sunt adiacentia Coniugij?

Primum est amor mutuus, & is quidem ardens sine simulatione & coactione, & suauis sine morositate & fastidio, & sincerus sine suspicionibus & πλεονεξία. Secundum est fides, quæ prohibet ne diuellantur coniuges, aut appetant alios vel alias. Tertium est societas bonorum & ærumnarum. Quartum est defensio. Nam sponsi & mariti est defendere sponsam & vxorem.

Cur hæc virtus colenda est?

Prima causa recitatur in Genesi cap.2. Dixit Dominus, Non est bonum homini esse solum, id est, sapientia diuina amans castitatem & alias virtutes, fecit hoc decretum, vt talis sit ordo generationis, & hunc ordinem patefecit, ac vult ratum & firmum esse, & seuerissimè puniet omnes violantes hunc ordinem. Secunda causa est, vt suauitas cōiugij sit commonefactio de fœdere, quod est inter Christum & Ecclesiam. Tertia causa in primis digna est memoria, quam Pythagoras tradidit, vide-

videlicet maritum debere vxori beneficentiam & clementiam, quia sponsa ei ad aram vt supplex commendatur. Est autem honestissimus mos omnium gentium parcere supplicibus, vt in versu dicitur:

Non violandus erit supplex, sacer esse putetur.

Quid est Sedulitas?

Est virtus, quæ constanter & firmiter vult propter Deum & communem salutem labores facere vocationi conuenientes.

Propter quas causas sedulitas præstanda est?

Prima causa est mandatum Dei, quod præcipit, vt suę vocationis labores quisq; faciat, & quidem in his præstet veritatem & beneficentiam, vt Paulus inquit 1. Cor. 4. Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis, id est, verax & beneficus. Necesse est enim artificem afferre cognitionē artis, quam profitetur, vt in l. Aquilia dicitur. Sit etiam cum mediocri industria coniuncta asiduitas & diligentia in administratione. Secunda causa, quia vox diuina pollicetur fideliter seruientibus vocationi incrementa donorum, auxilium Dei, & salutarem exitum, vt in parabola de talentis dicitur, Habenti dabitur, & 1. Cor. 15. Labor vester nō erit inanis in Domino. Psal. 1. Omnia quæcunque faciet,

faciet, bene, feliciter, prospereque euenient. Philipp. 2. Deus qui efficit in vobis vt velitis, dabit etiã vt perficitis, vt aliqua fiant ipsi grata. Hæ & similes sententiæ diligenter obseruãdæ sunt, quæ præcipuis animorum nostrorum curis occurrunt, & consolationes opponunt maximè congruentes. Angitur mens tua existimans se non iuuari à Deo, & metuit labores fore irritos. Hîc affirmant dicta cœlestia, & fide à Deo auxilium expectandũ esse, & sperandos euentus salutares, etiamsi nos non statim cernimus eos nostris oculis. Tertia. Etsi πολυπραγμοσύνη speciẽ virtutis habere videtur: tamen magnum & perniciosum vitium est, valde displicens Deo, & multipliciter turbans vitam hominum, sicut Pericles, Alcibiades, Brutus, Antonius, & alij innumerabiles suas ciuitates, motis rebus non necessarijs, turbarunt. Ideo contineamus nos intra metas, quas Deus nobis circumdedit, videlicet, vt nostrum officium diligenter faciamus, & quidem in rebus magnis tantùm necessaria faciamus.

DE QVINTO PRAECEPTO.

VIRTVTES quinti præcepti sunt, Fortitudo, Mansuedo, ἐπιείκεια, Misericordia, Amicitia, Humanitas, Dilectio, Clementia, Zelus, Studium concordiæ.

Quid

Quid est Fortitudo?

Fortitudo est firmitas cordis, quæ ratione regitur, & retinet firmitatem in rectis sententijs, & in defensione veritatis & iusticiæ præliari potest, & perfert aduersa sine turpitudine, ne quid fiat contra aliquam virtutem, & habet adiumenta vel heroica dona, vel in his qui Deum rectè inuocant, Spiritum sanctum, quo adiutore & agnoscitur Deus, & refertur obedientia ad gloriam Dei. Sed de hac virtute plura dicentur in libro tertio Ethicorum.

Quid est Mansuetudo?

Est virtus, quæ frenat iram, vt sit moderata, nec ruat contra iusticiam, aut alias virtutes.

Propter quas causas ira frenanda est?

Prima est mandatum Dei, quod seuerissimè de hac moderatione præcipit, vt Matthæi 11. filius Dei inquit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et Paulus Ephes. 4. Sol non occidat super iram vestram. Secunda, quia vindicta est honor soli Deo competens, iuxta illud, Mihi vindictam, & ego retribuam. Tertia est agnitio nostræ imbecillitatis & nostrarum sordium. Est enim stultitiæ proprium aliorum vitia cernere, & obliuisci suorum. Quarta est recordatio diuinæ condo-

condonationis, de qua nos precatio quotidiana admonet, Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Quinta eſt, ne impediatur vera Dei inuocatio. Ideo Paulus 1. Tim. 2. pręcipit, Orate ſine ira & dubitatione. Oportet enim eos qui ſeriò & ardenter precari volunt, ab odio atq; ira vacuos eſſe. Sexta cauſa latiſsimè patet, quam Paulus his verbis recitat, Nolite locum dare Diabolo. Nam priuatis certaminibus deformatur doctrina, quam profitemur, turbatur Eccleſia, multi pij homines hac occaſione implicantur ſtudijs factionum, læduntur alij noſtro exemplo, deniq; alia negocia magis neceſſaria impediuntur. Hæc omnia Paulus complexus eſt cùm inquit, Nolite locum dare Diabolo.

Quid eſt ἐπιείκεια ſeu AEquitas?

AEquitas eſt virtus, quæ mitigat ſeueram iuſticiam, aut puniendo lenius, aut remittendo offenſiones probabili ratione.

Quotuplex eſt AEquitas?

Duplex, Publica & priuata. Publica eſt probabilis mitigatio ſummi iuris in aliqua circumſtantia, præſertim in caſu, de quo non principaliter lex loquitur. Priuata eſt lenitas, quæ verſatur in toleranda infirmitate, quam leges non puniunt, in arcanis delictis tegen-

dis, & in sanandis manifestis ante contumaciam.

Quot sunt gradus priuatæ æquitatis?

Primus gradus est tolerare morosos, suspicaces, iracūdos, segnes, inuidos, auidos gloriæ iniquè ferentes si negligi se putent, πολυπράγμονας, attentiores ad rem quàm opus est. Hæc naturæ sunt, nec puniuntur legibus, & tamen sæpe pariūt magnos tumultus, si desit ἐπιείκεια, vt Dauid tulit æmulationem in fratribus suis.

Secundus gradus, ambigua facta non calumniosè in deteriorem partem flectere, non leuia errata odiosè amplificare, nec arcana traducere, sed tegere & sanare.

Tertius gradus est, ante cōtumaciam candidè & amanter admonere errantem & peccantem, & hoc officio reuocare eum in viam, vt Petrū reuocat Paulus in viam, & Christus placidissimè recipit agentes pœnitentiam, vt mulierem peccatricem, Zachæum & alios. In his gradibus dominari æquitas, seu ἐπιείκεια debet.

Quid est Misericordia?

Est affici sensu alienę calamitatis, pręsertim iniustæ, & opitulari iniustè oppressis pro vocatione, aut probabili ratione mitigare iustā calamitatem.

Quot

Quot sunt gradus Misericordiæ?

Hæc virtus habet duos gradus. Prior est affici miserijs hominis ærumnosi, qui non accersiuit sibi calamitatem scelere aliquo, sed fatali casu afflictus est, Sic Constantinus opitulatur Ecclesiæ oppressæ à tyrannis. Alter gradus est ἐπιείκεια in pœnis malè meritorum. Sic Dauid post victoriam parcit ciuibus, qui fuerant seditiosi, & tamen iam redibant ad officium. De hoc gradu dicitur Iacobi. 2. Misericordia superet iudicium, id est, rigorem. Et in Pandectis tit. de pœnis. l. Respiciendum: Respiciendum est iudicanti, ne quid durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, vt quæque res postulat, statuendum. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.

Quid est Clementia?

Est benefacere bonis, eosque discernere à malis, & moderari pœnas illorum, qui sunt sanabiles, impios verò & insanabiles è medio tollere.

Quid est Zelus seu Nemesis?

Est iusta indignatio aduersus contumaciã

in atrocibus delictis, qualis fuit in Phineas filio Eleasari interficiente stupratorem.

Quid est Amicitia?

Est virtus, qua præstant inter se aliqui mutuam beneuolentiam, deuincti honestis causis ac similitudine iudicij de maximis rebus ad certorum officiorum communicationem.

Quæ sunt causæ amicitiæ?

Efficientes sunt mens iudicans hominem ad societatem conditum esse, & voluntas inclinans ad eos amandos & complectendos, qui noti, & vel natura, vel lege, vel vsu nobiscum coniuncti sunt.

Materia obiectum est, videlicet bonũ, quod ad diligendum allicit. Sunt autem hæc bona, quæ amicitiam conciliant, virtus, merita, cognatio, eaq; vel natura, vel lege, vel vsu facta. Primùm enim natura nos cum Deo copulat, vt Cicero sapientissimè dixit, primam esse homini cum Deo societatẽ. Eadem natura coniuges, parentes & liberos consociat. Deinde lex cõiungit nos cum patria, hoc est, cum Ecclesia & Repub. ac ciuib. Postremò, vsus communis vitæ coniungit nos cum vicinis, item cum studiorum & periculorum socijs. Hi gradus complectũtur omnes species eorum, cum quibus amicitia constitui, & fœdus quoddam esse

esse debet. Formalis causa est ipsa mutua beneuolentia amicorum inter sese excitata cùm à cæteris causis, quas recẽsui, tum vel maximè à similitudine iudicij de rebus diuinis. Ideo præclarè Cicero dixit, amicitiam nihil aliud esse, nisi omnium diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & caritate summã consensionem. Finalis causa præcipua est ipsum virtutis decus. Expetenda est enim atque colenda amicitia virtutis & iusticiæ causa, etiamsi nulla sequeretur vtilitas.

Qui sunt effectus amicitiæ?

Etsi amicitia, vt dixi, præcipuè virtutis causa expeti debet, tamen vtilitates eam plurimæ sequuntur, quas Cicero his verbis recitat. Amicitia tantas habet opportunitates, quantas vix queo dicere, & quæ sequuntur.

Quid est Humanitas?

Est copulatio multarum virtutum secundę tabulæ, videlicet iustitiæ, mansuetudinis, æquitatis, beneficentiæ, comitatis & aliarum, in quibus summa est suauitas ac moderatio.

Humanitati cognata est dilectio proximi, quę est obligatio ad omnia iustitię officia pręstanda propter Deum.

Quid est studium Concordiæ?

Est iustitia diligenter cauens, ne pugnet de

vlla re non valde necessaria, ne Ecclesia distrahatur, aut turbetur inuocatio, & sequantur bella & vastationes. Extrema sunt adulatio & φιλονεικία, id est, cupiditas contentionis, quę facilè quauis de causa mouet certamina propter morositatem vel iracundiam, ortam ex superbia vel insolentia, & facilè irritat alios, & nusquam cedit irritanti, nec tantùm in hostes, sed etiam in amicos incurrit. De hoc vitio non sine graui causa Platonicum illud celebratum est, Magna mala non aliunde quàm ex contentionis amore oriuntur,

DE SEXTO PRAECEPTO.

DVÆ sunt virtutes huius præcepti insignes & conspicuæ, Castitas & Temperantia.

Quid est Castitas?

Castitas est virtus, quæ in coniugio & in vita cœlibe vitat omnes libidines, seu corporum commixtiones à Deo prohibitas, vt agnoscamus Deum mentem castam esse, & discernẽdam ab omnibus naturis immundis, & horribiliter irascentem confusioni libidinum.

Propter quas causas Castitas colenda est?

Prima est voluntas Dei, qui vult in genere humano lucere castitatis intellectum, vt sciamus

mus

mus & ipſum eſſe mentem caſtam & caſtitatis amantē, & huius virtutis mentione diſcernamus eum à naturis immundis. De hac cauſa Paulus concionatur 1. Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à fornicatione, & ſciat vnuſquiſq; vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Secunda, vt vitentur pœnæ æternæ & præſentes, quibus violatores caſtitatis opprimuntur. De pœnis æternis magna ſeueritate Paulus inquit 1. Cor. 6. Ne erretis, nec ſcortatores, nec adulteri poſſidebunt regnum Dei. Gal. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, adulterium, ſcortatio, impudicitia. Talia facientes regnum Dei non poſſidebunt. Et Epheſ. 5. Nullus ſcortator aut immundus habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat vanis ſermonibus. Propter hæc enim venit ira Dei ſuper inobedientes ſeu contumaces. De pœnis præſentibus, publicis & priuatis, tota mundi hiſtoria concionatur. Sæpe enim propter libidinum confuſiones totæ gentes deletæ ſunt, vt Sodoma, Thebæ, Troia. Et in cōſpectu ſunt exempla quotidiana. Vagantur pœnæ per regum principū & priuatorū familias propter adulteria & inceſtas cōmixtiones, quia manēt regulæ immotæ, Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Itē: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Tertia. Ne noſtro

peccato noceamus alterius conſcientiæ, nec à Deo auellamus animã & impellamus in perpetuũ exitium. Quòd ſi de omni verbo otioſo nobis reddenda erit ratio, quid reſpondebimus irato iudici poſtulanti rationẽ, de conſcientia alterius polluta & anima à Deo auulſa? Quarta, vt vitentur ſcandala deformantia Eccleſiam & doctrinam. Nulla enim res magis deformat caſtra filij Dei, & noſtram profeſsionem, quàm fama libidinum. Carendum eſt igitur non modò crimine huius turpitudinis, verùm etiam ſuſpicione.

Quid eſt Temperantia?

Eſt virtus, quæ mediocritatem ſecundum rectam rationem efficit in cibo & potu conuenientem naturæ, & non impedientem exercitia inuocationis & aliarum virtutum.

Quæ cauſæ nos hortari poſſunt ad temperantiam?

I. Mandatum Dei ſeuerisſimè præcipientis hanc virtutem, & prohibentis vitia cõtraria, vt Lucæ 21. Cauete ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate. Et Epheſ. 5. Nolite inebriari vino, in quo eſt ἀσωτία.

II. Ne impediatur vera Dei inuocatio, quæ certè ab ebrijs præſtari nõ poteſt. Nam precationem oportet eſſe ſobriam, vt Petrus inquit, Eſtote

Eſtote ſobrij ad precationem. Verè igitur quidam dixit temperantiam eſſe vicinam pietati.

III. Ne aliarum virtutum exercitia impediantur. Nam in regno intemperantiæ nullus locus relinquitur prudentiæ, iuſtitiæ, caſtitati, modeſtiæ & reliquis virtutibus. Vt enim ebrietas eſt fons omnis mali, ſic eſt omnis boni impedimentum.

IIII. Vt vitentur pœnæ æternæ, quas Paulus ebrijs denunciat 1. Cor. 6. Nolite errare, neque ſcortatores, neq; ebrioſi regnum Dei poſsidebunt.

V. Ne abutamur creaturis Dei contra pręceptum. Colligite fragmenta ne quid pereat, & ne noſtro corpori noceamus. Nam libidinoſi & ebrioſi in ſuum corpus peccant, id eſt, ſua corpora affligunt, & contumelia afficiunt, ne ſint templa Spiritus ſancti, & organa diuinarum actionum. Vt autem plus peccat Cato ſeſe interficiens, quàm ſi alium interfeciſſet, ita cùm libidines & heluationes deſtruant propria corpora, quæ debebant eſſe domicilia Dei, non ducantur eſſe leuia peccata.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Huius præcepti virtutes ſunt, Iuſticia cōmutatiua, Liberalitas, Parſimonia, Gratitudo.

Quid est Iusticia commutatiua?

Est quæ in commutatione rerum seruat æqualitatem proportione arithmetica. De hac specie iusticiæ particularis in libro quinto Ethicorum plura dicentur.

Quid est Liberalitas?

Liberalitas seu beneficentia est virtus, quæ communicat facultates & operas non debitas obligatione ciuili, sed naturali, & mediocritatem efficit inter sordes & profusiones.

Quare hæc virtus exercenda est?

I. Vt agnoscamus Deum esse beneficum & liberalem in dandis bonis corpori & animæ necessarijs, quæ quidem auget cumulatius, quàm à nobis postulata sunt.

II. Vt hac communicatione gratuita officiorum genus humanum conseruetur. Non enim posset hominum societas durare, si nemo alteri gratis benefaceret.

III. Vt consequamur præmia promissa exercentibus huius virtutis officia. Non enim haustus aquæ frigidæ, nomine Dei datus, caret præmio. His igitur causis flectantur animi vt beneficentiam pro modo facultatum exerceant. Ita enim largiendum est, ne alijs sit ignauia, & nobis inopia. Hunc modum beneficentiæ nobis Salomon præscripsit, vt

de fructibus patrimonij iuuemus alios, ita tamen ne ipſi patrimonio exuamur.

Quid eſt Parſimonia?

Eſt virtus, quæ res proprias cuſtodit, & vtiliter collocat, vitat ſumtus non neceſſarios, & tamen vbi ratio iubet, expendit quantum conuenit.

Cur parſimonia præſtanda eſt?

Non ſolùm propter vtilitatem, ſed multò magis propter voluntatem Dei hęc virtus prę-ſtanda eſt, quia Deus vult nos ſuis donis reuerenter vti eo ordine, quem inſtituit.

Quid eſt Gratitudo?

Gratitudo eſt virtus compoſita ex duabus ſummis virtutibus, ſcilicet ex veritate & iuſticia. Veritas profitetur vnde ſit acceptum beneficium. Iuſticia præſtat mutua officia.

Quare Deus ſanxit inter homines gratitudinem?

De hac quæſtione reſpondet Xenophon in primo de diſciplina Cyri, Homines non aſſuefactos ad gratitudinem erga benemeritos, poſtea fieri ingratos aduerſus Deũ. Vult enim Deus intelligi & præſtari ab hominibus gratitudinem, vt eam erga ipſum præcipuè exerceamus, & ſimus erga ipſum veraces & officioſi.

Altera

Altera cauſa eſt, quia ingratitudinem comitatur impudentia, quæ eſt maxima dux ad omnem turpitudinem. Veriſsimè igitur Cicero pro Plancio dixit, Gratitudinem eſſe virtutem non ſolùm maximam, ſed etiam matrem virtutum omnium reliquarum.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Virtutes octaui præcepti ſunt Veritas, Candor, Docilitas, Gloria, Modeſtia.

Quid eſt Veritas?

Veritas ſeu Veracitas eſt firma προαίρεσις in voluntate, qua conſtanter amplectimur veras ſententias, dicimus vera, ſeruamus pacta, & in ſermone & geſtu vitamus inſidioſas occultationes.

Propter quas cauſas vult Deus hanc virtutem à nobis coli?

Prima cauſa eſt, quia vult Deus agnoſci & intelligi ſeſe veracem eſſe, & diſcerni hac virtute à Diabolis, qui ſunt mendaces. Altera cauſa, quia non poſſunt ſine veritate conſeruari artes, iudicia, contractus. Nam fide abrogata, vt ait Liuius, omnis humana ſocietas tollitur. Harum cauſarum conſideratio accen-

accendat in animis veritatis amorem & odium ſophiſticæ.

Quid eſt Candor?

Candor eſt virtus vicina veritati propter probabilem rationem approbans alienas voluntates, & non habens maleuolentiam, quędam etiam ambigua flectens in meliorem partem, ac bene quidem ſperans, ſed tamen vt de rebus mutabilibus, cogitans poſſe mutari voluntates, & poſſe hominem errare de aliena voluntate, cùm non penitus aſpiciantur latebræ humani pectoris.

Quæ ſunt extrema Candoris?

Calumnia eſt vitium familiariſsimum naturis ſuſpicacibus, quæ malè ſentiunt de plurimis ſine probabili ratione, & ex ſuis moribus fingunt alios, metuũt vbique inſidias, putant alios ſibi potentiam quærere, deprauant aliorum rectè facta & ambigua.

Stulta credulitas eſt, quæ nihil iudicat, & ſine probabili ratione omnes iudicat eſſe fideles, ſinceros & firmos amicos, & amicis non malis nimium tribuit, confidit eorum voluntatibus, tanquam demonſtrationibus immotis, & putat eſſe certa & immutabilia præſidia, & ſpe auxilij res magnas & non neceſſarias mouet.

Quid

Quid est Docilitas?

Est virtus vicina modestiæ & veritati, qua frenantur animi, ne arroganter de se sentiant, nec admiratione propriæ sapientiæ contemnant aliena iudicia, & conuicti veris argumentis cedant. Extrema sunt, Cæca pertinacia, & stulta credulitas.

Quid est Gloria?

Est testimonium conscientiæ rectè iudicantis, & approbatio aliorum rectè iudicantium.

Propter quas causas gloria appetenda est?

I. Mandatum Dei. 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

II. Retentio fidei. 1. Tim. 1. Quam quidam repellentes, fidei naufragium fecerunt. Sunt enim duæ contradictoriæ voluntates, velle scientem facere contra Deum, & velle pœnitentiam, sine qua fides esse non potest.

III. Facultas inuocationis. 1. Ioan. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, audemus petere.

IIII. Spes auxilij & protectionis diuinæ. Psal. 7. Domine iudica me secundum iusticiam meam. Loquitur enim de iusticia causæ seu bonæ conscientiæ.

V. Tranquillitas cordis in secunda & aduersa

uersa fortuna. Prouerb. 15. Lætus animus exhilarat vultum, Bonum coniuge conuiuium.

VI. Mitigatio & liberatio in calamitatibus. Prouerb. 14. Sperat in morte sua iustus.

Quid est Modestia?

Est virtus, qua in opinione de nobis, & in sermone & gestu seruamus conuenientiam, videlicet ne nobis in opinione aut sermone maiora nostra imbecillitate tribuamus, néve appetamus maiora, néve in gestu discedamus à natura, & personæ ac locorum ordine.

Extrema sunt, Impudentia & Ambito. Impudentia est contemnere Dei & omnium hominum iudicia. Ambitio est sibi plus tribuere quàm pro viribus, & pugnare de antecellentia.

Finis doctrinæ de virtutibus.

CATALOGVS DEMONSTRATIONVM ETHICARVM *de præcipuis virtutibus vtriusq; tabulæ.*

DE PIETATE ERGA DEVM.

Necessaria copulatio est causæ & effectus. Nã pugnare cum causa est destructio effectus.

Homo

Homo eſt effectus Dei. Ergo cum eo congruere debet, & non rumpere fœdus.

Alia.

Imago debet congruere cum archetypo. Homo eſt conditus, vt ſit imago Dei. Ergo congruere cum Deo debet.

DE RELIGIONE IVRISIVRANDI.

Veritas anteferenda eſt omnibus periculis proprij corporis. Neq; enim ſalus corporis redimẽda eſt cum contumelia nominis diuini. Regulus iurauerat ſe rediturum eſſe ad Carthaginenſes non impetrata commutatione captiuorum. Anteferat igitur iuramentum periculis corporis.

DE IVSTICIA VNIVERSALI.

Natura hominum ad ſocietatem condita eſt, vt multæ res oſtendunt, generatio, educatio, contractus, artes. Ergo neceſſe eſt eſſe ordinem gubernationis, & vitari omnia turbãtia ſocietatem. Turbat autem contumacia. Ideo obedientia neceſſaria eſt.

DE PIETATE MVTVA PARENTVM ET LIBERORVM.

Inſita eſt cuilibet naſcenti inclinatio ad ſeruan-

uandam ſuam ſpeciem. Ergo & in parentibus inclinatio eſt ad ſeruandam ſobolem.

Alia:

Copulatio naturalis eſt cauſæ & effectus. Ergo & ſoboles naturaliter debet amorem parentibus.

DE IVSTICIA PARTICVLARI.

Quælibet res in natura, quantum poteſt, appetit conſeruationem ſuæ ſpeciei naturali inclinatione. Iniuſtæ cædes, turbatio coniugij, & iniuſtæ facultatũ direptiones deſtruunt ſpeciem. Ergo neceſſe eſt hæc mala prohiberi.

DE MANSVETVDINE.

Et ratio docet, & naturæ inclinatio, tuendam eſſe ſpeciem & ſocietatem. Ira inordinata, quæ temere vagatur, pernicies eſt totius ſocietatis. Ergo Manſuetudo, quæ eſt moderatrix iræ, eſt bona.

DE FORTITVDINE.

Sicut iuſticia & veritas neceſſariæ ſunt hominum ſocietati, ita earũ propugnatio. Fortitudo eſt propugnatrix iuſticiæ & veritatis. Ideo neceſſaria eſt.

DE AEQVITATE.

Vt in Deo eminet bonitas, quæ quamuis iuſtam iram lenit, ita in iudice eminere debet

bonitas. AEquitas autem est talis bonitas leniens iusticiam. Igitur est præstanda.

DE CONIVGIO.

Proprium corpus alterius non est ei eripiendum. Coniunx est coniugis proprium corpus. Ergo non est ei eripidendum.

Alia:

Similis στοργὴ & cura est de natis in patre & matre, & non est in alienis. Necesse est igitur coniunctos viuere parentes propter liberos, & eorum coniunctio non est ab alijs impedienda.

DE TEMPERANTIA.

Omnia nascentia seruantur alimento conuenienti, & tali mediocritate, vt sit æqualitas agentis & patientis, id est, naturæ conuertentis nutrimentum. Temperantia est illa mediocritas. Ergo Temperantia est necessaria.

DE IVSTICIA COMMVTATIVA.

Necesse est communicationem, quæ fit victus causa, in infinitum vagari, & esse perpetuam. Non potest autem perpetua esse & in infinitum vagari, nisi seruata æqualitate arithmetica. Quia altera pars exhauritur, quãdo non redduntur æqualia pro æqualibus. Ergo necessaria est arithmetica æqualitas in contractibus.

DE LIBERALITATE.

Omnis communicatio officiorum debetur aut ciuili obligatione, aut naturali. Iusticia soluit debitum propter obligationem ciuilem, Liberalitas propter naturalem. Ergo vtraque virtus est necessaria.

Alia:

Societas non potest conseruari sine beneficentia. Homo est conditus ad societatem. Ergo conditus est homo ad beneficentiam.

DE VERITATE.

Deus est natura intelligens & verax. Homo est imago Dei. Ergo homo est intelligens natura, & quærens veritatem.

Alia:

Nulla membra & nullæ vires membrorum attributæ toti speciei humanæ, frustra conditę sunt. In homine sunt membra & vires ordinatæ ad cognitionem & ad ratiocinationem, imò & notitiæ insitæ sunt. Ergo necessaria est ratiocinatio & consideratio veritatis.

Alia:

Tollere veritatem, est confundere & destruere vitam, vt si venena dicantur esse remedia, si in numeris, contractibus & iudicijs falsa misceantur. Necessaria est igitur veritas.

DE MODESTIA.

Intellectus ordinis non eſt fruſtra inſitus homini, cùm non ſit in beſtijs. Modeſtia eſt ordinis conſeruatio. Ergo modeſtia eſt neceſſaria.

DE GRATITVDINE.

Neceſſaria eſt æqualitas, vt ſeruetur genus humanum. Sublata gratitudine tollitur æqualitas. Ergo neceſſaria eſt gratitudo.

Alia:

Neceſſaria eſt copulatio cauſæ & effectus. Benefactor, vt Deus vel homo, eſt cauſa ſalutis alteri. Ergo ſeruatus debet agnoſcere illam copulationem.

LIBER

LIBER TERTIVS ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM.

ARGVMENTVM LIBRI TERTII.

CVM definitio virtutis Aristotelica ex causis conflata sit, & scire sit rem per causas cognoscere, nunc de causis virtutum disserit Aristoteles, videlicet de iudicio mentis, & de libertate voluntatis. Hi fontes rectius intelliguntur considerata imagine Dei in homine. Nam ante lapsum in intellectu fulsit firma Dei notitia, & voluntas & cor congruebant cum Deo, id est, habebant rectitudinem & iusticiam congruentem cum Deo, & libertas voluntatis non erat impedita. Etsi autem post lapsum tristis caligo menti offusa est, tamen mansit in mente aliqua legis notitia, quia Deus vult se adhuc agnosci, & vitam qualiscunque est, disciplina regi. Et quanquam libertas voluntatis impeditur contumacia affectuum, tamen reliqua est libertas in ea parte, quæ regit motus externos, quam locomotiuam in scholis nominant. Non enim vult Deus homines Cyclopico more sine or-

dine viuere, & omnibus cupiditatibus laxare frenos.

Vt igitur Ariſtoteles monſtret cauſas, vtiliter diſtinguit tria genera actionum, quarum aliæ ſunt voluntariæ, aliæ inuoluntariæ, quædam mixtæ. Diſcernit etiam cæcum naturæ impetum, & ineptam imitationem, & ſimulationem à προαιρέσει, id eſt, à vera & ſeria electione, quæ & iudicio regitur, & habet in corde congruentes affectus ſeu appetitiones, vt Hippolytus ſeriò & ſine ſimulatione vitat & fugit nouercæ concubitum. Fabricius ſeriò & ſine ſimulatione reijcit aurum à Pyrrho miſſum. Recitat præterea quatuor gradus cauſarum efficientium, Neceſsitatem, Naturam, Fortunam, & Mentem, ac docet virtutum actiones tantùm à mente regi, quæ complectitur duas facultates, Intelligentem & Volentem. His diſtinctionibus, quarum magna eſt vtilitas in omni vita, adiungit diſputationes valde eruditas, vnam de obiecto, alteram de libertate voluntatis.

Poſtremò fortitudinem, quæ regit partem animi θυμικὴν, & temperantiam gubernatricem τῆς ἐπιθυμητικῆς, pulcherrima methodo explicat. In his locis liber tertius Ethicorum verſatur, qui cùm ob alias cauſas cognitione digniſsimus eſt, tum verò ob hanc vel maximè, quia collatio philoſophiæ cum do-

ctrina

ctrina cœlesti aliquid lucis affert vtrique generi doctrinæ.

CAPVT I.

Argumentum.

TRES sunt loci præcipui in hoc capite. Primus eruditè distinguit tria genera actionum, quarum aliæ sunt voluntariæ, aliæ inuoluntariæ, quædam mixtæ. Secundus recitat vtilem distinctionem de ignorantia iuris & facti. Tertius agitat quæstionem Platonicam, An facta per iram aut cupiditatem sint voluntaria. De his locis ordine ac breuiter disseremus.

DE PRIMO LOCO.

Voluntariæ actiones sunt, quæ reguntur à iudicio & voluntate sine impedimentis, id est, sine errore & sine violentia. Vt Eua sciens & volens peccauit. Etsi enim norat se conditori suo debere obedientiam, & voluntas non impediebatur externa violentia: tamen discessit à mandato Dei, & sibi ac posteris horrenda mala accersiuit. Talia delicta magis terra sunt, quia concurrunt omnes causæ actionis sine impedimentis, iudicium & voluntas. Et maior est contumacia voluntatis, quando mens videt quid agat.

Inuoluntariæ actiones sunt, quæ fiunt aut impedito iudicio, aut principium habent extrinsecus, vt Aristoteles loquitur, id est, quæ sunt violentæ, cùm videli-

cet corpus rapitur aliunde, prorſus non aſſentiente voluntate, vt cùm tempeſtate aliquis ad ſcopulum allidi-tur. Item cùm ignorantia peccatur non affectata, quæ probabilem cauſam habet, vt cùm pater præterijt filium in teſtamento, falsò nunciata eius morte. Mixtæ actiones dicuntur, quæ fiunt non impedito iudicio, & cùm re ipſa fit electio à voluntate, etiamſi voluntas aliud mallet, vt cùm viator latroni mauult pecuniam dare, quàm vitam amittere. Hæ actiones non dicuntur inuoluntariæ, quia voluntas eligit minus malum. Sunt igitur reuera voluntariæ, ac de talibus dicitur, voluntas coacta eſt voluntas, ſcilicet quæ rem licitam & poßibilem eligit ſciens. Ex hac diſtinctione multa iudicari poſſunt. Nam & diuino iudicio infinita diſtantia eſt inter delicta voluntaria & inuoluntaria, vt Euæ lapſus fuit delictū voluntarium. Mariæ negligentia amittentis filium fuit peccatum errore admiſſum.

De secvndo.

Ignorantia duplex eſt, alia affectata, alia probabilis. Affectata eſt, cū voluntas peccat, non volens inquirere ea, quæ neceſſe eſt cognoſci & de iure & de facto. Ideoq́; vitioſa eſt, quia voluntas peccat. De hac ignorantia iuniores meminerint veriſsimā regulam, Ignorantia iuris naturalis et diuini neminem excuſat. Nequaquam igitur excuſandi ſunt furores Ethnicorum colentium idola, & fingentium multos deos, quia ius naturale omnes ſcire debent, cùm & naturæ inſitum ſit,

sit, & sæpe à Deo repetitum. Sic Pharisæi, episcopi, reges & alij errantes, habent ignorantiam affectatam, quia volentes omittunt inquisitionem seu cōsiderationem veræ doctrinæ, cùm quidem mandatum vniuersale sit de filio Dei, Hunc audite. Item: Osculamini filium. Interdum & facti ignorantia culpanda est, vt cùm ebrius peccat, quia tunc quoq; voluntatis culpa accersita est cerebri perturbatio. Ideo Aristoteles dicit, eum qui ebrietate peccauit, duplici pœna puniendum esse. Nam turpis excusatio auget culpam, non minuit. Nec excusat ignorantia circumstantiæ, præsertim in proprio facto, vt si quis venditionem suam rescindere velit, quia antea suæ mercis precium aut dignitatem nescierit. Hîc venditori non prodest allegare ignorantiam, sicut textus inquit, Non stultis, sed ignorantibus succurritur.

Sed est quædam ignorantia facti vel proprij vel alieni, quæ habet excusationem, vt si quis nesciat ea, quorum inquisitio non est sui officij propria, vt si quis non tribuat nomen consulis magistratui in alio oppido, cuius ipse non est ciuis, ignorans eum esse consulem. Item, si quis ex probabili causa, nesciens cognatum suum decessisse, non adeat hæreditatem, non propterea ius suum amittit.

Hanc distinctionē considerare vtile est, quia sæpissime quæritur, vbi ignorantia excuset, vbi culpanda sit, & causa prudenter consideranda est. Voluntas enim peccat, si fugit inquisitionem debitam.

DE TERTIO LOCO.

Quemadmodum in lente, iuxta prouerbium, non eſt quærendum vnguentum: ita tenues diſputationes ſine longis ambagibus explicandæ ſunt. Sic igitur ad quæſtionem Platonicam reſpondeo. Cùm ira aut amore homines impelluntur vt peccent, actiones non dicuntur inuoluntariæ, quia voluntas frenare hos affectus & poteſt & debet, ſicut ſcriptum eſt, Sub te ſit appetitus eius, & tu domineris ei. Indulgens igitur volens indulget. Quare ira aut amore facta reuera ſunt voluntaria.

TEXTVS.

CVm virtus ſit moderatrix affectuum & actionum, & voluntaria quidem mereantur laudem vel vituperationem, inuoluntaria verò iudicentur venia & miſericordia digna eſſe, non ſolùm in philoſophia, ſed etiam in iudicijs neceſſaria eſt voluntarij & inuoluntarij diſtinctio. Ac mihi de hoc diſcrimine cogitanti, inuoluntarium dici videtur, quod fit, aut vi coacto corpore, aut per ignorantiam. Violentum autem intelligo, cuius principium omnino externum eſt, & quod nulla ratione ab agente aut patiente adiuuatur, vt ſi ventus nauigantem in ſcopulum impellat, aut tyrannus nos cogat aliquid facere inuitos.

Sed hîc quæstio existit, quid de ijs existimandum sit, quæ suscipiuntur aut metu periculorum, aut spe alicuius boni, vt si tyrannus turpia præcipiens obtemperantibus incolumitatem promittat, & non obtemperantibus mortem denunciet. Item, si quis iactatus tempestatibus malit amittere merces, quàm naufragium facere. Quanquam autem hæ actiones mixtæ appellari possunt, quòd nec simpliciter voluntariæ sint nec inuoluntariæ: tamē ad voluntarias propius accedunt, quia reguntur electione tunc cùm fiunt. Est enim finis [a] actionis secundum opportunitatem. Cùm igitur tales actiones non oriantur immediatè à principio externó, sed à voluntate eligente alterū inter duo mala, reuera sunt voluntariæ.

[a] Finis actionis est secundum opportunitatem, id est, Consilia sæpe mutātur propter diuersa obiecta, seu occasiones, seu dissimiles impetus animorum, vt cùm Thrasibulus recuperaret patriam, multi exules reducti repetebant erepta patrimonia. Sed sine nouis motibus non poterant eis restitui. Tulit igitur legem humanissimam de obliuione iniuriarum, quam cùm pacis causa approbarent illi ipsi exules reducti, sua volentes tunc amittebant, etiamsi prius cogitarant se nō amissuros esse. Est igitur actio voluntaria tunc cùm fit, videlicet propter talem articulum temporis, quia iudicas illi tempori hoc magis conuenire.

Cæte-

Cæterùm hæ [*b*] actiones interdum aliquid laudis habent, vt cùm propter ingens bonum acerbas calamitates ſuſtinemus. Nonnunquam in reprehenſionem incurrunt, vt ſi quis ſine ratione, boni exquiſitos cruciatus perferat. Sępe etiam venia magis quàm laude dignæ ſunt, vt ſi quis turpia in ſe admittat fractus metu dolorum, quos natura humana patiendo ferre non poteſt. Poſtremò quædam ita ſunt flagitioſa, vt mors potius appetenda ſit, quàm ijs nos contaminemus. Itaque non immeritò vituperatur [*c*] Alcmæon Euripidis, qui dixit ſe coactum interfeciſſe matrem.

[b] Vſitatum dictũ eſt, Seruiendum eſt tempori. Sed metæ huius præcepti teneantur. Ac differit hîc Ariſtoteles breuiter de metis, videlicet, vtilitates maiores minoribus anteferendas eſſe. Sed addendum eſt, ſalua religione & ſalua diſciplina, id eſt, ne quid fiat cõtra Deum & vtilitatem publicam.

[c] Eryphila ea cupiditate fuit, vt cùm vidiſſet monile ex auro & gẽmis, pulchritudine eius incenſa, ſalutem mariti Amphiarai proderet. Hanc filius Alcmæon interfecit, vt Vergilius lib. 6. AEn. ſcribit:

His Phædram Procrinq́ locis, mæſtamq́ Eryphilen
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.

Et Thucydides in fine libri ſecundi.

Est autem profectò difficile iudicare, quid potissimùm eligendum sit, & qua de causa dolores tolerandi sint. Sed longè difficilius est constanter obtemperare recto iudicio. Etenim magna ex parte aut tristia sunt, quæ expectantur, aut quæ vim afferunt, fœda & turpia sunt. Hinc laus & vituperatio existunt pro modo coactionis. Quæ igitur dicenda sunt violenta? Ea videlicet, quorum causa est externa, ad quam agens nihil momenti affert. Eadem autem intelligi debent inuoluntaria & violenta.

Porrò non omne quod fit per ignorantiam, [*d*] inuoluntarium & habendum & nominandum est. Si enim dolorem affert facienti, postquam error animaduersus est, inuoluntarium ducatur. Sin autem nullum doloris sensum ciet recognita & percepta, voluntarijs annumeretur. Differũt igitur quòd peccat ignarus, & quòd peccatur propter ignorantiã. Excusabile est, vbi sola ignorantia errati causa est. At vbi non ignorantia, sed nostra ignauia ac cupiditas præcipua errati causa est, ibi ignorantia non excusat, vt ebrij non peccant propter ignorantiam, sed ignorantes,

[d] Argumentatur à fine: Si dolorem affert actio est inuoluntaria, vt in causa Iacob, cui obtruditur Lea pro Rachele. Si autem non affert dolorem est voluntarium.

rantes, & ignorantiæ causa est mala voluntas, quæ vltro accersiuit ebrietatem. Omnis enim flagitiosus ignorat, quæ oportet agere & quæ omittere. Ideo culpandus est, qui hac ignorantia admittit scelera. Nam ignorantia, quã volens aliquis accersit, nõ excusat, sed est malitia: Sic vniuersalis ignorantia, hoc est cùm nihil eorum scimus, quæ nobis agenda sunt, nequaquam excusat erratum.

Sed est quædam ignorantia circumstantiarum, quæ habet excusationem, vt AEschylum aiunt accusatum esse, quòd quædam Eleusinia arcana inseruisset suo poëmati, atque ita patefecisset. Is vsus est hac excusatione, quòd nesciisset eam partem haberi pro arcana, & absolutus est. Sic [e] Merope interfecit filium putans hostem esse. Sæpe etiam fit, vt aliquis putet, se fragili pumice percutere, & lapide percutiat.

[a] Pausanias in Messenijs particulam historiæ de Merope recitat: Cresphõtes dolo potit⁹ fuerat terra Messeniorum, deceptis Aristodemi liberis in sortione. Habuit autem vxorem Meropẽ filiam regis Arcadum. Sed aliquantò post irritati ciues, interfecerunt cùm ipsum, tum liberos eius, præter vnum. Hæc sunt apud Pausaniam. Fortaſsis in ea cæde Merope insaniens vnum ex filijs interfecit, putans hostem esse.

Hæc & alia multa cùm ab ignorantia circumstantiarum, in primisque obiecti & finis profi-

proficiſcantur, inuoluntarijs annumeranda videntur.

Quemadmodum autem non voluntarium partim à vi, partim ab inſcitia oritur, vt dixi, ita è regione voluntarium ſeu ſpontaneum nominatur, cuius principium eſt in ipſo ſciente actionem & præcipuas circumſtantias.

Reſtat poſtrema quæſtio non difficilis ad explicandum, an facta per iram aut cupiditatem ſint voluntaria. Si enim in pecudibus & pueris diſcrimen eſt inter violenta & ſpontanea, quis neget facta per iracundiam & cupiditatem voluntaria ſeu ſpontanea eſſe? Deinde cùm honeſta, ad quæ accedit ira vel cupiditas, ſpontanea ſint, quid obſtat quò minus eodem modo pronunciemus de delictis, cùm cauſæ ſint ſimiles?

CAPVT II.

Argumentum.

CVM *in varijs diſputationibus fiat mentio doctrinæ de appetitionibus, vtile eſt gradus noſſe, & videre quibus appellationibus vetuſtas vſa ſit. Plato ſæpe repetit hanc ſuam partitionem. Ait eſſe tres gradus in homine,* ἐπιθυμητικὸν, θυμικὸν καὶ ἡγεμονικὸν, *ac ſingulis ſuam ſedem attribuit.* ἐπιθυμητικὸν *dicit pertinere ad epar, quia id membrum præcipua officina eſt coctio-*

coctionis. θυμικὸν seu θυμοειδὲς collocat Plato in corde, affectus videlicet eos, qui non pertinent ad nutritionem, sed ad defensionem. Tertius gradus est ἡγεμονικὸν, quod complectitur mentem & voluntatem, seu partem cognoscentem, & partem eligentem cognita, & imperantem locomotiuæ. Apud Aristotelem genus est facultatis appetitiuæ ὀρεκτικὸν. Id partitur in hæc tria, ἐπιθυμίαν, θυμὸν καὶ βούλησιν. Hæc breuiter monuisse de his appellationibus Platonis & Aristotelis satis sit.

Neq; verò obscurum est, cur Aristoteles discernat προαίρεσιν à reliquis gradibus actionum in homine. Nam ad προαίρεσιν duæ vires concurrunt, mens & voluntas. Aliæ verò actiones sæpe non reguntur consilio, sed cæco & temerario impetu feruntur. Ac de infimo gradu, ad quem fames & sitis pertinent, Cato venustè dixit, Ventrem carere auribus. Cùm enim longissimè à cerebro distet & naturaliter agat, non potest persuadendo flecti, vt aliter agat. Deinde cor aliàs rationi obtemperat, aliàs est contumax. Ipsa etiam voluntas nō rarò fertur sine duce, id est, sine mente præmonstrante quid agendum sit. Deniq; opinio, iuxta Simonidis dictum, sæpe vim affert veritati, & à scopo aberrat. Quæ cùm ita sint, prudenter segregemus προαίρεσιν à reliquis fontibus actionum. Est enim προαίρεσις, cùm concurrunt mens iudicans, & voluntas liberè eligens & recto iudicio obtemperans. Cùm verò aliqua causa deest, προαίρεσις non est integra, vt constantia Catonis non regitur iudicio, sed est naturalis duritia. Sic in

Thra-

Thrasonis simulata fortitudine deest voluntas. Etsi igitur multæ actiones speciem virtutis præ se ferunt, tamen quia altera causa deest, aut aliqua ex parte cessat, non omnes actiones dicuntur virtutum actiones. Extat Zaleuci lex, quæ totam hanc disputationem περὶ προαιρέσεως illustrat: Deus non colitur sumtu, nec tragœdijs captiuorum, vt malus homo, sed eum qui vult Deo placere, oportet bonum esse non solùm actione, sed etiam proposito iustorum & honestorum operum. Huius legis perspicua ratio est, quia actio externa potest esse simulata. At προαίρεσις omnis simulationis expers ac vacua est.

TEXTVS.

HActenus de discrimine voluntarij & inuoluntarij dixi. Sequitur vt de [a] electione disseram, quæ maximam cum virtute cognationem habet, eamque ab actionibus discernit, quæ virtutis speciem præ se ferunt. Etsi enim omnis electio spontanea est: tamen appellatio spontanei latius patet quàm electio.

[a] Demosthenes περὶ στεφάνου: τὸ μὲν γὰρ πέρας, ὡς ἂν δαίμων βουληθῇ πάντων γίγνεται, ἡ δὲ προαίρεσις αὐτὴ τοῦ συμβούλου διάνοιαν δηλοῖ. Euétus diuinitus gubernatur, sed propositum ostendit qua mente sit cõsiliarius. Diodorus Siculus de pugna Leonidæ ad Thermopylas: καὶ γὰρ οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων κρίνειν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ ἐκ τῆς προαιρέσεως.

ρέσεως. Boni viri nō ſunt æſtimandi ex euentu, ſed ex propoſito. Paulus 2. Cor. 9. ἕκαστος καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ, μὴ ἐκ λύπης ἢ ἐξ ἀνάγκης. Vnuſquiſq; ex propoſito cordis, id eſt, libẽter & ex animo conferat, non grauatim aut coactè. Hæc exempla oſtendunt magnum eſſe vſum vocabuli προαιρέσεως, non tantùm in Ariſtotelicis diſputationibus, ſed etiam in alijs ſcriptis ſapientiſsimorum & eloquentiſsimorum hominum.

Nam pueris & pecudibus tribuitur ſpontaneum, nō autem deliberatio ſeu electio. Sunt autem philoſophi, quibus perſuaſum eſt, electionem eſſe naturalem appetitionem, aut [b] iram, aut voluntatem, aut opinionẽ. Sed hęc perſuaſio longè à re ipſa atq; à veritate diſtat.

[b] θυμὸς in doctrina anatomica eſt ſub iugulo circa pulmonem glandulosa caro ſubſtrata aſcendentibus venis & arterijs. Ideo autem ſic nominatur, quia valde irati in ea parte ſentiunt acutiſsimas punctiones propter concurſum ſpirituum vehementiorem.

Cùm enim naturalis appetitio & ira homini communes ſunt cum pecudibus, electio ita ſit hominis propria, vt cum pecudibus eam communicare ſi cupiat, non queat, perſpicuum eſt aliud eſſe naturalem appetitionem, & aliud electionem. Res etiam oſtendit, hominem incontinentem laxare frenos cupiditati-

ditatibus, nec quicquam agere consultò & cogitatò, continentem verò mores vera ratione gubernare, & minimè deditum esse voluptatibus. Quid, quòd electioni sæpè repugnat & aduersatur naturalis appetitio, cùm ipsę appetitiones, quæ sunt eiusdē generis, nequaquã inter se dissideant? Ac ne pluria in hac refutatione colligã, sic statuo, naturalē appetitionē versari circa delectationē & dolorē, ipsam verò electionē alia obiecta intueri. Cùm autem electio non sit naturalis appetitio, multò minus existimandũ est, eam esse cognatã iræ. Nã actiones ab ira ortæ omniũ [c] minimè suscipiuntur & reguntur consilio.

[c] Xenophon lib. 5. de rebus Græcis: Hæ calamitates, quantũ ego existimare possum, monitrices & concionatrices esse debent de moderatione iræ. Si enim paterfamilias tantisper dum ira ardet, nequaquam de familia pœnam sumere debet, cùm constet dominos iratos sæpenumero plus mali sibi accersiuisse quàm alijs dedisse, possumus ne dubitare, quin hosti non ira duce, sed consilio occurrendum sit? Nam ira est quiddam improuidum. Ratio autem non tantùm in hoc incumbit, vt hostem lædat, sed maiore cura cauet, ne sibi malum attrahat.

Deinde electio non est [d] voluntatis appetitio, cùm quidem ei adiuncta sit vel po-

[d] Voluntas in cõmuni sermone significat actionē seu ipsũ velle, vt, Sic volo, sic

tius cognata. Nam electio non proſpicit impoſsibilia. Quis enim non contemnet vanitatis & ſtultitiæ agitantem conſilia de re impoſsibili? At vota rerum impoſsibilium, vt immortalitatis, à voluntate profecta ſunt in omni vita vſitatiſsima. Huc adde, quòd voluntas ſæpenumerò conuerſa eſt ad eas res, quas ipſa non tractat, vt cùm optat victoriam dimicanti, aut hiſtrioni agenti fabulam. Huiuſmodi res non eliguntur, ſed illæ tantùm, quas putamus à nobis geri poſſe.

iubeo, ſit pro ratione volũtas, id eſt, ipſum velle. Deinde vſurpatur in philoſophia ꝓ potentia appetente, quæ ſuperior eſt appetitu ſenſuum.

Porrò vt voluntas appetit finem, ſic electio quærit media ducentia ad metam, vt ſanitatem volumus, ea verò quæ ad ſanitatem pertinent eligimus. Sic beatitudinem velle ſeu appetere rectè dicimur. Eandem verò eligere non dicimur. Nam electio tantùm in ijs rebus conſiſtit, quæ à nobis præſtari poſſunt.

Tertiò. Ingens diſcrimen eſt electionis & opinionis. Etenim [e] opinio in omnes res intẽta eſt, quarum aliæ ſunt ęternę, & impoſsibiles, aliæ à nobis effici poſſunt. Diuiditur

[e] Opinio eſt notitia, in qua ꝓbabili ratione mouemur, vt magis in vnã partẽ inclinemus quàm in aliã, & tamẽ ſuſpẽſa ſit aſſenſio ſeu aſſeueratio.

tur etiam opinio in veram & falſam, non in bonam & malã. At electio, vt dixi, eſt earum rerum, quę non ſunt poſitæ ſupra vires noſtras & diſtribuitur in bonam & malam.

Ac ſi verè iudicare volumus, electio efficit bonos aut malos. Opinio autem nemini conciliat famam virtutis vel improbitatis. Pręterea electio aut proſequitur, aut fugit obiecta. At opinio non ſtatim amplectitur bona, nec reformidat mala, quæ agnoſcit. Vt autem laus electionis in bonitate, ſic opinionis in veritate conſiſtit. Quid, quòd ea potiſsimùm eligimus, quæ certò ſcimus eſſe bona? Opinio autem ſæpe incerta eſt. Hinc etiam percipi poteſt, quàm longè inter ſe diſtent opinio & electio, quòd multi videant meliora & probent, & tamẽ victi cupiditatibus deteriora ſequantur.

Cùm igitur electio nihil eorum ſit, de quibus dixi, reſtat vt tandem προαίρεσιν definiamus. Eſt ergo προαίρεσις ſponte velle aut nolle honeſta vel inhoneſta, præcedente deliberatione.

CAPVT III.

Argumentum.

DVO *ſunt loci huius capitis. Prior eſt admonitio de obiecto* προαιρέσεως. *Eſt autem obiectum electionis*


res paßibilis & agenda in vita. Alter locus eruditè recitat causas præcipuas omnium rerum & actionum, videlicet, Naturam, Neceßitatē, Fortunam & Mentem. Natura propriè de substantia dicitur, constituta ex materia & forma, vt ignis non aliunde sumit vim calefaciendi, sed substantia est causa caloris, qua calefacit. Deinde vocat Neceßitatem ordinem motuum cœlestium, vt causa vicißitudinis dierum & noctium, æquinoctiorum & solstitiorum est neceßitas, id est, perpetuus ordo motuum cœlestium. Fortuna est causa per accidens, vt foßio causa est per accidens inuenti thesauri. Mentem hoc loco vocat Aristoteles partem iudicantem & voluntatem. Ideo autem discernit has species causarum efficientiū, vt ostendat virtutis causam esse, non naturam, non neceßitatem, non fortunam, sed mentem & voluntatem. Vt iustitia in Aristide causa est non temperamentum, nec lex aliqua fatalis, nec fortuna. Ab his causis discernit mentem, videlicet iudicium seu deliberationem, & voluntatem obtemperantem recto iudicio, quæ sunt principales causæ honestarum actionum.

TEXTVS.

MVlti autem à nobis querere solent, vtrùm omnes res cadant in deliberationem, an aliquæ à deliberatione segregatæ sint. Sed nihil est quod expedire tam facilè posſimus. Non enim omnia, de quibus fatui & furen-

tes cogitant, conſilio regenda ſunt, ſed ea duntaxat, quæ mentes hominum ſanorum exercent. Nam de æternis nulla eſt inter ſanos diſceptatio, vt verbi cauſa de mundo, & de ea ſententia, quæ docet non eſſe communem [a] menſuram, quæ diametrum & coſtam metiri poſſit.

[a] Symmetra dicuntur, quorũ communis eſt, aſymmetra, quorum non poteſt eſſe communis menſura. Sæpe autem Diagonia, id eſt linea recta, quæ in quadratis tranſuerſim ducta, in duo triangula ea ſecat, appellatur Diameter, vt cùm dicitur, Diameter eſt ἀσύμμετρος coſtæ. Sit quadratum α. β. δ. ε. & Diagonia ſeu Diameter β. δ. Sit porrò latus quadrati quatuor. Ergo per penultimam primi Diagonia erit quinque ὡς ἔγγιστα. Hinc manifeſtum eſt non poſſe reperiri numerum, qui præciſè metiatur latus quadrati & lineam Diagoniam.



Sic de motibus, quorũ leges perpetuæ ſunt, nemo dubitat, vt de ſolſtitijs & æquinoctijs, & de ortu atque obitu ſiderum. Multò etiam minus de fortuitis euentibus, vt de theſauri inuentione, deliberatio inſtituitur. Imò nec

de cunctis rebus, quæ in vita geruntur, cogitatio à nobis ſuſcipitur, vt ciuis Laconicus non afficitur cura Reip. Scytharum. Nihil enim horum efficere atque aſſequi poſſumus. Relinquitur ergo, ea tantùm cadere in deliberationem, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Sunt enim quatuor cauſæ omnium euentuum gubernatrices, Natura, Neceſsitas, Fortuna & Mens.

Conſtituta hac ſententia, quòd homines duntaxat de ijs rebus conſultent, quæ ſunt agendæ in vita, perſpicuum eſt eas ſcientias, quarum ſumma eſt certitudo, non deſiderare adminicula prudentiæ, vt de literis nemo dubitat, qua ratione pingendæ ſint. Neque verò ſemper eodem modo conſultamus de ijs, quæ operam officij noſtri requirunt, vt videre licet in arte Medica, in [b] mercatura, in gubernatione nauium, & in corporum exercitijs.

[b] Plato in quarto Πολιτικῶν tres gradus hominũ in Rep. conſtituit, quorum primum appellat βουλευτικὸν, alterum ἐπικουρικὸν ſeu δορυφορικὸν, tertium χρηματιστικὸν. Ad primum pertinent Doctores & ſenatores. Ad ſecundum milites. Tertius complectitur agricolas, mercatores & opifices. Eſt autem duplex mercatura ſecundum Ariſtotelem in primo Politicorum, vna œconomica, qua res dominatæ venduntur, alia ſordida, cuius finis non eſt vſus, ſed quæſtus. Vt autem

tem

tem œconomicam Ariſtoteles laudat, ſic alteram ſpeciem vituperat.

Etſi enim plærunq; euentus reſpondet conſilijs: tamen quorundam conſiliorum exitus incertus eſt. Itaq; in arduis negocijs vtimur conſilio hominum prudentum, agnoſcentes noſtram infirmitatem non eſſe parem moli negociorum & periculorum.

Illud etiam conſtat, in deliberatione non diſputari de fine, ſed de medijs rectè ducentibus ad finem, quem proſpicimus. Neque enim Medicus de ſanitate tanquam de fine ſuæ artis dubitat, ſicut nec orator de permouendis hominum animis, nec gubernator de bono & [c] ſalutari ſtati Reip.

[c] θέμις eſt lex naturæ. εὐνομία, ius poſitiuum, deductum ex lege naturæ. Ideo Pindarus Oda nona Olympiorum fingit, εὐνομίαν eſſe filiam Themidis. Quòd autem lex ſit neruus boni ſtatus in Repub. teſtatur Cicero in oratione pro Cluentio: Lex eſt vinculum dignitatis, qua fruimur in Repub. Hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. Omnia commoda noſtra, iura, libertatem, ſalutem denique legibus obtinemus.

Poſito autem fine quæri ſolet, quæ viæ nos ad illam metam ſine errore & ambagibus perducere poſsint. Quòd ſi plures ſunt, eam eligimus, quæ rectiſsima et maximè compendiaria eſt. Sin autem vna tantùm propoſita

eſt, ſic in eam ingredimur, vt perueniamus ad primam cauſam, quæ ordine inuentionis poſtrema eſt. Nam is qui deliberat, imitatur Geometras reſoluentes aliquod diagramma, & ex reſolutione æſtimantes compoſitionem atque deſignationem à principio factam.

Etſi autem non omnis quæſtio eſt deliberatio, vt Mathematum exempla oſtendunt: tamen omnis conſultatio vocatur in quæſtionem, ad quam explicandam adhibetur vltimum quidem, ſi [*d*] reſolutionē ſpectes, primum verò, quod ad generationem ſeu conſtitutionem attinet.

[d] Analyſis in genere ſic definitur: Reſolutio eſt regreſsio ad id, quod eſt prius & cauſa cōpoſitionis. ἀνάλυσίς ἐςι ἀνάκαμψις ἐπὶ τὸ πρότερον καὶ τὸ αἴτιον τῆς συνθέσεως. Ea verò triplex eſt, λογικὴ φυσικὴ καὶ μαθηματικὴ. Ac primæ quidem & ſecundæ ſpeciei magna cognatio & ſimilitudo eſt. Vt enim ſyllogiſmus reſoluitur in propoſitiones, & hæ rurſus in terminos: ſic corpus phyſicum reſoluitur in humores, in elementa, & hæc in principia, in quibus reſiſtere oportet. Mathematica autem analyſis eſt, in qua ſumitur ζητούμενον, id eſt, quæſitum tanquam hypotheſis conceſſa, & inde fit regreſſus ad principia, vt ſi anima eſt immortalis, neceſſe eſt præmia & pœnas actionum bonarum & malarum aliquando diſtribui. Reſtat ergo iudicium poſt hanc vitam, in quo fiet talis diſtributio. Si autem ſequetur iudicium, non poſſumus dubita-

bita-

bitare quin ſit prouidentia. In compoſitione verò à principijs ordiemur, vt in propoſito exemplo, ſi eſt prouidentia, ſequetur iudicium, in quo ſingulis conuenientia reddentur. Quare neceſſe eſt animam immortalem eſſe.

Cæterùm vt rerum impoſsibilium ſuſceptio omittitur: ſic ea quæ poſsibilia ſunt magno conatu ſuſcipiuntur. Sunt autem poſſibilia, quæ aut noſtra aut amicorum diligentia ad exitum perduci poſſe videtnur, eaque non ſolùm inſtrumentis, ſed etiam vſu inſtrumentorum indigent. Ac vt ſumma ſequar faſtigia rerum, de quibus prolixè diſputaui, ſic ſtatuo, hominem eſſ principium & fontem actionum, & deliberationem inſtitui de rebus agendis in vita, & ipſas actiones referri ad alios fines, quorum media ſeu viæ potiſsimùm conſultando quæruntur. Sit igitur hoc iam probè ſtabilitum & fixum, eandem vim habere deliberationem & electionem, & hoc vno diſtare, quòd electio acquieſcit in ijs rebus, quas conſultatio aperuit & patefecit. Tunc enim inquiſitio de modo agendi ſuum habet finem & terminum, quando aliquis ad ſe reuocauit principium, & eam ſui partem, quæ cæteris dominatur. Huius rei coniectura ſumi poteſt ex for-

formis Rerump. quas Homerus deſcripſit. Nam reges Homerici populo decreta ſua proponunt.

Spero ex his, quæ dixi, ſatis intelligi poſſe quid ſit electio, & obiecta ipſius eſſe res poſsibiles & agendas in vita.

CAPVT IIII.

Argumentum.

SI PRIMI homines retinuiſſent ſapientiam & iuſtitiam in creatione inditam, nihil opus eſſet hac diſputatione de obiecto voluntatis. Etenim voluntas ad Deum conuerſa eſſet, nec vllam creaturam huic ſummo & infinito bono anteferret, ſed in eo primùm & principaliter acquieſceret, & poſtea reliquos gradus bonorum iuſto & legitimo ordine expeteret, eiſdemq́; cum præſentiæ Dei cogitatione atq; ardēti gratiarum actione frueretur. Quia verò voluntas à Deo auerſa eſt, ſecuta eſt triſtis & lugēda confuſio appetitionum. Sæpe vxor & liberi magis diliguntur, quàm Deus, vt ille apud Plautum inquit, Malo me iſta mulier amet quàm dij. Sic auarus opes ſuas pluris facit, quàm Deum. Summum bonum eſſe voluptatem non Epicurus tantùm, ſed maxima multitudo hominum exiſtimat. Alij modeſtiores dicunt virtutem melius quiddam eſſe. Nec hi tamen virtutem propter Deum appetendam

eſſe

esse docent. Ita amissa luce mentis & extincto amore Dei in voluntate, homines alia obiecta quærunt, ac horum ordo etiam conturbatur.

Vt autem consideremus, qualis nunc sit natura hominum, & quæ sint discrimina philosophiæ & Euangelij, recitabimus, & quæ nunc sint obiecta, & ad quæ nos retrahat filius Dei.

Primùm igitur Catoni aut Ciceroni obiectum est voluntatis in appetendo bonum finitum, quatenus ratio aut sensus decernit id esse bonum humanæ naturæ aut societati. Rursus in fugiendo, malum contrarium illi bono obiectum erit. Hinc iudicari potest, quousque humanæ appetitiones sine Spiritu sancto progrediantur. Sunt autem huius boni species, honestum, vtile, iucundum. Intra hanc bonorum regionem versantur appetitiones. Ideo Paulus inquit, Qui secundum carnem sunt, carnalia sapiunt, videlicet quæ recensui.

Deinde sciamus nobis ad lucem Euangelij vocatis obiectum esse voluntatis bonum infinitum, & cætera bona suo ordine appetenda. Vocamur enim ad instaurationem naturæ, & proponitur nobis filius Dei Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro nobis & resuscitatus, qui affirmat Deum non esse otiosum, sed verè & horribiliter irasci peccatis, recipere autem in gratiam confugientes ad filium, & exaudire eos ac liberare. Hanc Euangelij vocem cùm audimus & fide amplectimur, ipse filius Dei λόγος æterni patris accendit lucem in mentibus nostris, & Spiritu suo sancto corda inflammat, vt in Deo acquiescant & lætentur,

diligant

diligant eum, & obedire ei incipiant, petant se ab ipso regi, & rursus fiant templum Dei.

Etsi autem res conditæ à Deo bonæ sunt, vt vita, cibus, potus, coniugium, politica societas: tamen ordine expetendæ sunt, & nequaquam anteponendæ voluntati Dei, vt pij confeßionem Euangelij anteferunt suæ vitæ. Hæc quæ de gradibus obiectorum dixi, alibi copiosius declarantur.

TEXTVS.

DE obiecto voluntatis variæ sunt & discrepantes doctißimorum hominum sententiæ. Sunt enim qui affirment, bonum per se & suo genere esse obiectum voluntatis. Sed hæc opinio correctione indiget, quia non rectè iudicantes sæpe errant in delectu rerum. Si igitur voluntatem nihil moueret nisi bonum, ea etiam quæ in malis numerantur, boni rationem haberent, Sunt autem alij, qui censeant apparens bonum esse materiam, & quendam quasi campum voluntatis. Sed nos omissa longiore recitatione diuersarum opinionum hanc summam conclusionis teneamus, Bonum esse obiectum voluntatis, quod appetit seu prosequitur, siue verè bonum rectè iudicanti, siue quod videtur bonum erranti. Quemadmodum enim non omnium corporum eadem est affectio, sed aliter

liter constituta sunt corpora hominum sanorum & rectè valentium, aliter corpora ægrotantium: ita magnum discrimen est inter bonos viros, qui virtutis decus suspiciunt & admirantur, & eos qui ad voluptatem omnia referunt. Nam boni viri de omnibus rectè iudicant, & quid in vnoquoque veri insit facilè perspiciunt. At vulgus ignobile nihil expetit nisi voluptatem blandam & vmbratilem, quæ est sensuum ministra & quasi titillatrix quædam & illecebra.

CAPVT V.

Argumentum.

IN HOC *capite disserit Aristoteles de libertate voluntatis humanæ. Cùm autem controuersiæ sæpe illustrentur agitatis contrarijs argumentis, explicat Aristoteles quinq; præcipuas obiectiones, quæ opponuntur sententiæ de libertate voluntatis.*

PRIMA *est. Quicquid est contra naturam, est inuoluntarium. Vitia sunt contra naturam. Ergo vitia sunt inuoluntaria. Respondeo breuiter ad minorem, Vitia sunt contra naturam, scilicet integram, non corruptam. Item sunt contraria menti, non parti appetenti.*

SECVNDA. *Temperamenta trahunt nolentes. Aliqua temperamenta corporum trahunt ad vitia. Ergo ali-*

go aliqui nolentes trahuntur ad vitia. Respondeo ad minorem. Temperamenta inclinant, scilicet vt causæ partiales & remotiores. Nam voluntas est propria & principalis causa actionum moralium.

TERTIA. *Habitus non possunt mox sumi aut deponi. Virtutes & vitia sunt habitus. Ergo non sunt voluntaria. Respondeo. Plus est in conclusione quàm in præmißis. Etsi enim non mox sumi aut deponi possunt: tamen sunt in potestate nostra, & quia actiones, ex quibus oriuntur habitus, sunt simpliciter in potestate nostra, & quia habitus præsentes contrarijs actionibus mutari possunt.*

QVARTA. *Cognitio est causa appetitionis. Cognitio non est libera. Ergo appetitio non est libera. Respondeo ad minorem. Cognitio est alioquo modo in nostra potestate. Potest enim voluntas imperare inquisitionem, & arcere negligentiam affectatam, & vitiosos habitus, qui corrumpunt iudicium.*

QVINTA. *Quilibet appetit finem quem apprehendere potest. Multi non possunt cernere verum finem. Ergo non possunt apprehendere verum finem. Respondet Aristoteles ad minorem per instantiam. Si apprehensio finis in Scipione non impedit, quò minus virtus sit voluntaria, ergo nec apprehensio impediet in Paride, quò minus vitium sit voluntarium.*

TEXTVS.

CVm voluntati propositus sit finis, electioni autem destinata ad finem, quis non

non videat actiones in his verſantes eſſe liberas. Quoniam igitur conſtat, actiones virtutum in illiſipſis lucere ac conſpici, fateamur illud etiam conſtare, virtutes & vitia cum quadam libertate à nobis effici. Vt enim facultate agendi iuſta & honeſta præditi ſumus: ita voluntas liberè & ſine coactione delinquit in vita.

Sed dixerit fortaſſe quiſpiam, neminem ſponte malum eſſe, nec contra voluntatem beatum. Hæc oratio partim vera eſt, partim ab re ipſa atque à veritate diſtat. Quòd enim nemo beatus ſit contra voluntatem, id ita perſpicuum eſt, vt confirmatione non egeat. Quòd autem malicia ſit voluntaria, intelligi poteſt ex ſuperiori diſputatione, in qua diximus, hominem eſſe principium & fontem ſuarum actionum, nec poſſe actiones humanas ad aliam cauſam, niſi ad voluntatem referri.

Huius ſententiæ teſtis eſt, cùm propria cuiuſque experientia, tum vel maximè conſuetudo legiſlatorum, qui & delicta voluntaria puniunt, & honeſtè facta præmijs ornant. Vt enim præmia animos ad virtutis ſtudium inuitant: ſic è regione metus pœnarum multos à ſceleribus deterret. Nemo autem inuitatur ad ea, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, aut certè non ſunt voluntaria. Nam in eiuſ-

modi rebus nihilo plus efficias perſuadendo, quàm ſi ſurdo fabulam narres. Quid, quòd iudices puniunt ignorantiam, ſi quis ſibi cauſa eſt ignorantiæ? vt ebrij peccatum dupliciter puniunt, quia ebrius vltro ſibi accerſiuit ebrietatem, quæ eſt cauſa ignorantiæ. Eadem quoq; ſeueritate animaduertunt in eos, qui id ignorant, quod inquirere & poterant & debebant, videlicet legem, vel officij ſui actiones.

At dicet aliquis, multos adeò de ſua mente & ſanitate deturbatos eſſe, vt officium facere nequeant. Sed nihil eſt quod refutare tam facilè poſsimus. Nam & præcedentes actiones, quæ gignunt habitum vitioſum, ſunt ſimpliciter in poteſtate noſtra, & habitus præſens cōtrarijs actionibus mutari poteſt. Quid tam porrò abſurdum eſt, quàm dicere, quòd iniuſtè agens, nolit ſe iniuſtum eſſe, qui tamen dat operam & ſponte curat, vt fiat talis? Si enim ſciens agit ea, ex quibus iniuſticia oritur, volens iniuſtus erit. Poſtquam autem fuerit iniuſtus, non ſubitò poterit deponere iniuſticiam, etiamſi velit, ſicut nec ægrotus ſtatim conualeſcit ex morbo, præſertim ſi intemperanter viuat & medicis repugnet. Etſi enim initio morbi reſtitui poterat: tamen ingraueſcente morbo difficilis eſt curatio. Quemadmodum enim in noſtra poteſtate eſt

lapi-

lapidem iaculari, ſed eundem reuocare impoſsibile eſt: ita iniuſtus & intemperans poterant initiò non eſſe tales, poſtquam autem tales facti ſunt, non poſſunt ſubitò mutari.

Neque verò animi vitia duntaxat voluntaria ſunt, ſed etiam quidam corporis defectus incurrentes in iuſtam reprehenſionem. Nam deformitates, quæ à natura inſunt, nemo vituperat. Quæ verò oriuntur à negligentia intermittente exercitia meritò vituperantur. Eodem modo iudicari ſolet de imbecillitate, & deformitate, & cuiuſcunq; membri læſione. Nemo enim homini cæcitatem probri vice obijcit, quam vel natura, vel morbus, vel percuſsio conciliauit, ſed omnes potius miſericordia huius calamitatis afficiuntur. Sin autem cæcitas accerſita eſt vinolentia aut alia ſpecie intemperantię, ab omnibus culpatur. Quemadmodum igitur corporis vitia, quæ in noſtra poteſtate ſunt, vituperationem merentur, alia verò nulla reprehenſione digna ſunt, cùm non ſint in noſtra poteſtate: ita etiam animi vitia incurrentia in iuſtam reprehenſionem ſunt in noſtra poteſtate. Si quis autem dicat, Omnes appetunt apparens bonum. Non eſt autem in poteſtate noſtra imaginatio, ſed qualis eſt vnuſquiſque, talem appetit finem. Reſponſio. Verùm ſi vnuſquiſque ſibi aliquo modo

causa est habitus, erit etiam aliquo modo causa imaginationis. Sed si nemo sibi causa est malefaciendi, sed quisque propter ignorantiam finis peccat, existimans sibi melius fore sic agenti, nec appetitio finis voluntaria est, sed oportet sic nasci, vt afferas lumen animi tanquam oculum, quo rectè iudices, & mouearis ad verum bonum eligendum, sitq; felix natura, quæ hanc lucem secum affert, quæ quidem ingens bonum esset, nec ab alio sumi posset, sitque ingenij summa præstantia, hanc præclaram vim innatam habere.

Hæc si sunt vera, cur virtutem magis dicitis voluntariam esse quàm turpitudinem? cùm vtrique bono homini & malo finis pariter propositus sit, vel natura, vel liberè. Media verò referentes ad finem agunt liberè, cùm alius aliter ad finem tendat. Est igitur virtus voluntaria, siue finis non natura cogit, sed in potestate nostra est, & extra nos, siue finis natura cogit, cùm tamen media sponte eligamus. Sic & simili ratione turpitudo voluntaria erit. Similiter enim & malus orditur sua sponte actiones, & finem suum appetit. Cùm ergo concedatur voluntarias esse virtutes (Sumus enim adiutores habituũ, & finem talem ponimus, quales ipsi sumus) concedendum erit eodem modo, vitia esse voluntaria. Habent enim se similiter.

Hacte-

Hactenus de definitione & causis virtutis dictum est. Sequitur vt de singulis speciebus dicamus, ac primùm quidem de fortitudine.

ὑπομνήματα.

Etsi mihi non est propositum intempestiuè miscere Theologicas disputationes doctrinæ Ethicæ: tamen quia sæpe magna certamina de Libero arbitrio mota sunt, breuiter quędam dicta ex scriptis Prosperi recitabo, vt studiosi intelligant, quæ sit vera, simplex & perpetua Ecclesiæ sententia de hac quæstione.

Prosper in Responsionibus ad capitula Gallorum, cap. 8. Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratię Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, Gratiam Dei per Iesum Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam iusticiam nos per actus singulos adiuuare, ita vt sine illa nihil veræ sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipsæ naturæ nostræ autor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hâc homini facultatem,

ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione alióque principio renouari egemus in Chriſto, in quo ſumus noua creatura, nouumq; figmentum, & per quem nobis nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, vt ſimus ex vaſis iræ, vaſa miſericordiæ.

Idem in libro contra Collatorem, cap. 10. Voluntas præparatur à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorũ ipſe tangit corda filiorũ. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vt nec noſtrũ ſentiamus deeſſe arbitrium, & in bonis quibuſq; ac voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.

Item cap. 26. Gratia Dei non inuitum hominem ſubigit, ſed ſubiectionis cupidum facit, nec ignorantem trahit, ſed intelligentem ſequentemque præcedit. Manens enim liberum arbitrium, quod vtiq; cum ipſo homine Deus condidit à vanitatibus & cupiditatibus ſuis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non à ſeipſo, ſed à creatore mutatur, vt quicquid in eo in melius reficitur, nec ſine illo ſit, qui ſanatur, nec niſi ab illo ſit, qui medetur.

Et cap. 38. Profitemur quòd liberum arbitrium naturaliter homini inditum, maneat

in natura, sed qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, qui ipsam voluntatem ab eo, quod peruersè volebat, auertit, & in id quod ei bonum esset, velle conuertit, vt delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, charitate accẽsa, liberalem susciperet seruitutem, & seruilem amitteret libertatem. Et cap. 39. Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo est principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atq; opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donũ perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis. Idem lib. 1. de vocatione gentium, cap. 8. Non fidat homo viribus suis, quæ etiam cùm essent integræ, non steterunt, sed per illum quęrat victoriam, qui solus non est victus, & omnibus vicit. Et si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse, quem quærit. Nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, q̃ nec tunc quidẽ perdidit, quando Diabolo voluntate se dedit, à quo iudiciũ volũtatis deprauatũ est, non ablatũ. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, nõ tollitur per medentem, vulnus sanatur, non natura

remouetur. Sed quod in natura perijt, non restituitur nisi ab autore naturæ. Et lib. 2. de vocatione gentium cap. 26. Siue initia, siue profectus fidelium, siue vsque in finem perseuerantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam virtutis occurrit, quę vel sine dono diuinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Ipsa .n. gratia hoc omni genere medendi atq; auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, primã sibi receptricẽ & famulã donorũ suorũ præparet voluntatẽ. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est.

Cælestinus in epistola pro Prospero & Hilario, cap. 12. Omnium bonorum affectuum atq; operum, & omnium studiorum, omniumq; virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profitemur autorem, & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere, quo vtiq; auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum.

Hæc dicta Prosperi, qui acerrimè defendit doctrinam Ecclesię de gratia Dei contra Pelagianos, primùm refutant hyperbolas, quæ dicunt,

cunt, liberum arbitrium nihil esse, & peccatum esse substantiã, & in regeneratione mutari non qualitates, sed ipsam substantiam hominis. Deinde affirmant efficaciam, qua conuertimur & regeneramur, non esse nostrarum virium, sed solius Dei, & tamen reformabilem esse naturam humanam formatori suo, & eorum bonorum quæ habuit, capacem esse, vt Prosper loquitur cap. 27. contra Collatorem.

CAPVT VI.

Argumentum.

HOC *caput disserit de obiecto fortitudinis, quod est secundum Aristotelem periculum magnum & honestum.*

TEXTVS.

SVpra docuimus, fortitudinem esse mediocritatem, quæ in metu sedando, audaciáque regenda conspicitur. Quemadmodum autem quæ bona sunt, natura appetimus: ita à malis natura declinamus, quia videantur nocitura. Quæ verò nocitura apparent, metuuntur. Est enim [a] timor mali appropinquantis metus,

[a] Timor est metus, quo cor constringitur, tanquam fugiens futurum malum.

ὁμόλογοι) Congruentes ratione magnitudines dicuntur eſſe, antecedentes quidē cum antecedentibus, conſequentes verò cum conſequētibus, vt definit Euclides: ὁμόλογα μεγέθη λέγεται εἶναι τὰ μὲν ἡγούμενα τοῖς ἡγουμένοις. τὰ δὲ ἑπόμενα τοῖς ἑπομένοις. Vt, ſint duo triangula rectangula & æquangula, prius, α β γ. alterum δ ε ζ. Vt igitur α γ ſe habet ad δ ζ, ſic α β ad δ ε. Nam in priori triangulo α γ ſubtendens angulum rectum, ita ſe habet ad α β perpendiculum, ſicut in altero triangulo δ ζ ὑποτείνουσα ad perpendiculum δ ε.

Naturaliter igitur & mala & nocitura omnia metum incutiunt, vt infamia, paupertas, morbus, orbitas, mors.

Neque verò omnium, quæ in malis numerantur, vna eſt ratio. Differunt enim inter ſe, quòd alia honeſtum eſt metuere, quæ niſi metuantur, turpe ac flagitioſum ducimus. Quid enim improbius, quàm famam non vereri? quam qui non vereatur, hic (quòd longiſsimè diſceſsit à fortitudine) impudentiſsimus ſit neceſſe eſt. Dicitur tamen à quibuſdam fortis propter ſimilitudinem, cùm fortitudinis proprium ſit, eſſe impauidum.

Sunt autem alia, quæ minus fortaſſe metuenda ſunt, vt paupertas & morbi, denique omnia quæ ſine noſtra culpa in nos irruunt.

Sed

Sed in his tolerandis pulchritudo virtutis, de qua nunc agimus, nequaquam ſatis elucet. Multos enim videre licet, qui cùm in acie difficillimisq́ue belli periculis pauidi ſint, facultatum iacturam æquo animo ferant. Porrò neque timidos rectè dixeris, qui de filiarum atque vxoris pudicitia vehementer ſolliciti ſunt, quiq́; tum inuidiam populi, tum principum impotentiam fugiunt.

Quæ ſunt igitur illa, in quibus fortitudo ipſa verſetur? An fortaſſe, vt excellentis eſt medici, grauiſsimos morbos letalesq́ue plagas ſanare, ſic etiam fortis viri eſt, in ijs verſari, ſeq́ue inuictum præſtare, quæ maximè omnium formidabilia videantur? Siquidem fortitudinis materia, & quidam quaſi campus, ſunt difficillima quæque pericula, atque illa maximè, quæ mortem videantur allatura, qua nihil ſit omnino terribilius, præſertim cùm hominem ipſum funditus tollere atque extinguere exiſtimetur. Nec verò quocunque in periculo vir fortis conſpicitur, cùm ignauiſsimi etiam nautæ, tamen ferendis procellis aſueti, non perturbentur maris tempeſtatibus, quorum quidem mors an quicquam poteſt habere præclarum? Plebeij quoque homines & in vmbra educati, corporis cruciatus perpetiuntur. Quamobrem fortis vir, quiq́ue planè dicendus eſt

vir, ex

vir, ex morte, quæ quidem futura ſit multò pulcherrima, decus illud adipiſci contendet, cuius eſt quàm maximè ſtudioſus, quo vt potiatur, difficillima quæq; pericula ſponte adibit, in quibus peruincendis, aut ſi hoc minus contigerit, in oppetenda morte, laudemque & decus collocatum intelligit. Etſi autem fortis vir in rebus omnibus, in quibus munere ſuo fungi poteſt, officiumque cum dignitate facere, & in quibus mori pulchrum fuerit, inuictum ſeſe atque impauidum præſtabit: tamen in ijs maximè, quæ in acie, difficillimisque belli periculis pugnando contingunt, quæque etiam mortem nobiliſsimam repente allatura videantur.

Quantis verò laudibus, quantaque gloria fortium virorum obitus ſunt proſequendi, illud planè docet, quòd florentiſsimæ vrbes, populique bene inſtituti, reges item ijs, qui in bello, in maximis Reipublicæ periculis, mortem oppetiſſent, ſtatuas ponere, honores quã maximos habere, etiam inter diuos referre conſueuerunt. Ac de ea morte, in qua viri fortis magnitudo eluceſcit, hæc nunc dixiſſe ſufficiat.

ὑπομνήματα.

DE FORTITVDINE.

Etsi de nullius virtutis dignitate quicquam decerpo, ſed omnes potius amandas & colen-

colendas esse iudico: tamen non dubitans confirmare possum, omnium virtutum (pietatem & iusticiam semper excipio) longè pulcherrimam esse maximeque necessariam celsitudinem animi, quæ pro lege & pro grege dimicans, nō cedit periculis, sicut scopuli non cedunt ventis aut fluctibus in mari.

Constat enim priscis temporibus fortitudinē tanto in precio fuisse, vt in quibus maior videretur, eos & heroas vocarent, & semideos venerarentur. Hinc Hercules cœlum meruit, hinc quæcunque in orbe terrarum præclara essent atque admirabilia, ad Herculem à posteris relata sunt. Et Romani, licet virtutum essent omnium mirificè studiosi, tamen vt qui iudicarent hominis excellentiam in fortitudine maximè esse positam, virtutem eam agnominarunt. Quod AEneæ quoq; ad Ascanium verba declarant apud Vergilium,

Disce puer virtutem ex me verumq; laborem,
Fortunam ex alijs.

Nam hæc virtus versatur in magnis periculis, & honesta propter sese amplectitur atq; defendit, etiamsi nec præmia respondent, & magni cruciatus perferendi sunt.

Quòd si minus quidem intelligitur, quantum decus sit fortitudo, ex dicto Psalmi percipi potest. Comparat enim psalmus viros heroicos sagittis contortis valida manu, quæ feriunt

riunt omnia, & prosternunt quæ petunt. An non Alexander, & Cæsar, vt sagitta ingenti impetu contorta volitant per orbem terrarum? Omnia eis cedunt, omnia prona sunt. Addit etiam Psalmus insigne epiphonema, Beatas esse Respublicas, quibus tales sagittæ præsunt, quales fuerunt Dauid, Alexander, Scipio, & similes heroici viri. Sed nulla oratio pulchritudinem huius virtutis enarrare potest. Dicam igitur quàm necessaria sit, & quantas res efficiat.

Necesſitatem hæc demonstratio aperit & patefacit. Sicut necessaria est hominum societati iustitia, ita necessaria est eius ꝓpugnatio. Vbi enim nulla est executio, ibi frustra dicuntur iustæ sententiæ, vt monet Apologus Antisthenis, quem recitat Aristoteles in tertio Politicorum. Vt enim lepores, cùm leonibus iura daturi essent, dilaniati sunt: ita iusta oratio, cui deest propugnatio, facilè ab improbis deridetur. Ac dictum illud AEschinis adeò probatum est, vt Demosthenes in suam quandam orationem transtulerit, Nihil valere ciuitatem, quæ neruos non habet aduersus improbos. Est autem fortitudo propugnatrix iusticiæ. Quare non dubium est eam necessariam esse. Quid, quòd nulla virtus sine excelsa quadam constantia in tantis vitæ periculis & difficultatibus retineri potest? Itaque non imme-

immeritò conſtantia omnium virtutum domicilium à philoſophis appellatur.

Videamus nunc quanta ſit huius virtutis efficacia, & quantas commoditates vitæ humanæ afferat. Res ipſa oſtendit, virtute virorum fortium reprimi latrocinia & alias peſtes, quæ pacem & tranquillitatem Reip. perturbant, defendi hortulos cœleſtes, hoc eſt, Eccleſias & ſcholas, conſeruari ordinem legum, iudiciorum & diſciplinæ, denique tegi coniuges & liberos. Sic Dauid maxima & difficillima bella geſsit cum Syris, Palæſtinis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & reliquis hoſtibus populi Dei, vt pueri & puellę in templo & in ſcholis diſcerent literas, legerent Moyſen, audirent interpretes legis & promiſsionum, in quibus ſe Deus patefecerat. Armis virorum fortium cœtus illi in templo & in ſcholis tegebantur, ne notitia Dei inter homines penitus extingueretur.

Etſi autem pauci bellatores ad hanc metam tendunt: tamen in Eccleſia omnes pij illum optimum finem proſpicere debent, conſtituendas eſſe & muniendas ac tegendas politias, vt in eis notitia Dei propagetur.

Agè verò ne ſemper de bellica fortitudine dicamus, quis ignorat magnum decus eſſe togatæ ſeu domeſticæ fortitudinis, quæ in ærumnis lucet? Neceſſe eſt enim diſcere & profi-

teri

teri veram doctrinam à Deo traditam, etiamsi contemtus & odia potentum, paupertas & interdum atrocia supplicia id studium comitantur. Sit sanè Scipio clarus, qui Annibalem vicit, ornetur eximia laude Africanus, qui Carthaginem & Numantiam deleuit, habeatur vir egregius L. Paulus victor Persei, sit in æterna gloria Marius, anteponatur omnibus Pompeius. Maior profectò laus debetur Babylæ episcopo Antiocheno, qui iam octogesimum annum egressus, non solùm spectator fuit necis filiorum, sed etiam confirmauit eos in agone, & tandem ipse trucidatus est propter confessionem Euangelij.

Spero ex his, quæ dixi, non obscurum esse, quantum veræ dignitatis sit in fortitudine, & quàm necessaria sit hæc virtus in Ecclesia & Repub. imò & in singulis familijs. Deinceps igitur methodicam explicationem fortitudinis proponam, quæ aliquid lucis afferet disputationi Aristotelicæ.

DEFINITIO.

Fortitudo est firmitas cordis, quæ ratione regitur, & retinet firmas sententias, & in defensione veritatis & iusticiæ præliari potest, & perfert aduersa sine turpitudine, ne quid fiat contra aliquam virtutem, & habet adiumenta vel heroica dona, vel in his qui Deum rectè inuo-

inuocant Spiritum ſanctum, quo & agnoſcitur Deus, & refertur obedientia ad gloriã Dei.

DIVISIO.

Duplex eſt fortitudo, Bellica, & Togata ſeu domeſtica. Bellica eſt impetus, quem tamen moderatur ratio, ad depellendos hoſtes. Togata eſt conſtantia in propoſito honeſto, iuxta vocationem rectè ſuſcepto, qua confirmatus animus vel depellit, vel placidè perfert iniurias, nec abijcit propoſitum honeſtum propter ingratitudinem, odia, paupertatem, & alia impedimenta. Has deſcriptiones illuſtrant exempla, quæ in poëmatis & hiſtorijs recitantur.

Bellicæ fortitudinis exemplum illuſtre à Vergilio proponitur, cùm inquit,

Heu pietas, heu priſca fides, inuictaq; bello
Dextera, non illi quiſquam ſe impunè tuliſſet
Obuius armato, ſeu cùm pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.

Horatius Cocles in ſumma Reip. calamitate, in maximo euidentiſsimoq; populi Romani periculo, vrgente grauiſsimo hoſte, pro ſalute publica, cæteris etiam fugam capeſſentibus, ſolus ipſe ſe hoſtibus obiecit. At quo animo? Vt dum pons reſcinderetur, hoſtis impetũ detineret, interim pugnando, non quod deſperantium eſt, vitam contemneret, ſed ſimul, & hoſtem feriret, & corpus ſuum, in quo ſalutem

patriæ poſitam ſentiebat, tueretur, non tamen vt mori pro communi ſalute recuſaret. Atque vbi pontē reſciſſum intellexit, non arma proiecit, quibus hoſtes potirentur, non ſeipſum in tanta ruina deſeruit, ſed natabundus ad ſuos ſaluis armis redijt. Cuius pulcherrimum facinus non ciuium modò, ſed etiam inimicorum animos admiratione impleuit.

Fortitudinis togatæ exempla ſuppeditant Themiſtocles, Scipio, Fabius, & multi martyres in Eccleſia. Themiſtoclem conſeruatorem patriæ, vt ait Cicero pro Seſtio, non deterruit à Rep. defendenda, nec Miltiadis calamitas, qui illam ciuitatem paulò antè ſeruarat, nec Ariſtidis fuga, qui vnus omnium iuſtiſsimus fuiſſe traditur.

Romæ Scipionem optimè meritum de patria inuidi ciues aliqui allatrabant, quibus ille ex vrbe cedere maluit, quàm excitare maiores tumultus vehementius concertando.

Sic Fabium Maximum neq; periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit vnquam de ſuo curſu aut ſpe, aut metu dimouere.

Extat in ſecundo Maccabæorum narratio de ſeptem fratribus, qui exquiſitis tormentorum modis excruciati, tamen conſtantiam in profeſsione legis diuinæ præſtiterunt.

Quod autem de Hercule parante ſe in pyram conijcere Tragœdiæ dicunt, hoc multò verius

verius de Polycarpo, Laurentio & alijs martyribus dici potest,

Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? Quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitum tulit
Vultus petentis astra, non ignes erant.

Causæ fortitudinis bellicæ.

In philosophia tres causæ huius virtutis recensentur, quarum prima est mens iudicans quantum decus sit pro patria vitã profundere, vt de Leonida & trecentis Spartanis, qui in Thermopylis occiderunt, Simonides scripsit:

Dic hospes Spartæ, nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Secunda causa est voluntas ardens amore huius virtutis, quæ est propugnatrix veritatis & iusticiæ. Sic de AEacidis Hesiod⁹ cecinit, AEacidæ bello magis quàm conuiuio gaudebant. Tertia est in corde, singulare robur, quod non facilè frangitur præsentibus terroribus. In Ecclesia hæ causæ adduntur. Prima Spiritus sanctus, qui confirmat corda contra metum in periculis. Altera, mandatũ Dei, præcipiens defensionem veræ doctrinæ. Cum hac causa congruit formula iuramenti Attici, in qua recitatur honestissima sententia, & haud dubiè à primis & verè pijs patribus per manus tradita, Pugnabo ꝑ sacris, & solus, & simul cũ alijs.

Tertia causa est promisſio auxilij diuini, vt Pſalmo 20. dicitur, Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri triumphabimus.

His cauſis conſideratis, iudicari poteſt, quid interſit inter Alexandrum & Dauidem, inter Scipioné & Maccabæum. Etſi enim Alexander & Scipio fuerunt magni viri & vtiles patriæ: tamen longè fuiſſent præſtantiores, ſi in illis tantis rebus gerendis Deum inuocaſſent, & ſenſiſſent adeſſe ducem & gubernatoré tantorum certaminum, ac victorias contuliſſent ad propagandam doctrinã de Deo, de Dei inuocatione, de vita æterna. Quid enim attinet vincere, ſi pacé tantùm luxus, libidines, auaritia, ſuperbia, comitentur? Iure igitur anteferimus his bellatoribus noſtros, Dauidem, Maccabæum & ſimiles, qui in ipſis prælijs Deum inuocabant, & religionis veræ tuendæ cauſa dimicabant.

Cauſæ efficientes togatæ fortitudinis.

Mens iudicans non diſcedendũ eſſe in omni vita à recta conſcientia, etiamſi corporis & rerum incommoda perferenda ſunt, & voluntas recto iudicio obtemperãs, ac honeſta propter ſeſe amplectens, & conſtantia cordis non tantùm ferentis, ſed etiã perferentis ęrumnas. Vt M. Attilius Regulus mauult ad exquiſita tormenta redire, quàm religionem iuriſiu-

randi violare. Sic prophetæ & alij ſancti anteferunt confeſsionem Euangelij ſuæ vitæ.

Obiecta vtriuſq; fortitudinis.

Materia circa quam, ſeu obiectũ circa quod verſatur vtraque fortitudo, eſt periculum magnum & honeſtum. Vt enim vita bellatorum omnibus telis hoſtium propoſita eſt: ita domeſtica gubernatio plena eſt periculorum & miſeriarum. Nunquã enim bella bonis, nunquam diſcrimina deſunt, Et cum quo certet mens pia ſemper habet: vt præclarè ſcripſit Proſper in Epigrammatis.

Formale vtriuſq; fortitudinis.

Formale bellicæ fortitudinis eſt heroicus impetus ad depellendos hoſtes, vt cùm Scanderbego pugnaturo erupit ſanguis ex labris. Et Polybius lib. 5. citat de AEacidis Heſiodi verſum, qui imaginem heroicorum bellatorum proponit: AEacidæ bello magis quàm conuiuio gaudebant. Cùm enim ſint in animis heroicis acerrimi ad virtutem ſtimuli, nõ voluptatibus vllis magis delectantur, quàm ipſa virtute. Quare ingenti impetu rapiuntur ad res præclaras gerendas, non conuiuijs, non amoribus, non ſegnitia reuocantur à rebus neceſſarijs.

Formale togatæ fortitudinis eſt moderatio doloris, perferens aduerſa ſine deformitate, id

eſt, ne quid fiat contra alias virtutes, vt Belliſarius ille toties dux ac victor, tandem iuſſu Imperatoris cæcatus, & quidem ob inuidiam, quæ res eò duriorem efficere cæcitatem poterant, frequenti in via tuguriolum ſibi ſtatuit, vbi vitam degat, victum mendicans à prætereuntibus, cuius ea patientia fuit, vt non aliter queſtus fuerit, quàm vt diceret, Viator da obolum Belliſario, quem virtus extulit, cæcauit inuidia.

Fines ſeu effectus vtriuſq; fortitudinis.

Fortitudinis bellicæ effectus illuſtri oratione pinguntur apud Homerum Iliad. 10. vbi Hector his verbis milites adhortatur:

Res eſt pulcherrima mortem
Pro patria oppetere, & ſaluos præſtare penates,
Coniugia, infantes, patriam, dulcesq́; parentes,
Morte ſua.

Narrant regem Hiſpanicum Alfonſum vſitato more principum, ſuo quodam ſymbolo delectatum eſſe. Paſsim enim pinxit Pelecanũ, fodientem roſtro pectus, & elicientem ſanguinem ad pullos paſcendos. Huic picturæ addidit epigramma, Pro lege & pro grege, ſignificans principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ cauſa, & pro populi defenſione.

Fortitudinis togatæ finis eſt, vt honeſtum

vitæ

vitæ propositum retineatur propter religionis conseruationem & propagationem, & propter tranquillitatem patriæ bene moratæ beneq́; constitutæ. De hoc fine Psalmus inquit, Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te, Propter domum Domini Dei nostri quæram bona tibi, id est, Omnia mea consilia & labores, quos in gubernatione sustineo, ad illustrandam Dei gloriam, & ad Ecclesiam iuuandam & tutandam confero.

COGNATA.

Aristoteles recenset quinq; gradus similes fortitudini, de quibus in textu dicemus. Nos cognatas virtutes agnoscere & intelligere discamus, vt aliquo modo ad earum studium nos assuefaciamus. Sunt autem cognatæ virtutes Patientia philosophica, & Patientia Christiana.

Patientia philosophica est virtus, quæ obedit rationi in perferendis aduersis propter honestam causam, nec frangitur dolore, vt contra iusticiam & alias virtutes faciat, vt Scipio perfert iniurias Tribunorum, ne patriam bello ciuili implicet.

Patientia Christiana est obedire Deo in perferendis aduersis quę iubet ferre, ne contra iustitiam faciamus, hoc est, ne irascamur Deo, aut alijs modis contra iustitiam faciamus, sed

moderemur dolorem agnitione voluntatis Dei & ſpe auxilij diuini. Talis eſt tolerantia Dauidis in exilio.

CONTRARIA.

Cum fortitudine bellica pugnant ſimulatio fortitudinis, qualis eſt in milite glorioſo, quē Plautus ſic loquentē inducit: Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior, quā Solis radij eſſe olim cum ſudum eſt, ſolent, vt vbi vſus veniat, contra conſerta manu præſtringat aciem oculorum in acie hoſtium. Hic qui tam multa magnaque videri vult promittere, vbi in conſpectum aduerſarij venit, vt ſtatim ſeſe perijſſe dicit? ac deprecabundus vapulat, vincitur, tandemque exolutus habere ſe gratiam dixit.

Item audacia accerſens pericula non neceſſaria, & non depellens ea recta ratione. Item timiditas deſerens eos quibus debetur defenſio, vt milites ad Coronæam in Bęotia fugientes initio prælij, vrbanas copias deſertas hoſti trucidandas obiecerunt.

Fortitudini togatæ aduerſatur leuitas & inconſtantia, quæ aliud ſedens, aliud ſtans de religione & de Republica ſentit, & modò harum, modò illarum partium eſt, neq; in hac, neq; in illa parte fidem habet. Item pertinacia iniuſta, qualis fuit in Catone.

Hæc

Hæc quæ nos breuiter de fortitudine diximus, copiosè ac ſplendidè explicantur à Cicerone in primo Officiorum, & à Iouiano Pontano in duobus libris de Fortitudine.

CAPVT VII.

Argumentum.

INITIO *huius capitis diſcernit Ariſtoteles gradus obiectorum, circa quæ pauor verſatur. Alia enim longè ſuperant vires humanas, vt terræ motus, alia ſunt eiuſmodi, vt virum fortem nequaquam de gradu deijciant. Deinde extrema fortitudinis, videlicet timorem & audaciam recenſet. In fine conſtituit fortitudinis definitionem.*

TEXTVS.

VIdeamus, ſi placet, cuiuſmodi ſint illa, quæ terribilia dicũtur. Alia igitur omnino captum hominis exuperant, quibus nec vires noſtræ pares ſunt, nec vllus humanæ prudentiæ rationiq; vel tolerandis illis, vel peruincendis locus relinquitur. Quæ quidem timere nec degenerantis eſt animi, cùm nihil inde laudis decoriſq; comparari, nec turpitudinis infamiæq;, ſi vt par eſt timeantur, quando cuiq; ſanę mentis æquè ſunt extimeſcenda.

Alia verò concutere quidem animos ſolent, non tamen vt aut tolerandis ipſis humana virtus ſatis non ſit, aut acrius ingruentibus parum conſtanter reſiſtere valeat, quorum ratio hæc eſt, vt tum magis quàm oportet, tum minus quàm opus eſt, aut etiam quantum oportet, timeri vſu veniat. Idem quoque de ijs dicendum, quæ nouo nomine fortaſſe audacius, placet tamen fiducialia dicere. Timebit igitur vir fortis illa, ac hominem ſe eſſe meminerit, verùm vt decet & quàm opus eſt. Etenim à modo menſuraque minimè recedet, naturamq; ita ſequetur, quæ hunc metuendi affectum mortalibus non fruſtra dedit, vt rationem non abijciat, qua eum moderetur. Idem quoque quæ dura ceciderint, tolerabit, feretq; acerba, eadem hac ratione & duce & comite. Atq; hæc quidem honeſti & pulchri gratia, quod virtus hæc vbique reſpicit, & aſſequi nititur. Inſpiciendũ etiam non modò vt menſura adhibeatur, ſed ea adhibita loci quoq; habeatur ac temporis ratio, videndumq; quamobrẽ, & cuius gratia.

In quo primùm peccari ſolet, quòd nonnunquam etiam illa metuuntur, quæ nullo modo ſint metuenda. Deinde erratur, quòd tametſi timeri quædam oporteat, timentur illa quidẽ, aut non perinde vt oportet, aut vbi minimè opus eſt, denique non quam ob cauſam

ſam timeri debeant. Hæc enim, & quæ ſunt eiuſdem generis, circumſpicienda ſunt forti, in quibus qui labitur, is ex arce fortitudinis neceſſe eſt corruat.

Idem quoque aſperis atq; periculoſis rebus tolerandis delectus adhibendus eſt, ſiquidem & temporis & loci ratio habenda eſt, retinendus etiam modus, nec toleranda ſunt quæ forti viro aut parum conueniant, aut certè eum dedeceant. Atq; vt fortem ipſum tanquam ſuis lineamentis inumbremus, qui quæ oportet, & quàm oportet, & cuius etiam rei gratia, & quando etiam oportet, tolerat atque perpetitur, quiq; item, vt par eſt, & metuit, & cõfidit, agitq; pro dignitate, atque vt ratio recta præcipit, is eſt quem quærimus fortem, cuius tolerantia atq; perpeſsio, actio item atque aggreſsio, ſuſcepta eſt honeſti & pulchri gratia, quando actionis cuiuſq; finis eſt ad habitum referendus, vt viro forti fortitudo ipſa honeſtum ac pulchrum eſt.

Cùm autem & metuere virum fortem & confidere, ac medium in vtroque retinere, vt dictum eſt, oporteat, deinceps quærendum eſt, & qui ſint, & quo etiam nomine appellentur, qui tum in hoc, tum in illo medium deſerunt, & tanquam in præceps relicta ratione rapiuntur. Nec verò in eo ſolùm peccatur, quòd quidam nimis multa fiducia in ijs, quæ

terri-

terribilia ſunt, vtuntur, ſed quòd metum ipſum, qui homini naturalis eſt, omni è parte abijciunt. Et hi quidem vix nomen habent, res tamen ipſa intelligitur. Omnem profectò metum exuiſſe, hominis eſt aut parum ſanæ mentis, aut prorſus ſtupidi atque obtorpeſcẽtis. Quis enim niſi demens atque in furorem actus, aut non rationis modò, ſed penè ſenſuum ipſorum expers factus, diluuiones non horreat, motuſque terrarum atque incendia? Hæc igitur taliaq; non metuere, videtur magis non ſentientis cuiuſpiam aut inſani hominis, quàm ſenſu rationeque bene vtentis eſſe.

τοὺς Κελτοὺς) Celtæ κατ' ἐξοχὴν dicuntur Galli, Strabo lib. 4.

Qui verò nimis extimeſcit, eum timidum ac meticuloſum dicimus, qui nec in eo ſolùm peccat, quòd etiam non metuenda metuat, ſed quòd ea quæ timenda ſunt, nequaquam vt oportet timeat. Quæ res efficit, vt quàm hìc à metu vincitur, tam illic à fiducia deſeratur, nec ſolùm viribus defectus, verùm etiam ſpe deſtitutus, ſiquidem cuncta nimiùm formidantem neceſſe eſt ſpe quoque deſtitui. Atque vt timidi eſt, tum quæ metuenda non ſunt metuere, tum in ijs quæ metu digna videantur, à modo viaque recedere: ſic duplex peccatum eſt eius, qui nimis etiam confidit.

θρασύ-

θρασύδειλοι) θρασύδειλος dicitur reipſa timidus, & tamen ſimulans audaciam, vt Agamemnō, de quo dicit Achilles Ιλ.α. οἰναβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. Et Paris Ιλ. γ. cùm prouocaſſet Menelaum ad monomachiam, paulò pòſt pugnam detrectat. De talibus inquit Sophocles, κακοὶ ὄντες πρὸς αἰχμὴν, ἐν δὲ τοῖς λόγοις θρασεῖς, Ignaui ſunt in pugna, at verbis perquam audaces.

Nam è nimia fiducia & aggreditur, quæ aggredienda nullo modo ſint, & poſtquam eſt aggreſſus, viribus animóque ita deficit, vt quantum antea rectam fidendi atq; aggrediendi regulam prætergrediebatur, tantùm pòſt & fortaſſe vehementius ſuperetur à metu. Itaque & confunditur & conſternatur, & ab incepto ignauiter deſiſtit. Ad hæc ante congreſſum nimis etiam feſtinat & calet, & tanquam rapitur ac geſtit. Pòſt in ipſo periculo poſitus, hæret, hebetatur, tabeſcit, friget, metu tela decidunt. Quare & arrogans idem hic eſſe ſolet, ſiquidem plura ſibi quàm ſuus captus eſt arrogat, & glorioſus ſimulatorque virtutis eſt, quando quod aſſequi nullo modo poteſt, fortis vult videri.

Quocirca cùm & timidi & audaces & fortes in iiſdem, vt dictum eſt, verſentur, & illi quidem nimium aut timendo aut confidendo à recta ratione longius abeant, fortes profectò,

fectò, quod eſt inter vtroſque medium retinebunt.

Quare non modò quæ ferenda ſunt, & cuius oportet gratia, & quando etiam oportet, eorum perpeſſores erunt, nec tantùm vt par eſt metuent atque confident, agentq; pro dignitate, atque vt ratio recta docuerit, verùm etiam bene recteq; ſperabunt, ac nullo modo confundentur. Atque vt ante congreſſum [a] ſedatiores ſunt, ſic in ipſis congreßionibus planè impigri atque alacres erunt.

[a] Herodotus in Polymnia eum virũ eſſe præſtantißimum dicit, qui inter cogitãdũ & deliberandũ timidus ſit, colligens omnia mala, quæ euenire poſſe videantur, in agendo verò confidentem ſeſe præbeat. ἀνὴρ δὲ οὕτω ἂν εἴη ἄριστος, εἰ βουλευόμενος μὲν ἀρρωδέοι πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα, ἐν δὲ τῷ ἔργῳ θρασὺς εἴη. Et apud Thucydidem dicitur, oportere eſſe amantem tranquillitatis, & tunc cùm neceſſe eſt aliquid gerere, acrem, non turbulentum in mouendo, & in agendo ſegnem.

Vt autem habitus ipſe qui ſit, planè intelligatur, placet fortitudinem ipſam definire, quæ profectò mediocritas quædam eſt, in ijs periculis obeundis, rebusque periculoſis aut peruincendis aut perferendis, quæ mortem allatura etiam repente videri poſſunt.

Cæterùm illud non ad fortitudinem, ſed ad timiditatem potius referendum eſt, ſi quis [b] mor-

[b] mortem ſibi conſciſcat, quo moleſtijs ac laborib. defungatur. Eſt enim mollis atq; imbecillis animi, laborioſa ac moleſta vitare velle, quodque pulchrũ eſt toleratu, nõ tantùm nolle perpeti, verùm q, laborioſum eſſe appareat, ꝓrſus recuſare, & ſponte etiam fugere.

[b] Cicero in Sõnio Scipionis: Non eſt iniuſſu Dei ex hominũ vita migrandum, ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamur. Idem in Catone: Vetat etiam Pythagoras iniuſſu imperatoris, id eſt, Dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere. Et Lactantius lib. 3. cap. 17. Sicut in hanc vitam nõ noſtra ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſsignatũ eſt, eiuſdem iuſſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habitaturos, donec iubeat emitti.

CAPVT VIII.

Argumentum.

IN HOC *capite Ariſtoteles quinq; gradus ſimiles fortitudini recenſet, quorum Primus eſt Fortitudo politica ſeu domeſtica, Secundus Experientia, Tertius Iracundia, Quartus Spes, Quintus Ignorantia.*

TEXTVS.

SVnt autem quinque gradus ſimiles fortitudini. Primus eſt politica fortitudo, quæ

quæ proximè ad bellicam accedit. Nam ciues libenter adeunt pericula, tolerantq́;, quæ grauia & acerba videantur, quòd intelligant fortiſsimos quoſque à ciuibus maximè[a] honorari, & in precio eſſe, ignauiſsimos verò iacere & contemni.

DE APPETITIONE GLORIAE.

[a] Rectè in tragœdia vituperatur princeps non appetens gloriam. Sic enim deſcribitur, Leuis eſt, nec illum gloriæ ſtimulat decus. Nam gloria eſt res bona, neceſſaria, & appetenda, quia eſt verum de virtute iudicium, quod non poteſt appeti, niſi ſimul virtutẽ magna cura tueamur. Eſt autem gloria teſtimonium bonę conſcientię rectè iudicantis, & approbatio aliorum rectè iudicantium, quæ ei cui tribuitur, honeſtum locum præbet in hac ciuili ſocietate, in qua Deus vult virtutem honore affici, & flagitia improbari & puniri. Huius definitionis fontes ſunt dicta Pauli 2. Cor. 1. Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd ſimpliciter & candidè in hoc mundo verſati ſumus. Et Gal. 6. Suum opus quiſque exploret, & tunc in ſeipſo gloriam habebit, & non ex alio. Suæ vocationis officia rectè faciat, & ea diligenter conſideret, ac ſi diligẽter & fideliter ea fecerit, habebit bonam conſcientiam, & ornabitur teſtimonijs aliorum rectè iudicantium. Quòd verò addit, Non ex alio, prohibet pendere ex applauſu non rectè iudicantium, prohibet item quærere gloriam obtrectatione aliorum. In hanc ſententiam Cicero inquit pro Roſcio Amerino: Is mihi videtur ampliſ-

amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem. Et contra Pisonem: Vt leuitatis est inanem aucupari rumorẽ, & omnes vmbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic leuis est animi lucem splendoremq́ue fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Huc adiungatur & Pindari dictum, quod extat in Oda sexta Olympiorum: Colentes virtutem fiunt clari, suaq́ue facta singulos ostendunt. Momus verò ex alijs maleuolis pendens petit Olympicos victores, quibus veneranda gratia decus aspergit.

Et hi quidem cùm de conseruando nomine autoritateque solliciti sint, cùm patrias leges, improbamque de se populi opinionem cum primis vereantur, cùm denique honestatem sequantur, siquidem honesti ipsius, id est, honoris gratia labores publicaque munera suscipiunt, ad fortitudinem propius videntur accedere. In eo tamen peccant, quòd non aut tolerant honesta, aut aggrediuntur periculosa, vt fortiter agant, sed id metuunt, ne si cessérint, ex declinatione & fuga sequatur infamia.

πολυδάμας) Versus pronunciatus ab Hectore, cùm secum cogitaret ignominiã, quam subiret, si pugnam cum Achille detrectasset. Maximè enim veretur ille Polydamantem hunc fratrem suum sapientissimum & optimum virum, qui vt rediret cum exercitu intra vrbem, consi-

lium ei dederat, cui cùm non paruiſſet, reprehenſionem illius ſe ſuſtinere non poſſe iudicat, niſi forti animo cum Achille pugnarit.

ἐν κορώνῃ) Euſtratius citat veteres hiſtoricos, qui narrant hanc pugnam factam eſſe in bello ſacro, ac milites fugientes initio prælij, vrbanas copias deſertas hoſti trucidandas obieciſſe.

ὁ θάνατος τῆς τοιαύτης σωτηρίας αἱρετώτερος) Demoſt. περὶ στεφάνου: Cùm omnibus hominibus diuinitus propoſita ſit meta vitæ, quam nemo tranſire poteſt, etiamſi ſe in caueam includat: ideo vnaquæque ciuitas publicè & pro ſe quiſq; priuatim in omnibus conſultationibus, & tota vita, honeſtatem reſpicere debet, ac dummodo illam ſequatur, ferre quicquid Deus dederit.

Quamobrem non id primùm agunt, vt rectè faciant, atque vt rectè agendo decus adipiſcantur, verùm vt infamiam fugiant, & vitent accuſationes ac vulgi rumores, & opprobria. In eo igitur à viris fortibus maximè differunt, quòd cùm ipſi ciuiles tantùm honores & appetant & quærant, ſatis habent infamiam defugiſſe, cùm illorum animi in ſola decoris comparatione conquieſcant, & ita quidem infamiam & turpitudinem fugiant, vt qui decori aſſequendo tantummodo intenti ſint. Ad hæc noſter hic fortis turpitudinem propter ſe vitat, quam ille ad malam de ſe opinionem refert autoritatiſque iacturam. Quamobrem quòd labores adit ac pericula, & quidem

dem pudoris atque honeſti gratia, ciuilis quędam appellata eſt fortitudo, tametſi vt oſtenſum eſt, à vera perfectaq; fortitudine multum diſtet.

Secundus gradus eſt experientia. In hoc gradu collocandi ſunt milites, qui ex diuturna laborum perpeſsione, tum quæ alijs aſpera videntur, tolerant, tum quòd in periculis verſati diutius, plura contemnunt, quæ bellicæ rei imperitos terrent. Ijdem quia nouerunt, qua ratione ictus aduerſarij declinari queant, quomodo etiam petendus hoſtis ſit, nonnunquam armatis inermes occurrunt. Ex quo fit vt fortes videantur. Sed cùm exercitatione peritiaque rei bellicæ freti, magis quàm virtute ipſa rem gerant, aut vbi acrius hoſtis ingruerit, aut vbi locus iniquior fuerit, proiectis armis vertantur in fugam, pugnaces potiꝰ quàm fortes videri iure poſſunt.

Tertius gradus ſimilis fortitudini eſt, pugnacitas orta ex ira vel dolore. Quanta autem vis ſit horum affectuum, poëta declarat, cùm ait, *dolor iraq́; mentem præcipitant*: ſiquidem doloris atque iræ ſtimulis agitati perinde vt cæci in pericula feruntur. Quanquam ira ipſa, quatenus rationi obſequitur, & mouet animos præclaras ad res ſuſcipiendas, & tanquam ignes quoſdam exuſcitat, eſt etiam laudanda, neq; enim fruſtra homini à natura

ineſt. Sed vbi vehementior fuerit, vbi contempto rationis imperio, amens atq; in furorem acta deſæuit, tum quid habet, quod accuſari iure non debeat?

κἀν οἱ ὄνοι ἀνδρεῖοι) Homer. Iliad. XI.

Sicut vbi ingreſſum pueri ſata læta molarem
Fuſtibus exercent aſinum, ſic tergora bruti
Cædentes, vt flagra etiam robúrve fatigent,
Nec minus hoc, agrum depaſcere pergit aſellus
Contemtis iuuenum vi, robore, verbere, plagis,
Nec prius eijcitur, quàm pabula plurima paſtus
Ventre domum redeat pleno: ſic maximus Aiax
Virtutis memor ipſe ſuæ, conuerſus ab acri
Inſtantes curſu cohibebat, &c.

Eſt autem ira vlciſcendi cupiditas quædam, vel libido puniendi eius, qui videatur læſiſſe iniuria. Qui verò reponendæ vindictæ dat operam, is vtpote læſus dolet. Eſt itaque etiam iræ comes dolor, qui & ipſe vlciſci cupiat. Vbi verò vltus quis eſt, tum ſedata ira doloreque compreſſo, voluptatem ex vindicta capit, atq; eò maiorem, quò acerbior vindicta fuit. At fortes honeſtatem expetunt ac decus, non vlciſcendi cupiditatem, per quam ad feritatem delabantur, ſequunturque non motus inordinatos ac violentos, ſed rectam rationem, quæque ab ea proficiſcuntur recta honeſtaque conſilia. Quamobrem feritas hæc quidem magis, quàm fortitudo videri

poteſt,

potest, siquidem feræ vbi vulneratæ telum sensere, dolore rabieq; præcipites in percussores feruntur. Sed quoniam, vt iam vigor quidam animo subministratur, qui [b] alacritatem gignit illam, in qua non parum est ad res arduas aggrediendas easdemq; superandas momenti, videndũ est forti, quousque sit irascendũ, & quam etiã ob causam, ne rationis præteriens regulã modum relinquat, quo relicto, non est cur laudare iram rectè possis, à qua ferarum more rapiamur.

[b] Seneca lib. 1. de ira: Ira, inquit, necessaria est, nec quicquã sine illa expugnari potest, nisi illa impleat animum, & spiritus accẽdat. Vtendum autem illa est, non vt duce, sed vt milite. Et Cicero inquit in 4. Tuscul. Ira est cos fortitudinis.

Quartus gradus est animositas, vt sic dicam, quam præteritæ victoriæ, ac feliciter sæpius tentata pericula afferunt. Sunt enim qui præteritis victorijs confisi periculum adeant, cùm sperent nullis interim perpetiendis acerbis, se superiores euasuros; qui mihi haud quaquam temulentis multùm dissimiles videntur, quibus ex vino nihil est confidentius. Etenim temulentia plena est animorum & spei. Hi igitur cùm omnia prosperè sibi cessura sperent, hac spe fiduciaque congressi, vbi secus quid accidit, statim incepta deserunt,

necreputant quàm ſit turpe terga dediſſe. Iudicant enim præſtabilius eſſe ignauiter fugiendo vitam tueri, quàm fortiter repugnando egregiè cadere.

Repentina quoque & inopinata, vel cum primis viri fortis magnitudinem oſtendunt, in quibus eò maior cernitur, quòd illis ſeſe inuehentibus, non ſolùm non cedit, aut animo conſternatur, ſed quod maximum eſt, cùm nullus in ijs, quæ repente accidunt, relinquatur conſilio atq; electioni locus, nullumq; ad colligendas vires, animumq; confirmandum ſpacium detur, ipſo tamen habitu & obſiſtit illis, & ingruentibus obuiam procedit, quod præſtare eò eſt præclarius, quò difficilius. Nam in ijs quæ prouiſa, & bene antè proſpecta ſunt, conſilium, ratio, ipſaq; animi confirmatio, & ad eligendum, & aggrediendum plurimum adiumenti afferunt.

Quintus gradus eſt eorum, qui ſunt audaces propter ignorantiam. Sed hi nequaquam cum proximis, quos ſpes vincendi erigit, comparandi ſunt. Nam illi aliquandiu hoſtilem impreſsionem ſuſtinent. Hi verò qui rem ſibi cum ignauo futuram hoſte putant, vbi aduerſarium reſiſtere; telaq; regere, ac cominus gladio manum conſerturum intelligunt, abiectis armis fuga ſalutem quærunt.

Hactenus qui & quales fortes sint, satis, vt arbitror, dictum est.

CAPVT IX.

Argumentum.

ETSI *in philosophia hoc argumentum inextricabile est: tamen in Ecclesia dextrè explicatur. Iustis debet beneesse. Fortes viri sunt propugnatores iusticiæ. Ergo fortibus viris debebat bene esse. Ecclesia respondet ad maiorem: Non dubium est, hanc regulam congruere ordini diuino, sicut lex inquit, Qui fecerit ea viuet in eis. Item: Hoc fac, & viues. Sed huius regulæ interpretationem tradit Euangelium, Iustis bene erit, cùm Ecclesia glorificabitur. Interim Deus differt præmia & pœnas. Nam Ecclesia nondum est sine peccato. Et cùm omnia bona & mala huius vitæ breuia sint ac momentanea, Deus iustos non vult fugacibus bonis ornare, nec iniustos breuibus supplicijs punire, sed vult suam iusticiam in rebus æternis ostendere. Ideo præcipua præmia & præcipuas pœnas differt in illam æternam vitam. Ita suo tempore cum virtute coniunguntur præmia, & quidem perpetua, non fugacia, vt sunt bona huius vitæ mortalis. Hæc solutio in doctrina Ecclesiæ copiosè explicatur. Nunc satis est videre quomodo in maximarum rerum dijudicatione antecellat Ecclesiæ doctrina philosophorum disputationibus, quæ profectò mancæ & mutilæ sunt sine erudita & sobria collatione Euangelij.*

TEXTVS.

Reliquum eſt vt videamus, vtrùm in metu an in fiducia moderanda vir fortis magis perſpiciatur. Item: An fortitudinis comes ſit voluptas.

De prima quæſtione reſpondeo. Cùm difficilius ſit metum quàm fiduciam regere, fortis vir in illo quàm in hoc magis & perſpicietur & nobilitabitur. Quocirca iure illi plurimùm laudantur, qui difficiles atque aſperas res animo erecto & magno ferentes metum repulere, dolorisq; cuius acerrimi ſunt morſus, euaſere victores. Nam fortitudini metus cùm reluctetur magis quàm fiducia, perferre quàm aggredi & difficilius eſt, & animi etiam firmioris. At non ſentiet vir fortis vulnera, aut non dolebit. Imò & ſentiet cùm ſit homo, & dolebit, & grauiter ſecum agi intelliget, feret tamen non æquo tantùm animo, verùm etiam magno atque inuicto, quòd honeſtum, quòd pulchrum, quòd ſe dignum id iudicet, ac ſi ſecus fecerit, turpe, molle, fœmineum eſſe.

Idem quoque mori fert grauiter, neque enim vitam odit, vt qui ſciat ſe maximè dignum, qui vitæ ipſius bonis perfruatur, intelligatq; honeſtā ſibi materiā ac cauſam præberi ſæpius vtendæ virtutis viuēdo diutius. Qui

hoc mihi videtur admirabilior, laudibusque maioribus prosequendus, quòd vitæ suæ partē per labores & pericula in dubijs atq; asperis rebus, in bello deniq; decus anteponat.

De secunda quæstione respondeo, non cuilibet virtuti comitem esse voluptatem, quia oportet rectè facere etiam sine respectu mercedis. Quòd si laboriosa & molesta quam ob causam suscipiantur, & quem afferre fructum consueuerint, intueri volumus & considerare, facilè apparebit finis ipse periucundus, ac plenus etiam incredibilis voluptatis, quæ rectè honesteque factorum est comes. Ac de fortitudinis institutis satis hîc dictum sit.

CAPVT X.

Argumentum.

QVÆRIT *Aristoteles in hoc capite obiectum temperantiæ. Est autem huius virtutis obiectum voluptas, quæ gustu & tactu percipitur. Vt enim homo è corpore animoq; constat: sic voluptas aut est lætitia in animo, aut est suauis commotio iucunditatis in corpore. Sed vt primæ sunt animi partes, secundæ corporis, sic voluptas, quæ animo percipitur, magis homini congruit, quàm ea quæ corpus titillat, & & animi statum inflammat, conturbat, incitat.*

TEXTVS.

NVnc de temperantia dicam, quam profectò in voluptatibus & doloribus esse statuo, quanquam nec omnibus quidem nec eodem modo. Nam vt homo ex animo constat & corpore, sic duplex est voluptas. Non igitur intemperans aut is est, qui publicè priuatímve detrimento accepto dolet, aut amicorum ægrè fert orbitates. Quo dolore qui afficitur, longißimè abest à turpitudine atque intemperantia. Sed nec ille qui de Republica meritus, tanquam virtutum suarum præmium sit aliquod consecutus, voluptatem capit ex honoribus, Magistratibus, alijsque publicis muneribus. Eæ namque voluptates non corpus, sed animum potius afficiunt. Quocirca cùm in ijs, quæ corporis solùm voluptates sunt, versetur temperantia, videtur temperans is esse, qui in voluptatibus, quæ tactu potißimùm gignuntur, ipse sibi temperet, nec solùm temperet, sed vbi vel carendum illis, vel abstinendum fuerit, æquo id ferat animo, cui etiam abstinentia ipsa iucunda sit. At intemperanti & voluptatum harum abstinentia grauis est, & earum carentia ægritudinem affert, atque in capiendis illis nullus nec modus adest, nec mensura. Quod intemperantiæ vitium, cùm abiecti & degenerantis sit animi, rectè præcipitur nobis, vt

bis, vt eas omnino voluptates fugiamus, quas qui ſequatur, nomine tantùm homo, re autem belua ſit, cuius proprium eſt corpori inſeruire, & ijs ſolùm voluptatibus, quas tum è paſtu, tum è veneris quærit rebus. Turpiſſimum enim genus eſt hominum illorum, qui in ventrem proiecti ac libidinem, veluti ſues cæno ſordibusque volutantur. Licèt autem difficile admodum ſit contemnere voluptatem natura nobis inſitam, cuius etiam vis tam latè patet, vt actionum affectuumque noſtrorum ſit comes, ſequaturque vel illa quæ agenda eligimus (cùm honeſta & vtilia iucundi ſpeciem præ ſe ferant) eò tamen magis contemni à nobis debet, quò laudabilius eſt rem natura inſitam, & nobiſcum à pueris vnà educatam, reprimere & continere.

Verùm cùm voluptatis nomen commune ſit, & voluptas ipſa nec ſemper nec vbique ſit turpis, non omnes corporis ſenſuumque voluptates intemperantes nos efficient, vt cùm lyra delinimur, laboremque ſolamur cantu, aut naribus admouemus floſculos, ſeu in Apellis picturas egregias conuerſi, in ſpectandis illis oculos paſcimus, & tanquam ipſi reficimur.

Quis autem, quamuis durus & acer voluptatis contemtor, non moueatur, vbi in ali-

quem

quem facetum & vrbanum hominem inciderit? Agè, quem ſuauiſsimi poëtarum verſus mouerint, hunc ne nos intemperantiæ accuſabimus? An eum potius, quem cognouerimus Veneris reſolutum illecebris, aut palato ſeruientem? Hunc enim, quòd voluptates hæ communes ſint cum beluis, illarum ſimilem dicemus, Homerum ſecuti, qui Vlyſſis ſocios Circes carminibus, id eſt, fœdiſsimis voluptatum inſtrumentis, in porcos dixit fuiſſe conuerſos. Quanquam vehementer etiam reprehendendi ſunt, qui tum vnguentorum, tum epularum capiuntur odoribus, quòd his earum rerum memoria renouetur, quarum ipſi cupiditate nimia teneantur. Quibus enim intemperantiæ ſtimulis credibile eſt illum agitari, qui inter odores poſitus, totum ſe fieri naſum optet? quique adhibitus in cœnam, obſtupefactus potu atque paſtu, queratur de natura, quòd tam breue homini [a] guttur dederit?

[a] Seneca in conſolatione ad Albinam hæc narrat de Apicio. Apicius noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando philoſophi velut corruptores iuuentutis abire iuſsi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit, cuius exitum noſſe operæpretium eſt. Cùm ſeſtertium millies (25. thonnas auri) in culinam congeſsiſſet, cùm tot congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal ſingulis comeſſa-

messationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit, superfuturum sibi sestertium centies (2. & dimid. thonnas auri) computauit, & velut in vltima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit, imò cùm putat pecuniæ modum ad rem pertinere?

ὑπομνήματα.

DE TEMPERANTIA.

CVM multa à doctis hominibus sapienter & cogitata & dicta sint, tum illud vel maximè, quòd mundi durationem à principio vsque ad finem in tres ætates distribuerunt. Aiunt enim in prima ætate eam partem animi, quæ mentis & rationis est particeps, regnasse. Neq; verò dubium est primos patres, qui ante diluuium vixerunt, & aliquantò post, antecelluisse toti generi humano sapientia & virtute. Quò enim propius aberant ab ortu & diuina progenie, vt Cicero inquit, eò melius ea, quæ erant vera, cernebant. Quid quòd seris venit vsus ab annis? Nemo autem longius vitæ spacium confecit, quàm Adam, Seth, Mathusalem, Noha, Sem, & quidam alij. Itaque non solùm propter vitæ diuturnitatem, sed etiam propter reliquias primæ conditionis maior sapientia & virtus fuit in his

lumi-

luminibus Ecclesiæ, quàm in reliqua ferè generis humani.

Huic primæ & præstantissimæ ætati successit ætas θυμικὴ seu bellatrix, in qua maximis laboribus & cõtentionibus quatuor Monarchię constitutæ sunt, Babylonica, Persica, Gręca & Romana. Vt enim de alijs bellatoribus non dicam, quis ignorat, quantos militiæ labores sustinuerint Cyrus, Alexander, C. Cæsar? Tandẽ verò secuta est ætas languida, quæ nec sapientię nec virtuti studet, sed velut eneruata voluptates & earum instrumenta quærit. In hac postrema & delirante senecta res ipsa ostendit, florere & dominari eam partem animi, quæ voluptate corporis alitur. Quod cùm ita sit, maiore attentione audiamus doctrinam de temperantia, quæ regit & frenat τὸ ἐπιθυμητικόν.

DEFINITIO NOMINIS.

Cicero in primo Officiorum & Paulus vsurpant nomen σωφροσυνης seu temperantiæ pro modestia, quæ in sermone & gestu & omni actione seruat conuenientiam, nec discedit à natura, & personæ ac locorum ordine. Aristoteles idem nomen transfert ad moderationem voluptatum, quæ gustu ac tactu percipiuntur. Hæc virtus à Paulo sobrietas nominatur.

DEFI-

DEFINITIO REI.

Temperantia eſt virtus, quæ mediocritatem ſecundum rectam rationem efficit in cibo & potu conuenientem naturæ, & non impedientem exercitia inuocationis & aliarum virtutum. Ideo enim à Græcis σωφροσυνη dicta eſt, quòd ſit dulcis nutricula ſapientiæ & virtutis. Nam in regno intemperantiæ nullus locus relinquitur prudentiæ, iuſticiæ & reliquis virtutibus.

CAVSAE efficientes Temperantiæ.

Cauſæ efficientes principales ſecundum philoſophos duæ ſunt. Vna mens iudicans, qualis mediocritas in cibo & potu naturæ noſtræ congruat, & quare menti adiuncta ſit culina coquens cibos, & hoc mortale corpus nutriens. Non enim omnia corpora eadem menſura & eodem pondere atque numero ali poſſunt, vt plus cibi dandum eſt iuueni robuſto, quàm ſeni infirmo. Hic igitur modus ſeruetur in nutritione corporis, vt nec inopia enecetur, nec ſatietate affluenti, quorum vtrunque præſtringere aciem mentis ſolet, ſiue deeſt naturæ quippiam, ſiue redundat atq; affluit. Altera cauſa eſt voluntas iudicio mentis obtemperans, & imperans externis membris, vt alant corpus, nec tamen ingerant amplius quàm opus eſt. Nam plurimũ vini inditum in

tum in vas paruulum Sternit ſine omni quem replet negocio.

In Chriſtiano mens non tantùm has philoſophicas rationes cōſiderat, ſed etiam mandatum Dei, Attendite ne corda veſtra grauentur crapula, & hanc cogitationem accendit Spiritus ſanctus, qui monet ideo adiunctam eſſe menti culinam, vt initia æternæ vitæ, ſapientiæ & iuſticiæ perpetuæ in hac mortali vita accendantur. Non enim fulgebit ſapientia & iuſticia Dei in illis, qui non inchoant eam in hac mortali vita. Monet igitur neceſſariam eſſe temperantiam & alias virtutes, ne impediatur inchoatio vitæ æternæ, quæ fit agnitione & fiducia filij Mediatoris.

Dixi de principalibus efficientibus. Nunc dicam de cauſis adiuuantibus, quæ diligenter conſiderandæ ſunt, vt diſcamus rectè regere appetitiones, vt ordo naturæ poſtulat. Magna vis eſt temperamenti in vtranq; partem. Scipio magis amat caſtitatem & cognatas virtutes, quia cor, epar & reliqua membra melius temperata ſunt. Antonius propter vitioſum temperamentum totius corporis pronior eſt ad heluationes & libidines. Nam epar immoderatè calidum appetit continuam rigationem, & flammas libidinum accendit. Hanc naturalem inclinationem ad intemperantiam multi augent partim conſuetudine

heluan-

heluandi, partim mala victus ratione. Verissimè enim à Medicis dicitur, appetitionem irritari non modò acribus condimentis, sed etiam salsis & crudis cibis. Nec minus verum est illud Senecæ, Consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta etiam sine vino valent.

Hæc causarum consideratio cùm alias magnas vtilitates affert, tum eò etiam prodest, quia cùm ostendit, quæ causæ intemperantiā naturæ insitam augeant, monet, vt petamus nos regi Spiritu sancto, & maiore diligentia vitemus illecebras, vt dicitur, Vitare peccata est vitare occasiones peccandi.

MATERIA.

Materia in qua, vt aliarum virtutum, est voluntas. Sed temperamenti subiectum est, epar & humores.

CAVSA FORMALIS.

Est ipsa voluntatis actio, seu habitus reprimens cupiditates temere vagantes.

CAVSAE FINALES.

Prima est, vt Deo obediamus, qui seuerissimè præcipit temperantiam, & prohibet heluationes, Rom. 13. Decenter ambulemus, nō in comessationibus & in ebrietate. Lucæ 21. Attendite ne corda vestra grauentur crapula

& ebrietate. Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est ἀσωτία. Vt autem turpitudo ἀσωτίας intelligatur, ascribam verba Ciceronis, quæ extant in secundo de Finibus: Nolim enim mihi fingere ἀσώτους, vt soletis, qui in mensam vomant, & qui de conuiuijs auferantur, crudiq; postridie se rursus ingurgitent, qui Solẽ, vt aiunt, neq; occidentẽ vnquã viderint, nec orientem, qui consumtis patrimonijs egeant.

Secunda est, vt posit præstari vera inuocatio. Non enim temere dictum est à quodam ex veteribus, difficillimum opus esse precationem, quia non solùm intentio flagitatur, sed etiam consideratio reuelationum & testimoniorũ de Deo, & distinctio ab Ethnica inuocatione, & cogitatio promissionum, & fides. Hæ tantæ res non cadunt in hominem ebrium & securum, sed sobriam mentem desiderant. Quanta est autem miseria, viuere hominem sine Deo, hoc est, non inuocare Deum, non habere custodem aduersus Diabolum, non iuuari à filio Dei, manere hostem Dei & ab eo abijci?

Tertia est, ne aliarum virtutum exercitia impediantur, vt verbi causa, castitatis, sedulitatis, & reliquarum. Quòd enim intemperantia sit fomes libidinũ, testatur Salomon cap. 23. Prouerb. Oculi tui videbunt alienas vxores. Illud verò notius est, quàm vt commemorari

morari debeat, oneratum cibo & potu nulli administrationi neque in toga, neque in armis idoneum esse. Quare si volumus casti pudoris decus tueri, & præstare in vocatione fidem & assiduitatẽ, amemus & colamus temperantiam tanquam fidam plurimarum virtutum nutriculam.

Quarta, vt corporis incolumitas conseruetur. Cùm enim natura in omnibus actionibus desideret mediocritatem, & organa nutritionis ita condita sint, vt nos admoneant de hac moderatione, non dubium est, naturam supra vires oneratam, lædi ac tandem omnino destrui. Vult autem Deus honore affici corpus, quod miranda arte condidit, & quod est templum Spiritus sancti, & organũ multarum diuinarum actionum.

Quinta, vt multa scelera & calamitates vitentur, quibus ebrij implicantur. Res enim ostendit, verissimos esse versus, qui ab Athenæo libro 2. citantur.

Tres tantùm ego (inquit Bacchus) *sanis crateras*
Vnum valetudinis, & hunc primum ebibunt, (misceo,
Secundum amoris, at soporis tertium:
Quo qui sapere solent eunt hausto domum.
Nam quartus est haud amplius crater meus,
Sed Contumeliæ, velut huic proximus
Clamoris. Hunc sequitur comessandi furor.
Ita septimus habet vulnera. Octauus forum:

Nonusq; stomachum. At decimus est insaniæ,
Qui iam pedibus insistere amplius haud sinet.
Nam plurimum vini inditum in vas paruulum,
Sternit sine omni quem replet negocio.

PVGNANTIA.

Nihil temperantiæ magis inimicum est, quàm ebrietas, quæ creaturis Dei abutitur, vel vt verius dicam, creaturas Dei contumelia afficit, & proprium corpus affligit, & ebrios arcet à regno Dei, deniq; fons est omnis mali & impedimentum omnis boni.

Primùm enim in conuiuijs ebriorum, natant pauimenta vino, madent parietes, & ipsi tantum vini exhauriunt, vt eis necesse sit vomere, perinde quasi vinum effundi non possit, nisi per humanum corpus. O rem non modò visu fœdam, sed etiã auditu! Quantus enim furor est non colligere, sed conculcare fragméta panis quotidiani, & creaturis Dei bonis non vti cum gratiarum actione, sed sine vlla reuerentia & respectu Dei impiè ac tetrè ijs abuti? Hanc ingratitudinem ac petulantiam si quis somniat Deo placere, is non argumentis refutádus, sed fustibus puniendus est.

Deinde quod Paulus de libidinosis inquit, In corpus suum peccant, id etiam de heluonibus verũ est. Vtriq; enim in corpus suum peccant, id est, sua corpora affligunt, & contume-

lia affi-

lia afficiunt, ne ſint organa Dei, & imaginem Dei vertunt in imaginẽ beluæ. Vt autem plus peccat Cato ſeſe interficiens, quàm ſi alium interfeciſſet: ita cùm ebrietas deſtruat proprium corpus, quod debebat eſſe templum Dei, non ducatur eſſe leue peccatum. Eſt enim reuera maius ſcelus lædere proprium corpus, quàm alienum, cùm primus ordo hominis ſit erga Deum, proximus erga ſeſe, tertius erga alios homines, vt in quinto Ethicorum copioſius dicetur.

Tertiò non obſcura neq; ignota ſunt Pauli dicta, quæ ebrioſos non ſolùm ex Eccleſia ſeu regno Chriſti in hac vitá eijciunt, ſed etiam excludunt à ſocietate regni Dei, id eſt, æternæ vitæ & perpetuæ conſuetudinis cum Deo, vt 1. Corinth. 6. Nam de excommunicatione ebrioſorum 1. Corinth. 5. diſertè inquit, Si is qui frater nominatur, ebrioſus eſt, cum eo ne cibum quidem capiatis. Auferte malum ex vobis ipſis. Etſi autem homines ſecuri ſuperbè derident fulmen iuſtæ excommunicationis: tamen nos cogitemus, quanta miſeria ſit eſſe membrum prorſus ab Eccleſia præciſum, & excluſum à ſocietate Sacramentorum & Eccleſiaſticorum officiorum. Huius mali magnitudinem nullius angeli aut hominis eloquentia ſatis exponere poteſt. Sed longè triſtius malum eſt, quod idem orator his verbis

deſcribit 1. Corinth. 6. Nolite errare, neque ſcortatores, neque ebrioſi, regnum Dei poſsidebunt. Et Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. De quibus prædico vobis, ſicut & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Hoc malum quia æternum & infinitum eſt, nec cogitatione humana comprehendi, nec verbis explicari poteſt.

Quartò. Res ipſa oſtendit, ebrietatem eſſe fontem omnis mali in corpore, anima & facultatibus. Nam ebrij ſunt αὐτόχειρες, id eſt, parricidæ proprij corporis, quia plurimos & maximos morbos ſibi petulanter accerſunt. Hinc enim pallor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vaſa, & furiales ſomni, & inquies nocturna. Poſtero die ex ore halitus fœtidi, ac ferè omnium rerum obliuio, vt Plinius lib. 14. cap. vltimo inquit. Item, apoplexia, epilepſia, paralyſis, podagra, chiragra, denique mille mali ſpecies.

Quid quòd ebrietas mentem mutat & furorem gignit? Tunc auidi matronam oculi licentur, graues produnt marito, tunc animi ſecreta proferuntur. Alij mortifera loquuntur, redituraſq; per iugulum voces non continent. Deniq; nulla maior charybdis eſt facultatum, quàm ebrietas.

Poſtre-

Poſtremò conſtat, ebrietatem omnis boni impedimentum eſſe. Quòd enim impediat inuocationem, & cogitationem de Deo, item caſtitatem & ſedulitatẽ in omni adminiſtratione Eccleſiaſtica, politica & œconomica, id ſuprà ſatis declaratum eſt.

Quamobrem nihil tam deteſtabile, tamq́; peſtiferum, nihil deniq; tam inimicum Deo, animæ, corpori, facultatibus, quàm ebrietatem putemus, & à Deo petamus, vt nos ad amorem temperantiæ & omnium virtutum Spiritu ſuo ſancto flectat.

CAPVT XI.

Argumentum.

IN FINE *huius libri diſputat Ariſtoteles de extremis temperantiæ, & quatuor exiles quæſtiones agitat, de quibus in textu ſatis multa dicuntur.*

TEXTVS.

CVM autem nihil ſit tam ſeruile & abiectum, quàm voluptatibus eſſe deditum, illas maximè voluptates coërcere conabimur, quæ partim communes, partim propriæ dicuntur, quas ſi eruere non poterimus (quod enim firmius hæret, & radices natura-

les habet, euelli vix poteſt) pullulantes certè, & in proceriores ramos exeuntes amputabimus. Quamobrem cibo & potu ſic vtemur, vt reficiamur quidem illis, non impleamur, deque ſtatu hominis deijciamur. Temporis quoque memores eſſe oportet, & perſonæ quam ſuſtinemus. Denique in voluptatibus cunctis illud maximè obſeruabimus, vt neque valetudini noceant, neque aduerſentur honeſtati, habeaturque facultatum ratio. Quæ præcepta ſeruantes erimus temperantes, & inordinatas appetitiones ſubijciemus rationi, nec (quod puerorum eſt) imperare nobis illas ſinemus.

Solent autem hoc loco quatuor quęſtiones agitari, quas breuiter explicabo.

Prima, quid differant intemperans & timidus ſeu impatiens. Intemperans non dicitur, quòd nolit ferre dolorem, ſed quòd nolit abſtinere à voluptatibus. Impatiens qui dolores non generosè tolerat.

Secunda, Quare non extet nomen alterius extremi, videlicet eius, qui minus appetit voluptates, quia vel nulli vel pauciſsimi tales ſunt.

Tertia, Vtrum vitium magis voluntarium ſit, & magis reprehendendum, timiditas an intemperantia. Reſpondeo, Intemperantiam magis eſſe voluntariã, quia magis voluntaria

ſunt,

ſunt, quæ eliguntur ſine coactione aliqua. Voluptates non ſic offerunt ſe nobis, vt cogant nos, ſicut terror nolentes obruit. Eſt igitur intemperantia magis voluntaria, ideoque magis reprehendenda. Nam quæ magis in poteſtate noſtra ſunt, magis laudem aut vituperationem merentur.

Quarta quæſtio eſt de nomine ἀκολασία, Quare ἀκολασία commune nomen eſt laſciuiæ puerili & intemperantiæ? Quia quædam inter hæc ſimilitudo eſt. Vt pueriles animi in ludis vagantur, ſic vagatur appetitio intemperantiæ: & vt pueri coërcendi & cogendi ſunt, ſic appetitiones errantes recta ratione domandæ & reprimendæ ſunt. De temperantia igitur ſatis ſit hæc dixiſſe.

ὑπομνήματα.

Γαστρίμαργοι) Lucilius: Viuite lurcones, comedones, viuite ventres. Et Epimenides, de Cretenſibus: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

ἐξίστησιν) ἔκστασις alienatio mentis, cùm aliquis non eſt apud ſe, vt Marci 3. dicunt de Chriſto ὅτι ἐξέστη, id eſt, non eſt apud ſe. Et Act. 10. in hiſtoria Petri eadem vox vſurpatur, quam Cicero in 1. de Diuinat. his verbis interpretatur: Cùm à corpore animus abſtractus diuino inſtinctu concitatur.

αὐτὴ γὰρ ἄλυπος) Timiditas aliquo modo

voluntaria est, vt cætera vitia: Confirmatur enim, dum vltro omittitur assuefactio ad ferendos dolores.

ἀσχημονεῖ) Hoc verbo Paulus vtitur 1. Corinth. 13. de Christiana dilectione loquens, οὐκ ἀσχημονεῖ, id est, non habet deformes gestus.

τὸ δ' ὅλον ἧττον) Ratio est, quia confirmata consuetudine intemperantia magis ardet.

FINIS LIBRI TERTII Ethicorum Aristotelis.

QVAR-

QVARTVS LIBER ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM.

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI.

SEmper in conspectu sit discrimen inter virtutes necessarias & non necessarias. Sunt enim necessariæ, de quibus extant præcepta in lege diuina, & quarum violatio polluit conscientiam, & auellit hominem à Deo. Non necessariæ, quarum violatio non est contemtus Dei, nec auellit hominem à Deo. Explicat igitur Aristoteles in hoc libro virtutes partim necessarias, vt liberalitatem, mansuetudinem, veritatem, partim non necessarias, vt magnificentiam, magnanimitatem, ambientiam, comitatem, vrbanitatem. Versantur autem tres virtutes circa sermonem, quarum prima est veritas, secunda comitas, tertia vrbanitas. Deinde mansuetudo regit iram, vt sit moderata, nec ruat extra metas officij. Postremò liberalitas & magnificentia gubernant communicationem rerum. Vt autem differunt magnificentia & liberalitas, sic gradibus discer-

nuntur magnanimitas & ambientia. In fine huius libri differitur de verecundia, quæ etsi non est virtus, tamen custos est virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemq; maximè consequens, vt Cicero in Partitionibus Oratorijs inquit.

CAPVT I.

Argumentum.

IN HOC *capite initiò quæritur obiectum liberalitatis. Deinde exponuntur circumstantiæ, quæ monent, quo ordine, quibus & quo modo dandum sit. Postea recitatur definitio liberalitatis. Tandem verò instituitur comparatio extremorum, profusionis videlicet & auaritiæ.*

TEXTVS.

QVemadmodum fortitudini pericula, temperantiæ dolores ac voluptates, sic liberalitati materia quasi quædam pecunia subiecta est, in qua vtenda erogandaq;, qui sponte gratuitoq; versatur, illud iure assequitur, vt liberalis viri nomen adipiscatur. Ne autem nomen ipsum pecuniæ quem fortasse turbet, pecuniæ ipsius voce accipienda cuncta dicimus, quæ nummo censeantur.

Quo-

Quoniam autem duobus tantùm modis à mediocritate receditur, extremaque ipſa ſibi aduerſa ſunt, altero quidem modo peccatur, parum omnino dando, nimiumque contrahendo, quo vitio qui ſit affectus, auarus dicitur, altero verò nimium dando, parum certè capiendo, quod prodigi eſt proprium. Sed cùm prodigi etiam dicantur, qui per luxum & incontinentiam diffluunt, videtur hoc ipſum nomen non ſatis proprium eius eſſe, quem auaro opponimus. Verùm quoquo modo ſe habeat verbi vſus, illud inter omnes conſtat, iure huiuſmodi hominem flagitioſiſsimum haberi, qui ſeipſum per luxum atque intemperantiam perdat, præſertim cùm exhauſta re familiari ad rapinas plærunque conuertatur.

Pecuniam verò rectè numerari inter bona vtilia, docere hoc ſatis poteſt, quòd pecunijs & bene [a] & malè vti poſſumus. Rectum autem honeſtumq; pecuniæ vſum res maximè faciunt duæ, erogandi ratio, & comparandi regula, quas qui tenent, facilè illi quidem alienis abſtinebunt, neque profundent ſua, ſiquidem acquirendi cura, ratioque conſeruandi eò ſpectat, vt poſsideas potius quàm

[a] Bonæ rei poteſt eſſe multiplex abuſus, nec tamē res ipſa propter abuſum damnanda eſt.

vt vtare. At erogandi ſtudium liberalis proprium magis eſt. Etenim alteri qui dat, non qui ſibi accipit, liberalis dicitur. Qua è re illud efficitur, vt plus laudis habeat dare [b] quàm accipere, & conferre alijs quàm ſibi comparare.

[b] Interpres Demoſthenis conſtituit duas partes iuſtitiæ, quarũ prior vocatur ἀναίρεσις τῶν κακῶν, id eſt, diligentia vitandi peccata, altera, θέσις τῶν εὐεργετημάτων, id eſt ſtudiũ rectè faciendi. Hæc conueniunt cum dicto Eſaię in ca. 1. Deſinite malè facere, & diſcite bona facere.

Erit igitur liberalis viri proprium in pecunijs adipiſcendis, iiſdemque dandis & conferendis, cum delectu modum adhibere, in quibus etiam erogandis, vt prodeſſe quàm plurimis ſtudebit, ſic in comparandis nocere nemini, nec à recto honeſtoq; recedere. Itaq; & capiet ipſe quidem, & emolumenta quæret, fortunasq; ſuas non negliget, nec per incuriã perire patietur. Idem quoq; libenter admodum de ſuo tribuet, atq; hæc omnia cum delectu & menſura. Erit autem ita commodus alijs, vt iuſticiam [c] prudentiamq; retineat, ſine quibus liberalitas nulla eſt. Quæret igitur & capiet, & rem familiarem tuebitur,

[b] Epicharmus dixit: Morbum habes, lætaris dando. Paulus verò inquit 2. Cor. 8. Hilarem datorem diligit Deus. Hæc differunt finibus. Morbus

vt

vt habeat vnde det. Quid enim dementiusquàm quod libenteratq; honestè facias, non id curare vt diutius & erga plurimos poßis facere? Quocirca & rei familiaris commodis operam dabit, qua in re qui effusi sunt, peccant, dum sua hinc per negligentiam, illinc per effusionem perdunt, & in danda pecuniæ reiq́; familiaris opera, honestatem sequetur, quam auari plærunq; aut cæci cupiditate non vident, aut præcipites calcant. Idem conferendis etiam muneribus [d] promtus ac pron⁹ erit, à quibus auari nõ modò abstinent, sed metu, ne ipsis desit, minutißimis etiam sumtibus faciendis animo deficiunt.

est dãdo lætari, scilicet profusione. Sed pietas est officio lætari.

[d] Regina Attica apud Euripidem inquit: Si quis beneficiũ daturus est ciuibus, id gratius fit liberali pectore & sponte, cùm datur. Datum morosius lenteq́;, nõ habebit vllam gratiam.

* λυπηρῶς) Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panẽ lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium est, esse acerbum. Seneca lib. 2. de benefic.

Eum quoq; in numerando delectum habebit, vt à recta ratione non declinet, à qua prodigi longißimè aberrant. Nam & quos minimè oportet, & largiore quàm oportet manu persæpe donis afficiunt, vt aut paruam aut nullam, interdum etiam parum rectam,

tum

tum eorum quibus donát, tum suam ipsorum [e] qui donant, rationem habeant. Etenim liberalitatis fons exiccandus non est, & honestas ipsa vbiq; amplectenda, cumq; donandi ratio eò spectet, vt quibus posśis & sæpe & multùm prosis, non est in alios ita sinus excutiendus, vt tuijpsius immemor videare.

[e] Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, cōsistit, sed in ipso dantis & facientis animo. Seneca in lib. 1. de benefic. Idem lib. 2. In beneficio iucundissima est tribuentis voluntas. Et Greci dicūt: χαρίτων ὁ θύμος ἄριστος.

Qualis igitur liberalis sit, quàm etiam generi hominum pro facultatibus suis commodus, ex ijs quæ dicta sunt facilè apparet.

Quoniam autem res ipsa nulla re apertius quàm definitione monstratur, liberalitas ipsa finienda videtur, eaque, vt arbitror, in danda pecunia mediocritas quædam est, quæ quoniam sine delectu esse nequit (neq; enim retineri medium ipsum sine recta ratione potest, è qua delectus manat) eiusmodi quidem esse delectus ipse debet, vt & quid des, & quātum etiam des, & cui, & quando, atque etiam quomodo, & quam ob causam, diligenter consideres, in quibus omnibus cùm rectam rationem secutus fueris, illud etiam videbis,

debis, ne à fine ipſo, qui liberalitati propoſitus eſſe debet, turpiter deflectas. Namque gratuitum illum eſſe volumus, nullumq; inde precium, niſi rectam benefaciendi conſcientiam expectari.

παίντης ἀγαπῶσι) Baſil. Homil. 3. in 1. caput Geneſ. Labore partũ magna lætitia amplecti, & ſollicitè cuſtodire ſolemus. τὸ γὰρ πόνῳ κτηθὲν περιχαρῶς ὑπεδέχθη, καὶ φιλοπόνως διεφυλάχθη.

τῆς ἀρετῆς γὰρ καὶ λυπεῖσθαι καὶ ἥδεσθαι, ἐφ' οἷς δεῖ) Cicero in Lælio: Non ſunt audiendi, qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt: Proprium enim eſt animi bene conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs. Idem in 4. Tuſcul. ex Crantore: Non aſſentior his, qui iſtam, neſcio quam indolentiam, magnopere laudant, quæ nec poteſt eſſe vlla nec debet.

τῷ Σιμωνίδῃ) Athenæus lib. 14. & Theocrit. Idyll. 16. narrant Simonidem poëtam fuiſſe parcum, & habuiſſe duas arcas, vnam beneficentiæ, refertam muneribus, quæ alijs tribuere ſolebat. Alteram gratitudinis inanem ac vacuam. Petentibus igitur beneficium, monſtrauit vtranque arcam, plenam ac vacuam. Significans homines quidem libenter accipere beneficia, ſed paucos referre gratiam. Eſt etiam prouerbium apud Græcos, quo ſignificamus, ex homine liberali factum eſſe parcum ſeu attentum ad rem: Ex Sophocle factus Simonides. Fuit enim Sophocles liberalis & beneficus.

ὁ δὲ οὐδένα, ἀλλ' οὐδὲ αὐτὸν) Auarus nec ſibi pro-

deſt, nec aliȷs, ſed ſimilis eſt cani cuſtodiēti cumu lũ fœni, quo nec ipſe veſcitur, nec alios vti ſinit.

οἷς δεῖ πένεσθαι, τούτους πλουσίους ποιοῦσι.) Talia plerunque ſunt aularum beneficia, quæ liberalius erogantur in adulatores, ſycophantas & eos, qui artem nocendi ſciunt aſtutiſsimè, quàm in viros bonos, & optimè de rebus communibus meritos.

Cùm autem dictum ſit, prodigi, qui eſt auaro cõtrarius, proprium eſſe, præter modum ac ſine vllo delectu pecunijs vti parumque omnino aut capere aut quærere, ſiquidem prodigus in vtendis non comparandis exuperantior eſt pecunijs: quærendum videtur vter eorum ſit deterior, longiuſque à medio, hoc eſt, ab ipſa liberalitate recedat. Quod tamen perfacile iudicatu eſt. Prodigus enim multis prodeſt, quibus de ſuo confert, etiam larga manu, cùm auarus ne ſibi quidem ipſi ſit commodus. Ad hæc prodigus libenter quidem dat, quod eſt tum liberalis (dum tamen rectè id fiat) tum generoſi & magni animi, qui eſt in auaro puſillus & ſordidus. Præterea cùm auaritia indies creſcat, prodigus ipſe tum ætate procedente, tum quod neceſſe eſt egenum tandem fieri, ſæpenumero magis compoſitos mores induit, atque à quo receſſerat medio, paulatim ad illud regreditur, quodq; de profuſione eius multum demant anni, reuocatur ad ſanitatem, cùm auaritia inſanabilis

bilis morbus ſit. Quibus è rebus ſatis liquet, auaros non modò profuſis longè eſſe deteriores, verùm morbo etiam inſanabili affectos, quo ſuperati ad ſanitatem, id eſt, medium nunquam perueniant.

Nec verò vnum eſt prodigorum genus, cùm alij nullo delectu adhibito, & dent & capiant, recti honeſtique in vtroque obliti. Nam vt habeant quod dent, honeſti lineam transgreſsi, rapaciſsimique effecti promiſcuè auferunt per ſummum etiam dedecus atque infamiam. Quin vt profundendi cupiditatem exatient, ſi ſatiari poſſet, ita nihil omnino penſi habent, vt etiam in hoſtis, hoc eſt, auari caſtra tranſeant, cuius eſt vndecunque ſine vlla recti atque honeſti cura non ſolùm capere, verumetiam auferre.

Alij autem in vtendis vel potius abutendis pecunijs nimij, in quibus illa vehementer ſunt reprehendena, quòd in homines indignos, in miniſtros fœdiſsimarum voluptatum, in adulatores, in mimos, in contaminatiſsimos quoſque ſua congerant, ab honeſtis ac probis viris manum ſubtrahentes, eos autem diuitijs honeſtantes, qui diuitijs minimè digni iudicentur. Quocirca familiaritates flagitioſorum hominum ſibi adiungunt, quibus etiam ſeſe totos dedunt, voluptatibus capti atque aſſentationibus deliniti.

Qui verò in ipso cursu ante rem exhaustam effundẽdi moderantur impetum, persæpe, vt dictum est, regredi ad medium solent, dum adhibito iudicio, atque intra gyrum rationis coërciti, in eos tantùm qui meriti sint, liberalitatem exercent, neq; præter rectum atq; honestum commodis suis student. Atq; hæc ferè sunt prodigorum genera. Nam tyranni ac reges prodigi minimè dicendi videntur, quòd tam multa poßideant, vt dandis atq; vtendis illis vix abijcere modum soleant.

[f] Auaritiam verò maiorem atque acriorem efficere morbi solent & corporis imbecillitas, & ipsa in primis senectus.

[f] Cic. in Catone. Auaritia senilis quid sibi velit non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm quò minus viæ restet, eò plus viatici quærere?

Ex quo efficitur, vt auaritia insanabilis morbus sit. Senes enim plærique omnes tenaces cùm sint, videtur cum ætate simul auaritia crescere. Ad hæc etiam naturalis est habendi cupiditas, vnde auaros longè plures, quàm largos inuenias.

Sed quamuis auari omnes suprà quàm decet pecuniæ dediti sint, cui etiam seruire videntur, sunt tamen aliquot eorum species. Neq; enim per auaritiam [g] vno tantùm

[g] Hac insigni voce vtitur Basilius in

modo

modo peccatur, nec auari singuli totam auaritiam complectũtur. Quamobrem si de singulis pauca quædã dixerimus, videri non debet ab instituto nostro alienum.

concione de humilitate: Hæc est perfecta & integra gloriatio (τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις) in DEO, quando ne quidẽ propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit se indigere vera iusticia: Sola autem fide (πίστει δὲ μόνῃ) in Christum iustificari.

Sunt enim qui rebus suis parcentes, summo etiam studio rei familiari conseruandæ intenti, & quàm minimum de suo impendentes ab alienis contineant, bonitate quadam naturæ ita victi, vt re sua contenti, nihil turpe, nihil contra leges, contraq; humanitatem habendi gratia faciant. Hos nominare parcos consueuimus, eamq; animi institutionem parsimoniam, quæ in priuatis quibusdam, tenuiq; in re constitutis, ac habentibus numerosam sobolem humanisq; necessitatibus circumuentis, laudari meritò potest. In regibus verò ac principibus, & ijs ciuibus, quorum res est opulentior atq; autoritas maior, quomodo laudari posit tam minuta diligentia, quæ panis etiam miculas colligat, nequaquam video.

Horum ferè similes sunt [h] astricti qui-

[h] κίμβικες. Hæc vox significat vermi-

dã & tenaces, & aridi atque attenuati, quos tamen pro amplianda re familiari ne minimũ quidem ab honesto recessisse cerneres, vbiq; probitatis ac iustitiæ memores, sed in vtendis pecunijs nimis concisos atq; etiam minutos, & vt ita dixerim [*i*] exangues. Et hi quidẽ ab inferẽda iniuria tantùm abstinẽt, cùm liberales etiã beneficia conferãt, quod quantò pulchrius sit, quis non videt? Ad hæc nihil dare, nihil alteri de suo conferre, nihil publicè priuatimúe impertiri, omnnio abiecti ac degenerantis est animi.

culos tenuissimi & vilissimi cibi, arrosores lignorum & stirpium.

[i] Theoc. Idyl. 10.
Tunc etiam nimium curator auare,
Lenticulã coquere instructum tibi præstat ad ignem,
Ne digitos fodias, cupiens secuisse cuminum.
κάλλιον ὦ 'πιμελιτὰ φιλάργυρε τὼς φακὸς ἕψειν,
μὴ 'πιτάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον. Huius generis exemplum extat in Aulularia Plauti: Aquam hercle plorat, cùm lauat profundere, Quin ipsi pridẽ tonsor vngues demserat, Collegit, omnia abstulit præsegmina.

Sunt etiam, qui cùm nihil ipsi cuiquam de suo conferant, nihil ex alieno rapiant, non tamen contineant honesti gratia, vt hi de quibus modò dixi. Quin hoc se quidem excusare solent, ne si dando rem minuant, ad turpia

pia facinorosaque impellantur. Verùm illud magis timent, ne si ab alienis non contineant, non posint tueri sua, dum alios in se prouocant, diffidunt autem ipsi sibi, atque ab inferenda iniuria manum cohibent, ne ipsis rursus inferatur. In quibus nihil video quod laudari iure posit, siquidem ob metum non sponte continent.

Sequitur deterrimũ auaritiæ genus, quod partiri plures in species possumus. Neque enim auari omnes pari atque eodem modo, sed alij magis, alij minus, eius squalore, illuuie ac fœditate contaminantur atque inquinati sunt. Quo de genere sunt lenones, aleatores, item qui fœnerant, qui piraticam exercent, qui [k] latrocinia, quique sordidis ac turpibus quæstibus de diti sunt, qui etiam [l] lucri gratia flagitiosa sectantur, seq́; probris oblectant.

[k] Tria sunt genera furum apud Græcos. Alij erant τειχώρυχοι, murorũ perfossores: Alij λωποδύται, qui alijs vestes detrahebant: Alij βαλαντιότομοι, beutelschneider.

[l] Sophocles in Antigone: Non vndecunque lucrum captandum est: Nam propter turpia lucra plures perijsse videas, quàm seruatos esse. οὐκ ἐξ ἅπαντος δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν, ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας ἀτωμένους ἴδοις ἂν, ἢ σεσωσμένους. Et apud Hesiodum dicitur: μὴ κακὰ κερδαίνειν κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησιν.

His addendi, qui pro quæstu etiam tenui, maxima quæq; pericula adeunt, quique summa cum perfidia & infamia, in quos benefici esse deberent, in illos vim aut fraudem exercent. Quorum quidem omnium ea institutio est, idque consilium, vt dum quærant, dum in domum inferant, nihil sordidum ac turpe defugiant, nec pro exiguo quidem lucello ab infamia iter detorqueant, sed cupiditate habendi, comparandarumque diuitiarum ac rei ampliandæ ardore nimio incensi præcipitesque, cuncta vndique corradunt, non parcunt illiberalibus, non abstinent sordidis, quippe quibus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honesti, nullus denique famæ cultus aut respectus est, lucro, qualecunque id sit, cuncta posthabentes. Itaque & vnde, atque à quibus minimè licet, & suprà quàm opus est & quàm decet, quacunque ratione capiunt, quid capiunt? tolerabilius hoc esset, furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, extorquent dolo, vi, fraude, malis artibus, omnique impuritatis ac flagitij genere. Quo fit, vt auaritia & habeatur, & sit vitiorum omnium caput & fomes, quippe cùm ad omne flagitij genus viam aperiat.

Nec verò tyrannos ac direptores vrbium euersoresq;, nec templorum sacrorumq; spoliato-

liatores inter auaros numerauerim, quippe cùm interim potentes, iniustos, impios, deorumq́ue contemtores numerari potius debeant. Atq; hæc nunc quidem de liberalitate illiusq́; extremis dicta sint.

ὑπομνήματα.

EXPLICATIO METHODICA LIBERALITATIS.

MVLTA extant præcepta de liberalitate seu beneficentia, non modò in scriptis philosophorum, sed etiam in sacris literis. Sed venustißimum omnium, quæ vel legi vel audiui, traditur à Salomone cap. 5. Prouerb. Bibe aquam è tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe. Fontes tui deriuentur foras, & riui effluant in plateas. At tu dominus esto horum, non alieni tecum. Erit enim fons tuus benedictus. Comparat agellos, vineolas & hortulos nostros non cisternæ, sed fonticulo perenni, qui nunquam fit ἄνυδρος, & fructus qui ex fundis capiuntur riuulis, vt significet bona corpori necessaria non casu inter homines spargi, nec parari tantùm nostra diligentia, sed esse dona Dei, & velle Deum, vt his reuerenter vtamur eo ordine, quem instituit. Non enim casu aut tantùm naturæ ordine terra quotannis fit fœcunda, sed Dei be-

neficia ſunt fœcunditas terræ, & vices tempeſtatum ad maturationem frugum accommodatæ, vt 1. Cor. 3. dicitur, Nihil eſt qui plantat, nihil qui rigat, ſed Deus qui dat incremẽtum. Amẽt igitur ſtudioſi hoc dictum Salomonis, propter figuras verborũ dulciſsimas, & conſiderent, de quibus rebus lectorem erudiat.

Primùm enim ſancit & approbat rerũ proprietatem & diſtinctionẽ dominiorum, cùm ait. Tu dominus eſto horum. Quibus autem modis res fiat vniuſcuiuſq; propria, docent leges Romanæ. Deinde concionatur de liberalitate & de modo liberalitatis ſeu parſimonia, Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus illorum maneto, & non alieni tecum. Significat enim ex fonte riuos deducendos eſſe, quibus etiam alij fruantur, hoc eſt, fructus ex fundis communicandos eſſe cum egentibus, ita tamẽ ne propter immodicas profuſiones fundos ipſos amittamus. Poſtremò addit doctrinam de præmijs & de fide: Fons tuus erit benedictus, quaſi dicat, Si agnoſcis Dei donum eſſe facultates & earum conſeruationem, & neminem defraudabis, & eris liberalis, expecta à Deo benedictionem.

Recitaui inſigne dictum Salomonis, quod ſuauiſsimè pingit præcepta de duabus virtutibus, quarum altera communicat fructus patrimonij, altera patrimonium conſeruat, vt intel-

intelligant ſtudioſi vtramque colendam eſſe, non ſolùm propter ciuilis vitæ conſuetudinẽ, ſed etiam propter voluntatem Dei, qui vult talibus officijs fidem & dilectionem exerceri. Nunc vſitata methodo vocabulum Liberalitatis explicabo.

DEFINITIO NOMINIS.

Huic virtuti, quòd libero homine maximè digna eſſet, liberalitatis nomen maiores noſtri fecere, & qui ea vterentur, liberales, quòd ij potiſsimùm liberè agerent, vocauere, cùm pecuniæ ſeruire auaros putarent.

DEFINITIO REI.

Liberalitas ſeu beneficentia eſt virtus, quæ communicat facultates & operas non debitas obligatione ciuili, ſed naturali, & mediocritatem efficit inter ſordes & profuſiones.

Hæc definitio illuſtrari poteſt collatione iuſtitiæ & liberalitatis. Iuſtitia præſtat debitum ciuili obligatione, videlicet quod leges & Magiſtratus iubent ſolui. Sed liberalitas cõmunicat id, quod naturali obligatione debetur. Vt quanquam Samaritanus nõ debebat propter edictum aliquod Magiſtratuũ ſaucio iacenti in via: tamen debebat naturali obligatione, quia quoddam naturale fœdus eſt hominum inter ſe, quod præcipit, vt alterius vitæ vnuſquiſq;

quisque quantum potest, opem ferat. Vetus dictum est, liberalitatem dare quidem indebitum personæ, sed dare debitum speciei, id est, communi societati, quæ sine beneficentia & liberalitate nō potest conseruari. Sed multò illustrius est dicere, dare eas debitum Deo, quia vult Deus intelligi has virtutes, quæ propius ad bonitatē accedunt, vt sciamus ipsum talem esse, sicut scriptum est, Ipse benignus est erga ingratos & malos.

DIVISIO.

Prima species liberalitatis, quæ versatur inter parentes, liberos & cognatos, pietas vocatur, de qua Paulus 1. Tim. 5. scribit, Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & infideli deterior est.

Altera species est hospitalitas, qua peregrinos & hospites, ac præcipuè eos, qui per iniuriam pulsi propter studium veræ religionis exulant, vera beneuolentia & omnibus officijs humanitatis complectimur. De hac specie beneficentiæ epistola ad Ebræos inquit, Hospitalitatis ne obliuiscamini, per hāc enim quidam meruerunt angelos hospitio excipere. Reliquæ species carent nominibus, vt ea quę erga Ecclesiam aut Remp. exercetur, item erga pauperes verè egentes.

CAV-

CAVSAE EFFICIENTES.

Efficientes causæ liberalitatis secundum philosophiam sunt rectum iudicium mentis, & libera voluntas obediens recto iudicio. Iudicat enim ratio, necessariam esse beneficentiam, vt seruetur genus humanum, & hoc iudicio confirmata voluntas libenter aliquid confert ad alios iuuandos. Sed nos in Ecclesia has causas recensemus. Prima est Spiritus sanctus accendens in mente lucem, qua agnoscimus facultates esse dona Dei, & ijs vtendum esse eo ordine, quem Deus instituit, videlicet ad propriam necessitatem, ad iuuandos Euangelij ministros, ad conseruationem pacis & disciplinæ, denique ad alendos pauperes verè egentes. Deinde mouens & impellens voluntatem, vt cum voluntate Dei congruat, & iudicio mentis obtemperet. Altera causa est verbum Dei præcipiens de hac virtute, vt Lucæ 6. Date & dabitur vobis. Et Prouerb. 5. Fontes tui deriuentur foras.

Tertia causa est mens iudicans nos beneficentia proximè ad Dei imaginem accedere, & voluntas non grauatim & coactè, sed sponte & libenter alijs benefaciens. Venustè enim à Seneca dicitur, Beneficium morosè datum simile esse pani lapidoso, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum.

Et

Et Paulus inquit, Hilarem datorem diligit Deus.

MATERIA EX QVA.

Materia ex qua non tantùm eſt pecunia, ſed etiam officium, quod vel ſine incõmodo noſtro, vel etiam cum aliquo noſtro incõmodo præſtare & poſſumus & debemus. Ex priore genere ſunt illa, non prohibere aquam profluentem, monſtrare viam erranti, dare conſilium petenti. Hæc qui non communicat, iuſtiſsimè appellatur μισάνθρωπος. Alterius generis exempla ſunt, iniuſtis periculis aliorum affici, eaque pro virili depellere, ſicut Abdias centum prophetas abſcondit in ſpeluncas, vt defenderet eos aduerſus ſæuitiam reginæ Ieſebel.

MATERIA CIRCA QVAM.

Gradus obiectorum diſcernantur. Primus gradus complectitur Eccleſias & ſcholas. Singuli enim pro modo facultatum aliquid conferre debent ad hunc vſum, vt notitia Dei in terris conſeruetur. Ideo lex iuſsit dari primitias & decimas ſacerdotibus, item conferri δίδραχμον ad tabernaculum.

Secundus gradus eſt Reſpublica. Cùm enim gubernationẽ pecunia inſtructam eſſe oporteat, vnuſquiſque partem proportionalem ad defen-

defenſionem diſciplinæ & pacis liberali pectore conferat.

In tertio gradu verſantur parentes, liberi & cognati, ad quos alendos φιλοστοργία nos hortatur.

In quarto gradu ſunt amici, hoſpites, & alij noſtra ope indigentes.

FORMA.

Eſt ipſe habitus, quo iuxta rectam rationem alijs benefacere ſtudemus.

FINES SEV EFFECTVS.

Primus, vt agnoſcamus Deum eſſe beneficum & liberalem in dandis bonis corpori & animæ neceſſarijs, iuxta hæc dicta, Sinit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Item: Quantò magis pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Præclarè igitur Taulerus dixit, animum hominis nunquam tam auidum eſſe ad accipiendum, quin Deus multò auidior ſit ad dandum.

Secundus, vt hac communicatione gratuita officiorum genus humanum conſeruetur. Veriſsimè enim in Græcis verſiculis dicitur, Manus manum lauat, & digitus digitum, Vir virum ſeruat, & ciuitas ciuitatem.

Tertius, vt conſequamur præmia promiſſa exercentibus beneficentiā ſeu liberalitatem.

Matth.

Matth. 10. Qui dederit potum aquæ vni ex minimis iſtorum propter doctrinam, amen dico vobis, habebit mercedem. Prouerb. 5. Erit fons tuus benedictus. Lucæ 6. Date & dabitur vobis. Ad has promiſsiones exempla adiungantur. Vidua Sareptana in maxima difficultate annonæ excipit hoſpitio prophetam, eique cibum præbet. Hoc officium amplisſimis præmijs compenſatur. Non ſolùm alitur familia, ſed etiam eruditur à propheta de vero cultu Dei, & de vita æterna, ſed etiam cuſtoditur multipliciter aduerſus Diabolum. Filius reſuſcitatus fit huius prophetæ diſcipulus, qui procul dubio poſtea vtiliter ſeruiuit Eccleſiæ. Reuixit & filius hoſpitæ Eliſæi, 4. Reg. 4. His igitur exẽplis quæ congruunt cum promiſsionibus diuinis flectantur animi, vt beneficentiam pro modo facultatum exerceant.

CIRCVMSTANTIAE.

Etſi in omnium virtutum officijs plurimũ momenti habent circumſtantiæ: tamen in exercenda liberalitate maximè neceſſaria eſt circumſtantiarum conſideratio. Primùm enim beneficentia ita moderanda eſt, ne cui fiat iniuria, ſicut & ſacræ literæ docent, Deo non placere victimas ex rapina. Teneatur ergo regula, nihil rectè fieri quod pugnat cum iuſti-

iustitia. Deinde non tantùm nostris, sed etiam alienis, nec amicis solùm, sed etiam hostibus benefaciamus. Vt Salomon inquit Prouerb. 25. Si esurierit is, qui odit te, pasce eum pane, & congregabis carbones super caput eius. Postremò ita largiamur, ne alijs sit ignauia & nobis inopia. Hunc modum beneficentiæ nobis autoritas legum præscripsit, vt de fructibus patrimonij iuuemus alios, ita tamen ne ipsi patrimonio exuamur.

COGNATA.

Magna cognatio est iustitiæ & liberalitatis. Vtraque enim consistit in communicatione quadam. Sed iustitia, vt dixi, res debitas ciuili obligatione, liberalitas res non debitas iure ciuili communicat. Etsi autem liberalitas & beneficentia differunt materia, in qua versantur, illa enim adiuuat pecunia, hæc opera: tamen fine ipso conueniunt. Sunt etiam duæ vicinæ virtutes, & inter eadem extrema versantur, liberalitas & parsimonia. Liberalitas dicitur, quæ honestè largitur. Parsimonia est, quæ vitat sumtus non necessarios, & moderatè vtitur re familiari sine luxu & sine sordibus. Vtramque virtutem Deus præcipit. Vt enim de liberalitate dicit, Fontes tui deriuentur foras, sic parsimoniã præcipit cùm addit, Et tu dominus eorum maneto. Et Chri-

ſtus iubet colligi reliquias, cùm populo panes diſtribuiſſet.

PVGNANTIA.

Vitia contraria beneficentię ſunt profuſiones immodicæ, auaritia & inhoſpitalitas. Quòd autē profuſio multos hortetur ad malas artes, docet vetus exemplū. Narrant enim locupletem mulierē, vnicum cùm haberet filium, eumque patre orbatum, ita illum à teneris educaſſe annis vſq; ad adoleſcentiæ florem, vt ipſa indulgente amplum patrimonium turpiſsimè ante viceſimum annum abſumtum ac diſsipatum ab illo fuerit. Adoleſcentem cùm egere cœpiſſet, ſolitum eſſe rapere, furari, iuſiurandū vendere. Captum autem à prætore cùm ad ſupplicium duceretur, impetraſſe, vt ſibi matrem ſine teſte alloqui in via liceret, quæ vbi aurem filio admouiſſet, tum illum mordicus matris naſum apprehenſum auulſiſſe dentibus, atque in humum expuiſſe, exclamantem: Sit hoc, ciues, precium maternæ educationis. Diſcant igitur matres aliæ liberos ſuos bonis artibus educare. Non enim prætor, ſed mater me mea ducit ad ſupplicium.

Catilinam quoq; ad coniurationem contra patriam inter cætera inopia rei familiaris ſtimulatum ferunt, cui profuſiſsimo & ſum-

tuosissimo nihil satis erat. Nam sub Sylla multa rapuerat, multa à Sylla dono acceperat.

De auaritia teneatur Pauli dictum, auaritia est radix omnium malorum: & illud Ciceronis pro Quintio, Nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non auaritia comminuere atque violare soleat.

EXEMPLA LIBERALITATIS ET HOSPITALITATIS.

Ptolemęus Philadelphus plures quàm centies mille Iudæos, partim à Persicis regibus, partim à patre Ptolemæo Lagi captiuos in AEgyptum perductos, atq; ibi seruitutem seruientes liberauit, numerans pro singulis captiuis λύτρον, duodecim Coronatos ex fisco regio. Idem missis legatis cum magnificis muneribus ad Eleazarum summum sacerdotem, postulauit 72. Iudæos mitti, qui transferrent ex lingua Ebræa in Græcam scripta Moysis & prophetarum. Eos postea opere perfecto amplissimis donis ornatos, domum remisit cum mēsa aurea templo dicata, & alijs ingentibus donis. Huius munificentia erga doctos celebratur à Theocrito Idyllio 17.

Quin potius docta præstantibus arte canendi
Munera contribuit se digna, nec arte minora.

Cimonis liberalitas multorum literis & ser-

mone celebrata est. Nam Cratinus Comicus dixit, Ego sæpe optaui cum viro diuino & liberalissimo erga hospites, & omnium Græcorum optimo, vitam traducere. Sed hanc spem cogitationum inopinatus viri obitus fefellit. Et Critias vnus ex triginta tyrannis, à Deo hæc tria precatus est, opulentiam Scopæ, liberalem animum Cimonis, & Agesilai clarissimas victorias. Gorgias etiam Leontinus crebris sermonibus hanc sententiam repetiuit, Cimonem ita possidere opes, vt ijs vti sciret, vsum verò diuitiarum huc referre, vt esset in honore.

Euander apud Vergilium excipiens hospitio AEneam suauissimè inquit:

Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum
Finge deo, rebusq; veni non asper egenis.

Ouidius laudans hospitalitatem Philemonis & Baucidis inquit:

---- Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperq; voluntas.

CAPVT II.

Argumentum.

HOC *caput discernit liberalitatem à magnificentia, & hanc definit, eiusdemq; extrema demonstrat. Cùm autem exempla præcipuum lumen huic*

disputa-

disputationi afferant, repetam breuiter particulam historiæ de Lucullo & Augusto, quorum vterque fuit magnificus. Lucullus in suo armario, vt ita dicam, ad quinq; millia scenicarum vestium habuit. Tulit inter alias splendoris & magnificentiæ laudes hanc quoq;, comparata numerosa & ornata bibliotheca, quæ cunctis pateret, statutis etiam porticibus ad deambulandum. Idem aliquoties conuiuium instruxit, cuius precium æstimatum est coronatis mille ducentis quinquaginta. Augustus Cæsar cōdendis aut instaurandis templis, exornanda vrbe omni genere magnificentiæ adeò excelluit, vt iure gloriatus fuerit, vrbem se marmoream relicturum, quam lateritiam accepisset.

TEXTVS.

SEquitur vt de magnificentia differam. Magnificentiæ nomen ipsum, qualis ea sit, declarare nobis potest, & in quo etiam à liberalitate differat. Nam cùm à magnis faciendis nomen ei sit inditum, in [a] magnis eā sumtib. versari par est. Neque enim tenui impēsa fieri magna possunt. Quocirca materiam ipsam, in qua versatur, habet cum liberalitate communem, neq;

[a] Basilius Homil. 6. in 1. cap. Genes. Magnitudo duplex est, alia absoluta, vt Sol est magnus per sese, etiā sine collatione cum alijs stellis. Quædā relatiua, vt magnus equ⁹ aut bos, qui in suo genere magnus est.

enim nisi è pecunia sumtus fiunt.

τριηράρχῳ, καὶ ἀρχιθεωρῷ) τριήραρχος dicitur, qui suis sumtibus instruit triremem, id est, nauem, quæ habet tres ordines remorum. Θέωροι Athenis dicebantur, qui publicè cùm Delphos, tum aliò mitti solebant.

Ac tametsi fortitudo quoque magna ex se præstat atq; efficit, alijs tamen versatur in rebus. Fortis enim obeundis periculis magna facit: at magnificus magnis faciendis sumtibus magnus euadit. Quamobrem magnifici opera videntur, nobiles ædes, egregia templa, theatra, porticus viæ stratæ, moles in mare iactæ, & si qua sunt alia generis eiusdem, quarum rerum nihil ad liberalem pertinet. Confert enim hic pecuniam solùm, vt det, ac dando alijs prosit, magnificus autem magis impendit quæ dat, & sumtuosus potius quàm dator videtur, tametsi sumtus quidem ipsi è dandi sunt genere, & qui magnificus est, sit idem liberalis, quamuis non statim qui liberalis est, sit & ipse magnificus. Siquidem liberalitas à magnificentia magnitudine superatur.

Præterea liberalis ergà alios, non aduersum se liberalitatẽ exercet, cùm magnificus etiam sibi sumtuosus sit, vt cùm egregias sibi liberisque domos, aut amplas villas ædificat, porticusq;

eusque priuatas statuit. Quibus è rebus facilè apparet, in quibus differant, in quo etiam cōueniant liberalitas & magnificentia, de qua nobis differendum est.

Ea, vt arbitror, mediocritas quædam est in sumtibus & quidem magnis cum delectu faciendis, quanquam nec omnibus, nec eadem via. Recedunt autem ab hac ipsa mediocritate genera hominum duo, & qui dicuntur modici, cùm non satis pro dignitate ac decore sese gerant, & qui faciendis sumtibus expleri nesciunt. Quorum nomen etsi hactenus non satis proprium habetur, appellari tamen eos ventosos à quibusdam animaduertimus, licet ijdem ipsi etiam in ijs, quæ magnificentiæ non sunt, profundendis pecunijs mirificè delectentur. Modicitas autem ipsa, aut ab animo, qui in eis pusillus est, oritur, aut ab angustijs rei familiaris, & illius quidem voluntas est in culpa, huius externa vis, & ea necessitas quæ alumna est inopiæ. Quo fit, vt pauper magnificus esse nequeat. Sunt enim ipsæ diuitiæ instrumentum magnificentiæ.

At ventositas & vitium illud, nondum suo nomine satis expressum, inexplebilis profusionis in huiusmodi sumtibus, ab animo totum est. Ac tametsi facultates ipsæ defuturæ non sunt, quod difficillimum videtur in tanta dissipatione, tamen quæ laus eius esse po-

test, qui modum ac mensuram sponte abijcit, qui nullum denique delectum habet? Est enim vt rerum cæterarum, sic sumtus ratio tenenda, & operum ac munerum delectus habendus. Nam etsi magni sumtus magnificum decent, quando sine ijs magna fieri nequeant, nihil tamen iure magnum in ijs, quæ ad laudem pertinent, dici potest, quod modo ac mensura sua careat. Peccatur igitur hac in parte primùm, quòd nec modi, nec mensuræ ratio habeatur. Deinde quòd pecuniæ ipsæ, nec quibus in rebus oportet, nec honesti gratia effundantur. Quo fit, vt huiusmodi homines perdant pecuniam, & per infamiam dissipent, non ea magnificè vtantur, atque id totum quod agunt, ad turpissimam voluptatem ostentationemq; referant, dum aut magni animi videri volunt, aut diuitias suas ostentant, non minus turpiter quàm inaniter, à quibus quidem ipsis delectum nullum haberi, multa docent. Quippe cùm in ijs, quæ aut parum honesta sunt, aut quæ publicè priuatímve nullo modo conducunt, aut in quibus nihil veræ laudis, nihil inest decoris, effusissimi sint. Ac tametsi hæc ipsa fortasse insunt, tamen dum [b] ostentare pecunias & facultates suas volunt, atque ad sui admiratio-

[b] Plutarchus in vita Themistoclis: Sicut nihil valet Musi-

mirationem trahere multitudinem studét, alium quàm qui magnificentiæ esse debet, finem quærunt, & prę ter modum ac decus plurima effundunt, cùm ijdem ipsi, in quibus largos esse par esset, manum sæpe contrahant.

cus absurdè (παρὰ μέλος) canens: ita nihil valet gubernator contra leges (παρὰ νόμον) faciens.

οἷον ἐρανιστὰς) Athenæus lib. 8. ἔρανοί εἰσιν αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγαί: ἀπὸ τοῦ συνερᾷν καὶ συμφέρειν ἕκαστον, id est, ἔρανοι sunt conferentiũ symbola, sic dicti à mutuo amore & collatione vniúscuiusq;.

τὸν πλοῦτον ἐπιδεικνύμενος) Eloquentiæ & opulentiæ ostentatio odiosa est. Nam dicere, vt ait Cicero, nunquam est gratum, nisi cùm est necessarium. Et Ezechias rex accusatur à Propheta Esaia propter ostentationem suæ opulentiæ.

Quid, quòd in paruis persæpe, & in quibus minimè decet, suprà quàm par est, multa conferunt, in magnis autem nunc nimij, nũc remissi admodum sunt? Adeò nihil cum ratione agunt, nihil retinent pensi. His dictis ad magnificentiam redeamus.

Ipsa animi magnitudo, quam inesse magnifico dicimus, non solùm in faciendo sumtu, verumetiam in ipsis, quæ fiunt operibus, perspicitur, quæ magnitudinem ipsam vt testentur oportet. Quocirca in primis viden-

dum est, vt ea sumtibus respondeant, sintq; vt sumtus magni, sic ipsa quoque magna ac digna sumtibus iudicentur. Esset enim vanum, & multa reprehensione dignum, id omittere, vt quæ magnitudo in sumtib. perspecta est, ea in operibus, propter quæ tanti facti sumtus sunt, non solùm non perspiciatur, verùm etiam ab omnibus desideretur. Quin etiam id esse magnifici ingenium, ea voluntas & studium debet, vt dum operis dignitati consulat, sumtuũ ipsorum obliuiscatur. Quippe qui id solum cogitet, qua ratione susceptum opus pulcherrimum euadat, cùm sit modici hominis pecuniæ in ijs parcere, ac computandi & comparcẽdi ratio sit ab eo longè aliena. Neque enim aliter opera ipsa euasura sunt cum dignitate ac decore. Est & hoc præstandum, vt illa visentibus ac contemplantibus admirationem pariant.

Sumtus autem ipsi suscipiendi sunt honesti gratia, quod vt virtutibus cæteris, sic magnificentiæ propositum esse debet, secus enim ne opera quidem ipsa probari rectè possunt. Et quoniam magnificentia in sumtibus magnis faciendis versatur, necesse est hanc ipsam magnitudinem cum primis sumtuosam esse, etiam cum dignitate, sine qua nec admirationi esse, nec commendari rectè potest. Dignitas autem ipsa rebus his præcipuè comparatur,

tur, ornatu, amplitudine, materiæ præſtantia, operis perennitate. Quod enim caret ornatu, ac puſillum eſt, quodq́; vili conſtat è materia, nullamq́; perennitatam promittit, magnum profectò neque eſſe poteſt, neq; haberi iure debet.

Ipſa autem dignitas, de qua nunc agimus, nec vno modo conſideranda eſt, & pluribus ſimul rebus comparatur. Nam & autoris perſonæ ratio habenda eſt, ac videndæ facultates, ne ridiculus fiat, ſi aut ſui maiorumq́; obliuiſcatur, aut operi incepto facultates maximè impares ſint. Decent enim reges regia, & magnos ſumptus facere eius eſt, cui pecuniæ affatim ſuppetant. Secus autem agere quid eſt aliud, quàm à recta ratione longius deflectere? Videndum eſt igitur, vt ſumtus pro facultatibus fiant, & opus ipſum autorem deceat.

Porrò magnificorum opera aut ſunt publica, aut priuata. Publica, vt porticus, templa, moles in mare iactæ, viæ ſtratæ, theatra, pontes, & eiuſmodi alia. Priuata, vt ædes magnificæ, villæ ſumtuoſæ, turres, ſepulchra. Quo fit, vt qui magnifici ſunt, in illis præcipuè verſentur operibus, quæ diutius ſint permanſura. Quò enim diuturniora, eò præclariora ſunt, & eorum quidem vſus quò diuturnior, eò magis & opera, &

auto-

autores ipſos commendat. Etſi autem magnificentia in publicis maximè operib. eminet, tamen cū vrbanas ædes, tum villas magnificè ac pro dignitate ſtructas, exornatasq́; habere magnificum volumus, quæ & vrbi ſunt ornamento, & domino pariunt autoritatem. Nuptias etiā inter priuata numeramus opera, in quibus celebrandis, ſingularis quidā ſplendor & magnificentia adhibenda eſt.

Ac ne aliqua ſibi è parte magnificus deſit, ſiue in magnitudine præ ſe ferenda, ſiue in dignitate retinenda, admirationeq́; comparanda, metiri eum & expendere oportet, quid Deo, quid etiam hominibus debeatur. Quid enim decentius, quàm cum Deo immortali magnificè agere? Sed hæc de Magnificentia dicta ſint.

ἡ ἕξις) Habituum differentia aliàs à ſubiectis, aliàs ab obiectis, aliàs ab effectibus ſumuntur.

ἄξια γὰρ δεῖ) Cicero pro Flacco: Hæc ratio ac magnitudo animorum in maioribus noſtris fuit, vt cùm in priuatis rebus ſuisq́ ſumtibus, minimo contenti, tenuiſsimo cultu viuerent: in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam, ſplendoremq́ reuocarent. Quæritur enim in re domeſtica continentiæ laus, in publica dignitatis.

ἀντιδωρεὰς) Rectè Iuriſconſulti dicunt, naturaliter nos obligari ad *ἀντίδωρα.*

CA-

CAPVT III.

Argumentum.

INITIVM *huius capitis docet, materiam magnanimitatis eſſe honorem magnum. Altera pars recenſet magnanimi* προσκείμενα. *Poſtrema pars confert inter ſe extrema magnanimitatis, quorum alterum eſt puſillanimitas, alterum inflatio. Exemplum verò illuſtre huius virtutis in Themiſtocle propoſitum eſt, qui noctu ambulabat in publico, quòd ſomnum capere non poſſet, quærentibusq; reſpondebat, Miltiadis trophæis ſe è ſomno ſuſcitari.*

TEXTVS.

QVòd magni ſit omnino animi in [a] magnis verſari, ac maximè claris actionibus, nomen ipſum magnanimi præ ſe fert, ipſiusq; magnanimitatis appellatio. Itaque neq; impropriè fortaſſe, neque parũ aptè definierimus, Magnanimitatem mediocritatem eſſe quandã, circa

[a] Ariſtoteles in libello de Poëtica: καλὸν ἐν τῇ τάξει, καὶ ἐν τῷ μεγέθει ἐστὶ, id eſt, Pulchritudo ſeu dignitas, ſeu dec⁹ ipſum cõſiſtit partim in ordine, partim in magnitudine. Ideo Euripides ſic definiuit mundum: κόσμος ἐστὶ καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σο-

ho-

honorem illũ quidem magnum, quo se iure dignũ, ac bene meritũ putetis, qui magnanimus verè dicendus appareat. Nam praui honore sunt indigni, qui si honorari ob virtutẽ velint, seq́; honore dignos putẽt, nimirum ridendi omni è parte sint perinde vt stulti, stolidi, desipientes, quæ vitia à magnanimo quàm longissimè abesse quis nõ videat? Sunt autem alij, quos appellare modestos solemus, qui nec maiora expetunt, quàm quibus se dignos statuunt, & gerendis illis idoneos, pro æstimatione de semet sua, suoq́; iudicio modum retinentes. Hi tantum ac fortasse amplius distant à magnanimo, quantum à procero & eminenti corporis statu, qui sunt breuiore. Idem enim vsu venit in magnanimitate, quod & in pulchritudine, quæ nisi magno in corpore inesse nequit. Quemadmodum igitur pusillo in corpore inesse nullo modo potest formæ dignitas, quamuis decor fortè insit aliquis, aut venustas, sic pusillo in animo & perquam demisso nulla omnino magnitudo aut dignitas, nulla prorsus celsitudo, aut maxi-

φοῦ. Id est, mundus est opus præclarũ, & magna varietate distinctũ à sapiente artifice.

τῷ μεγέθει ἄκρος) Alludit ad admonitionem de medio suprà traditam: Virtus est mediocritas respectu extremorum: Eadem verò est ἀκρότης respectu graduum suæ rationis.

maximas ad res aggrediendas honesta ac viro digna inesse commotio.

Qui verò animo turgescenti ac vasto, longeq; amplius quàm quod æquum & honestũ est, de seipso sentiente, lineam prætergreditur, eum tumidum vocabimus. Neq; tamen existimandum est, quicunque se maioris censeat, tumidum illum esse. Contrà qui animo degeneranti sit ac pusillo, longiusq; recedat à medio, pusillanimum, defectumq; ipsum pusillanimitatem.

Porrò magnanimus, si magni habeas paruiq; rationem, summo quidem in gradu constituitur, ac nihilominus magnitudine in ipsa, recta à ratione nullo modo digreditur, qua duce seque & illa dignam retinet mediocritatem.

Et quoniam magnanimus in magnis versatur rebus, quærendum est quæ sit eius materia, & quasi campus, in quo spatietur. Is ipse autem est honor, quo in ciuitatibus nihil habetur aut existimatione [b] maius, aut amplitudine etiam dignius.

[b] μέγιστον τ῀ ἐκτὸς ἀγαθῶν.) Honor summũ est & maximum inter bona externa. Est autem honos notitia approbans aliquid propter mandatum Dei, & diligere illud iuxta ordinem à Deo sancitũ. Hæc notitia & approbatio in mente, & dilectio ac subiectio in voluntate sunt pro-

propriè honos. Deinde ſigna externa honoris quæ ſint, notum eſt, vt flectere genua ſignificat ſubiectionem ſui in voluntate.

Si enim dijs, pontificibus, regibus, ſummis ſi magiſtratibus honos exhibetur, ſi & virtuti vt dignum precium, gratiæque conſentanea relatio, primum quidem tenere locum, humanis eum ciuilibusque in rebus oportet, maximumque omnino eſſe bonorum externorum omnium, atque vt maximum, ſic etiam pulcherrimum, ſummeque expetendum. Nec verò magnanimus, ſi quid honore eſſet maius, eo eſſet vtiq; contentus. Nam & minores honores ſpernit oblatos, cùm intelligat poſſe ſibi maiores tribui, ſeque maioribus dignum, dedignaturque illos omnino capere quos tamen libenter etiam accipiet, ac longè interdum minores, vbi ab illis, qui eos offerant, conferri nullo modo maiores poſſe cognouerit.

τὸ ἐν ἑκάςῃ ἀρετῇ μέγα) Sic Pindarus in Oda 1. Olymp. Hieronem laudat Siciliæ principem: δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετῶν ἀπὸ πασῶν. Decerpit ex omnibus virtutibus ſummum decus.

Rariſsimi autem ex omni genere virtutum euadunt magnanimi, cùm neceſſe ſit, quod affluentiſsimorum eſt fontium, ſcatere vt illos aquis, ſic hos virtutibus multis ac diuerſis, vt verè quidem liceat dicere, ſpectare ad

magna-

magnanimum quicquid quacunque in virtute, & quibuſcunque in actionibus inſit pręclarum, excellens, maximum ac maximè omnium commendatione dignum, ſitq́; neceſſe magnanimum ornari ea corona, quæ virtutum omnium nobiliſsimis ſelectiſsimiſq́ue è floribus ſit contexta. Ac vt ipſa ornamẽtum eſt virtutum cæterarum omnium (illuſtrat enim illas, multoq́; ſpectabiliores facit) ſic corona ſeſe hac inſignit, & ex ſingulis præcipuum decus decerpit.

ἀρετῆς γὰρ παντελοῦς) Vt nemo parem honorem reddere potuit fortiſsimo principi Philippo Duci Bauariæ, Comiti Palatino, cuius conſilio, ſumma celeritate, præſidium contra Turcas, cùm irrumperet in Auſtriã, anno Chriſti 1529. comparatum eſt, & defenſa Vienna, & immaniſsimus hoſtis repreſſus, & à ceruicibus noſtris depulſus.

Eſt etiam magnanimi proprium ita lætari proſperis, vt ne id quidem [c] nimis, eumq́; ſeſe in illis gerere, rerũ vt humanarum nullo modo videatur im̃emor: ita etiã cõmoueri aduerſis, vt nullo pacto concutiatur, deq́; gradu deijciatur ſuo.

[c] Cic. 5. Tuſcul. Hic eſt ille moderat⁹, hic fortis, hic ſapiens, hic & naſcentibus & cadentib reliquis cõmodis, parebit & obediet præcepto illi veteri. Neque enim lætabitur vnquã, neque mœrebit nimis. Liuius lib. 5. Dec. 5. Is de-

mum vir erit, cuius animum nec proſpera flatu ſuo efferet, nec aduerſa fortuna infringet. De eadem moderatione in vtraque fortuna etiam Horatius præcipit inquiens:

AEquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam lætitia.

Item:

Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare, ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

μετρίως ἕξει) φόβος οὐκ εἴα τελέως με φρονεῖν, οὐδ' εὐφραίνεσθαι ἐκπεπταμένως. Cyrus moriturus apud Xenophontem lib. 8. παιδείας.

Cæterùm [*d*] fortuna magno eſt adiumẽ to magnanimis. Itaq; & potentia & diuitiæ, & claritas generis, quę fortunę dicũtur bona, vbi [*e*] aderunt magnanimo, cùm & ipſa quoq; honorem afferant, quis dubitet vel plurimum etiam conferre ad exornandum eum honeſtandumq́;?

[d] Lyſander apud Xenophontẽ in OEconomico, Rectè, inquit, te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt. Sic Callimachus precatur: δίδου δ' ἀρετήν τε, καὶ ὄλβον. Ingens. n. ornamentũ eſt virtutis florens fortuna. Sicut gẽma inſerta auro magis fulget, vel poma aurea in lance argentea fiunt cõſpectiora.

[e] ἄμφω ὑπέρχει) Duo bona potiora ſunt vno. Virtus & res ſecundæ ſunt duo bona. Ergo

hæc

hæc coniuncta magis sunt expetenda. Vt omnes magis expetimus gloriam Ioseph euecti ad regni fastigium, quàm curriculum Ieremiæ plenum ingentium ærumnarum.

Cùm enim & nobilitas & opes in ciuitatibus, & rei familiaris copia habeantur in precio, multiq; præsidijs indigeant diuitum, nobiliumq; familiarum patrocinijs, vt ij honorentur admodum necesse est. Itaque si adminiculetur magnanimo accesſio ipsa tum generis potentiq; tum diuitiarum, hisq; etiam è rebus honor accumuletur, (quanquam verus honor debetur tantùm virtuti, quòd animi bonum est) tamen huic ipsi bono & pulcherrimo & honestiſsimo cùm accesserint etiam fortunæ bona, nimirum virtus ipsa, tantò & conspectior erit, & honorabilior, quantò & precium & honor accrescit etiam gemmæ, vbi auro exornatur.

Qui verò sine virtute huiusmodi bona possident, non rectè magnanimi appellantur, cùm magnanimitas plurimarum virtutum copulationem desideret. Fiunt enim contemtores aliorum hominũ et petulantes, quia sine virtute non [f] facile est æqua cõmoda mẽte pati. Itaq; fortunę fauore elati alios homines ex alto de-

[f] Xenophon lib. 8. παιδ. Longè difficilius est, inuenire virum bona eleganter ferẽtem quàm mala.

ſpiciunt, & infinitã licentiam ſibi ſumunt.

Nam res ſecũdæ multos impellunt, vt fiãt audaciores & petulantiores. At res aduerſæ eã vim habent, vt omnes ſanos ad modeſtiam flectant.

ὀ πράττουσι) Polybius, de inepta imitatione, eleganter dixit: Multi opera florentiſsimorum hominum non ſtudent imitari, ſed imitantes πάρεργα producunt in theatrum ſuam ſummam inſcitiam.

Sed redeamus ad magnanimum, qui vt eſt rariſsimarum omnino delector rerum atque etiã admirator (neque enim quæ parua ſunt pericula vt ſeſe indigna adit, & quia non multa ſunt, quæ ab eo magna exiſtimentur, idcirco rara etiã ſunt, quæ ab illo adeantur) adibit illa tantùm, quæ magna quidẽ ac ſe digna duxerit, in quibus vtiq; illuſtrari abunde decenterque magnitudo eius poſsit cum dignitate atque excellẽtia, in illisq; præcipuè eniteſcere. Quod vt aſſequatur, euadatq; voti compos, vitæ ſuæ minimè parcet, ſecus enim vita ſe indignum putet, ducatque indecorum viuere.

οὐδὲ φιλοκίνδυνος) Cicero in 1. Off. Fugiendũ enim illud ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Et lib. 3. ad Herenn. Deus non eſt auxilio ijs, qui ſe inconſultò in pericula mittunt. Et Columella lib. 1. Quemadmodũ ſapientis eſt fortuitos caſus magno animo ſuſtinere: ita amentis eſt, ipſum ſibi facere malam fortunam.

Quan-

Quando autem eius, qui beneficium accipit, partes ſunt omnino inferiores, dantis verò ſuperiores potioresque, idcirco magnanimus non libenter aut accipit ipſe ab alijs, aut precatur ac rogat. Vult enim nullo modo ſubijci, ſed quod magni ſtatuit eſſe animi, partes vbique & habere & gerere ſuperiores, eiusq; qui alijs præſtet. Itaque quàm benefaciendo delectatur, tam ipſe recuſat, parumq; omninò honeſtum ducit, ac nullo modo ſuum, ab alijs accipere, fierique obnoxium. Tantum verò abeſt, vt de referenda ſibi gratia, deque remunerando ſit ſolicitus, vt ſi quando quod vſu venire neceſſe eſt, beneficio ſe affectum ſenſerit, eueſtigio det operam, quò ſe ab obligatione liberet, properetque ad remunerandum. Eſt enim eius, qui antecellere cæteris cupiat, nolle cuiquam debere, minimeque alijs eſſe obnoxium. Quin illud præcipuè cauebit, euitabitque tanquam ſcopulum, ſupplicem ſe cuiquam facere, aut rogantis perſonam induere. Ad hæc libenter commemorat, quæ à ſe extent benefacta in alios, non vt qui exprobret, aut qui arrogans videri velit, ſed vt qui commemorando ea delectetur, ipſaque recordatione ac memoria excitetur magis magisque ad eiuſmodi benefaciendi conſuetudinem. Quo fit, vt aut ipſe rarò, aut vix aliorum in ſe benefacta commemoret,

non quia ſit aut ingratus, aut malè illorûm memor, ſed quòd accepti beneficij memoria teſtificatio ſit quaſi quædam ab alio ſe in eo magnitudinis genere ſuperatum.

Quia verò eorum, qui in ciuitate viuunt, alij in dignitate quidem agunt, multis ornati diuitijs, magnaq; in rerum affluentia conſtituti, alij autem contra ſordeſcunt inopia, humilitate ipſa preſsi, atque inter hos ſunt etiam, medium qui locum teneant, vir ipſe magnanimus eum ſe ſtatuet geretq; apud diuites & opulentos atq; in dignitate conſtitutos, vt inſitam illam à natura, moribuſq; confirmatam animi magnitudinem non retineat ſolùm, ſed vt ſingularem operam, ſtudium, contentionem adhibeat quacunque in actione & munere, quò magnus ipſe exiſtat & generoſus, atque apud præſtantiſsimos quoſq; multò maximè & præſtans & glorioſus atque inter illos inſignis.

Mediocribus verò cum hominibus eadem nequaquam ab eo ratio habenda eſt, neq; eadem apud hos adhibenda contentio, quando magnis qui ſit aſſuetus, facilè admodum mediocritatem retineat, quam tamen ita retinebit, vt intelligant omnes, magnis quidem eum atque excelſis delectari, ſequi tamen apud illos modeſtiam ac temperamentum, quò eis ſatisfaciat magis quàm ſibijpſi, quan-

quam & ſibi quoq; ipſi, ne videlicet à decoro recedat.

Nã quod ad infimos ac plebeios pertinet, licèt magnanimi locus pro illa animi celſitudine ferè nullus apud eos ſit, tamen à magnitudine illa ſua ſic diuertet aliquando, vt conſeruata dignitate pro loco ac tempore, minores ſeſe ad res accommodet. Quale igitur futurum ſit magnanimi ſtudium, quæ etiam ratio aduerſus eos, quibus cum verſabitur tenenda, ex ijs quæ dicta ſunt iudicari facilè poteſt.

Omnino autem qui magnanimitatem ſequi volent, [g] veritatis potiſsimùm cultores erunt. Non metus illos coget occultare ſententiã, nõ vtilitatis ſpes, rem ipſam intuebuntur, ſeque dignos mores amplectentur, magis quàm popularẽ illã, quam plærique ſequuntur, aſſentãdi tũ leuitatem tum malitiam, dummodo obſequijs adulandoq; conſulant emolumentis proprijs. Verax igitur erit magnanimus, neq; aut ſe populari metietur iudicio, aut ſua ad aliorũ referet opinionẽ.

[g] Viros fortes & magnanimos, eoſdẽ bonos & ſimplices, veritatis amicos, minimeq; fallaces eſſe volumus, Cicero Officio.1. Sic apud Homerum inquit vir heroicus: Odi etenim ceu clauſtra Erebi, quicũque loquuntur Ore aliud, taciteq; aliud ſub pectore condunt.

Idem vt veritatis cultor, sic amoris odijque neque simulator erit neq; dissimulator. Nam simulare aut dissimulare beneuolentiam deceptoris est, fraudemque parantis hominis. Eadem quoque est odij ratio. Itaque naturale videtur esse magnanimi, palàm odisse, palàm etiam amare. Nam vt quispiam vel amet clàm, vel odio afficiatur in aliquem, necesse est à metu proficisci, metus verò à magnanimo maximè alienus est. Vbi enim magnitudo, inde metum abesse oportet. Tantas has virtutes, præclarissimamque hanc animi indolem, illa quoque vel fidelissimè comitabuntur, palàm etiam vt loquatur & agat, quippe cui fictum omne molestum sit, maximeq; indignum appareat. Quemadmodum autem apertum eum, insidiarumque inimicum esse volumus, sic omnino ab adulationibus alienum. Quid enim adulatoribus vendibilius? dicam etiam seruilius?

Atqui videri, quod de amore dicimus, deque maleuolentia immoderati potest magis, quàm magnanimi atq; à mensura recedentis. Quocirca quod dicimus tale est, vt velimus eum palàm diligere, [h] palàm odisse, hoc est, liberum esse à simulatione, fraude, minimeque esse versi-

[h] Apud Ennium vir heroicus ita loqui tur, Eo ingenio nat⁹ sum, amicitiam atq; inimicitiam in frõte promtam gero.

pellem,

pellem, neutramque in partem fingere, quæ omnia generosis ab animis aliena esse debent. Namque simultatibus, hoc est, tacitis vti odijs, omnino dedecet magni animi virum, dedecet etiam & quem amet ignotum esse velle, quippe cùm ipse in luce viuat. Quòd si magnanimitas virtus est, vt in colenda veritate, sic in amore odioq; declarando, modus etiam suus, suaque mensura à magnanimo retinebitur, decoro vt satisfaciat. Nec verò odium compellet illum ad maledicentiam contumeliasque, nec querulum faciet apertiloquentia aut vanum, minimè verò obtrectatorem, aut conuiciatorem, ab omni denique acerbitate abhorrentem eum volumus, præterquam si in turpem aliquē ac dedecorosum sit inuehendum. Nam si palàm odit, & palàm, vbi locus ratioque ipsa tulerit, vitia insectabitur.

Meminerit tamen magni esse animi, eiusque qui præter honorem cuncta despicit, & [i] placabilita-

κακόλογος) Ouid. lib.3. de Ponto:

Liuor iners vitium, mores non exit in altos,
Vtq; latens ima vipera serpit humo.

Est autem præsentissimum huius pestis ἀλεξιφάρμακον descriptũ in versiculis optimi poëtæ Stigelij:

Pascere liuor iners odio, saturare furore,
Mors tua mox Christum facta colētis erunt.

[i] Seneca in primo de Ira: Necquic-

tem vbique seruare, & iniuriarum facilè obliuisci. Itaque odium eius neque tenax erit, neq; diuturnum.

quam magnũ est, nisi quod simul & placidum. AEschines contra Ctesiphontẽ: Pulcherrimum disciplinæ pręceptum est obliuio iniuriarum. Cicero 1. Officior. Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atq; clementia.

Quid enim indignius, quàm iniuriarum perpetuam habere memoriam, vulneraq; refricare post obductã etiam cicatricem? Idem igitur vt facilè ponet odium obliuiscetur que iniuriarum, condonabitque placabiliter indignè admissa, sic & à maledictis conuitijsque abstinebit, ac præsertim querimonijs, quæq; etiam homine indignæ sunt conquestionibus.

τὰ καλὰ καὶ ἄκαρπα) Cicero 1. Off. Ea virtus videtur præstantis in Rep. viri: quæ est fructuosa alijs, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certè gratuita.

Minimè autem magnanimus ipse aut prędicator rerum est suarum aut recitator. An igitur qui sibijpsi, laudibusque parcit suis, delectabitur maledicentia? Quique neque captator est laudum, neque earum curiosus, studebit ne obtrectationibus atque conuicijs? quod muliebris est ingenij. An qui laudatoribus vix aures suas aperit, patefaciet ne eas

aut vituperantibus alios, aut linguam ipse suam ad criminandum exacuet? Et cuius oratio & rara est & parca, & commendandis aliorum benefactis breuis, anne erit in opprobrijs atque vociferationibus intemperata & multa?

Nec verò prædicator ideo non est alienorum facinorum magnanimus, quòd aut illis inuideat, aut quòd occulta ea esse cupiat, sed quia propter animi sui excellentiam, cùm nihil ei videatur magnum, non est admirator alienarum laudũ ac benefactorum, nec etiam commendator suorum.

Cùm igitur pauca sint admodum, quæ admiretur, quæque digna se esse ducat, pauca omnino aggredietur, atq; ea quidem tantùm, quæ ardua, præclara, prorsus magna iudicet. Cùm enim in animi sui celsitudine reponat omnia præclarisq; in actionibus, potius gaudebit rebus claris & magnitudine sua dignis, quàm fructuosis illis, & ad lucrum mercaturamq; comparatis.

Agè verò, ne plura commemorando lectori molestus sim, sic statuo, commotiones viri magnanimi tardas esse debere ac sine vlla leuitate. Quæ enim magna, tarda, præ magnitudine videlicet sua. Deinde vox etiam grauis sit & plena, cuius omnino sonus nihil habeat muliebre, nihil puerile aut languidum. Quid

enim

enim in magnanimo languore indecentius, aut abhorrentius petulantia? Deinceps oratio quoque ſibi conſtans & nullo pacto aut præpropera erit aut temere errans, temperandaq́; linguæ volubilitas. Qui enim maximis de rebus eſt ſollicitus, ac neq; multis aut leuibus, ſed paucis potius ac maximè grauibus intentus eſt, huic nullo pacto videatur cõuenire dicendi celeritas & quædã quaſi præcipitatio, cùm minimè quidem ſit ei properandũ propter rerum tum magnitudinem, tum etiam raritatem, quoniam, vt dictum eſt, magnanimus niſi magna non complectitur, & præſtantia, quæ quidem ipſa pauca per ſe ſunt, aut non omnino multa. Etenim magno qui grauatus eſt pondere, is onere ab ipſo ne properet, impeditur, & qui paucis occupatus eſt, huic feſtinatio parum eſt neceſſaria.

Ad hæc neque acrimonia, neque maior vehementia orationi eius ineſſe debet, torrensq́ue ille orationis ab eo prorſus alienus. Nam neque verbis ipſe inititur, verùm rebus ipſis potius, & collectio illa verborum, efferendæq́ue orationis vehementia, videntur de animi eius magnitudine haud parum detrahere, cùm fucare videatur velle orationem, atque illius fuco trahere alios in ſuam ſententiam. Itaque & oratio & verba, & motus ipſe corporis, geſtus, ſtatus, retinebunt vbique viro

dignam

dignam grauitatem, ac pensum magnitudini ipsi consentiens.

Quæ igitur & qualis magnanimitas sit, hactenus explicatum est, qua vt virtus nulla est rarior, sic Deo fortasse nulla est similior.

Verùm quò magnanimitatis ipsius species honestior magisque augusta appareat, vitia ipsa quæ sint & qualia, defectus scilicet atque excessus, qui sint & quales tum pusillanimi, tum qui dicantur tumidi, ordine suo aperiam.

Pusillanimus igitur omni è parte despicabilis, abiectus, degener, cuius animus, quamuis sit ipse ignobilis ac pusillus, seque deijciat, tamen longè etiam minoris seque resque facit suas. Itaque vel inferiorem quàm ipsius captus est, sese in cunctis gerit, etsi aut propter generis nobilitatem, aut maiorum merita, aliisve de causis ampliora forsitan mereatur, etiam aliorum iudicio ac sententia. Quocirca eò despicabilior est, quòd nequaquam ob inscitiam atque insipientiam, verùm ob innatam ignauiam atque timiditatem non moueatur ad ea consequenda, quæ & suapte natura appetenda sint, & ipse sese dignum illis esse intelligat, qua è re deterior quoque efficitur. Nam cùm ex honesta rerum laudabilium administratione virtus perficiatur, dum administrationes ipsas fugit, & laudabiles &

les & bonas actiones fugit. Itaque ignauus inersque sit necesse est, adde & improbus. Quid enim improbius, quàm quod commendatione dignum, honestum, pulchrum ac bonum sit, nolle id agere, longiusque ab illo per desidiam fugere?

Secus autem inflatus ac tumens, qui præter omne meritum, & magnum sese censeat, cùm minimè quidem sit, & præclaris atque excelsis dignum, cùm sit illis omni è parte impar, minimeque idoneus. Itaque quod iniquus suimet ipse sit æstimator, sua falsus opinione, deceptusque iudicio, cùm nec vera nec se digna sibi arroget, intumescit, & tanquam vento nimio ac non suo feratur, velis nimio plus inflatis præceps impellitur, rideturq; ab ijs omnibus, quibus inflatio eius bene est cognita, quinetiam aut calcatur, vt parum omnino dignus, maleque idoneus, aut ex honore ipso seq; indigno munere infamiam sibi comparat atq; obiurgationem, non sine populari odio atq; inuidia.

Ac nihilominus pusillanimitas ipsa magis aduersatur magnanimitati, quippe quę & honorem ipsum defugiat, qui primũ inter mortales locum tenet, & ab honestis ac præstantibus ob imbecillitatem ac deiectionem abstineat actionibus, quæ bonos ac probatos viros

faciat,

faciat, nec patiatur in ijs versari, de quorum exercitatione magni euadant & excellentes viri. His in hunc modum explicatis, ad ambientiam transeamus.

CAPVT IIII.

Argumentum.

PRIMA pars huius capitis discernit magnanimitatem & ambientiam. Altera confert inter se extrema, videlicet nullum honoris studium & vitiosam ambitionem. Postrema pars docet, non extare nomen mediocritatis. Non est enim verborum tanta copia, res vt omnes certis ac proprijs vocabulis nominentur.

TEXTVS.

IN ipso quoque honore, qui virtuti huic propositus est, honorisque appetitione, idem contingit, quod etiam in pecunia eroganda, duæ vt simul virtutes, inæqualiter tamen vtraque in re versentur, altera quidem vt maior atque vberior, vt minor verò minusque erogans altera. Vt igitur magnificentia in magnis quidem sese exercet sumtibus, in minoribus verò liberalitas: sic magnanimitas in magnis quidem ac maximè claris versaturhonoribus, at ambientia in minoribus,

ribus, nec eiuſdem omnino claritatis atque præſtantiæ.

Porrò aut magis quàm oportet, aut decet, & minus etiam, quin vt magis & minus, ſic etiam mediocriter, quantumq́ue ſatis eſt, vt cæteris in rebus, ſic minoribus quoque & expetendis & aſſequendis honoribus contingit homines affici, laudariq́ue eoſdem aut vituperari pro modo atque menſura. Laudatur igitur ambiēs, quia nec plus nec minus quàm oportet aut decet, aut afficitur, aut ambit, ſed quantum ſatis eſt, ratioq́ue ipſa dictat; à qua ſeque ab ipſo, rebusq́ue ſuis æſtimandis nullo modo recedit. Eadem quoque laus eſt & commendatio ambientis. Omnis enim mediocritas laudabilis, ipſa namque virtus eſt.

Contrà verò vituperatur ambitio vt vitium, improbanturq́ue ambitioſi, quòd relicta ratione in exceſſum abeant. Nam cùm imperari ſibi ab effectibus patiantur, nimiaq́ue cupiditate, non modò in eo peccant, quòd medij ſponte tranſgrediuntur lineam & affectando & ambiendo, ſed in eo quoq; quòd perſæpe, vnde minimè par eſt, ac nullo modo debeant, honorem inde aucupantur. Qua è re dupliciter ab eis peccatur, cùm neque menſuram ſeruent nec modum vllum, perq́ue imprudentiam ea & ſequantur & eligant, quæ repu-

repudianda omnino quidem & ſint & videantur.

Improbantur etiam, qui ob animi ipſius abiectionem demiſsionemque, non ſolùm vt par eſſet, non mouentur ad capeſſendos honores, nec ad ea ſe erigunt, quæ ſint honeſta, pulcra, homine digna, verùm præ animi demiſsione & frigiditate, quod honeſtè deberent laudabiliterque conſectari, illud ſponte defugiunt, vt nec ipſi cupiant, nec quærant, cùm poſsint etiã cum honeſtate & laude honorari. Adeò anguſti ſunt, & omnino langueſcentis, vel potius deficientis animi.

Spero ex his, quæ dixi, percipi poſſe, qui ſit ambiens, qui ſiue abiecti, ſiue demiſsi, qui etiam ambitioſi. Hique in eo quidem peccant, quòd nimij ſint, abiecti verò, quòd ea defugiant, ad quæ natura ipſa duce rationabiliter moueri debeant. Itaque hi quàm illi acrius coarguendi, cùm hi defugiant, indignosque ſe eo iudicent, quo quidem merito eſſent digni. Illi verò quatenus honorem ſequuntur, illumque rebus externis cęteris præferunt, nullo modo reprehendendi, ſed ex eo tantùm, quòd nec vnde debeant, honorari cupiunt, nec ſi debeant, quantum, quoque modo aut oporteat, aut deceat, metiuntur. Quamobrem hæc ipſa abiectio & longius quàm ambitio recedit à medio, & peruicacius

rectæ repugnat aduersaturque rationi, vel vt propriè magis loquamur, rationé ipsam auersatur, vultumque eius reformidat, id quod in magnanimitate etiam vsu venit, vt pusillanimi quàm inflati magis aduersentur magnanimis.

Nec si quando demissio illa animiq; contractio habeatur pro modestia, alia contingit de causa, quàm quòd & excessus & defectus & medium ipsum certis hactenus appellationibus caruerunt. An ex eo fortasse potius, quòd idem in hac ipsa virtute vsu veniat, quod etiam in fortitudine ac plærisque virtutibus, extremorum inter se ac medij comparatione facienda? Vt enim fortis meticuloso comparatus nimirum fidentior atque animosior videatur, qui si fidentiori comparetur, appareat meticulosus, sin meticulosus fidentiori videatur forti maximè similis: ita videtur & ad ambitionem remissio, & ad remissionem ambitio, & ad vtranque vtraque quodammodo opponi, quod in alijs virtutibus esse cernitur. Sed ex eo iudicantur opposita, quòd mediocritas ipsa sine nomine est.

ὑπομνήματα.

DE APPETITIONE GLORIÆ.

CVM

Cvm aliàs ſæpe dictum ſit, gloriam eſſe rem bonam & expetendam, nunc tantùm de modo appetitionis Pauli dictum repetam. Sic enim Paulus 1.Theſſ.4.inquit: Adhortor vos, vt excellatis magis, & glorioſum vobis ducatis, quieſcere & agere res proprias. Valde ſignificantibus verbis vſus eſt. Profanos homines ambitio incitat, vt extra vocationes erumpant, vt Antonius non contentus eſt ſocietate imperij cum Octauio, ſed ſolus vult regnare oppreſſo ſocio, aut moueant non neceſſaria, etiamſi ſuperiores vocationes non videntur appetere, vt C. Gracchus multis nobis legibus latis turbabat Remp. Agraria, Iudiciali, & alijs. Eſt enim vitioſa ambitio cupiditas gloriæ, quæ non appetitur ordine, cùm videlicet quæritur applauſus qualiumcunque tentatis actionibus ſupra vires aut extra vocationem, fiducia propriæ ſapientiæ aut ſuarum virium. Hanc vitioſam ambitionem damnat Spiritus ſanctus, vt Rom.12. Dico autem per gratiam quę mihi data eſt, omnibus qui ſunt inter vos, ne ſentiant de ſe ſuprà quàm oportet, ſed ſentiant de ſe modeſtè, vt cuique diſtribuit Deus menſuram fidei. Et ad Gal. 6. Si quis putat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ſeipſum decipit.

Cùm igitur hæc ſtulta ambitio malum ſit plurimis vſitatũ, & à plurimis exiſtimetur eſſe animi magnitudo, Paulus contrariã ambi-

tionem opponit, id eſt, contrarium modum quærendæ gloriæ, & retinet nomen ambitionis, quod eſt quidem commune ad vitium & virtutem etiam veteri more loquendi, ſed tamen ideo, vt eſſet illuſtrior admonitio, nomē idē retinuit, quod erat apud ambitioſos plauſibilius & gratius, q. d. Sit ſanè præclarū quiddam ambitio ſeu gloriæ cupiditas, nec vitupero gloriam, aut gloriæ cupiditatem, ſed ſit rectè ordinata. Gloria eſt approbatio conſcientiæ rectè iudicantis & aliorum rectè iudicantium. Hæc approbatio appetenda eſt, ſed conſcientia rectè iudicans non approbat impetus eorum, qui ſuſcipiunt res ſupra vires, aut extra vocationem ſtulta ſui fiducia. Nemo rectè iudicans laudat Antonium, aut C. Gracchum. Sed conſcientia rectè iudicans approbat voluntatem ſeruientem vocationi, & intra has metas ſe continentem propter voluntatem Dei, & quia videt infirmitatem humanam non poſſe molem gubernationis ſuſtinere. Qualis fuit voluntas Ionathæ vltro cedentis regnum Dauidi? Talem vult eſſe φιλοτιμίαν in nobis contrariam illi qua ardent profanæ mentes, quę multa mouent non neceſſaria, aut erumpunt etiam extra vocationem. At vos quieſcite, inquit, id eſt, nō mouere non neceſſaria, & facite proprias operas, id eſt, officia ſuæ quiſque vocationis. Hæc tota doctrina de

na de frenanda ambitione & πολυπραγμοσύνη quàm necessaria sit in Ecclesia Dei & in omni gubernatione, nequaquã obscurum est. Præmoneri igitur homines vtile est, vt errantes impetus coërcere discant, & regant consilia mãdatis Dei, timore Dei, & inuocatione Dei, sicut scriptum est, Commenda Deo viam tuam, & ipse faciet.

CAPVT V.

Argumentum.

IN HOC *capite differit Aristoteles de mansuetudine, quæ moderatur eam animi partem, in qua irarum existit ardor. Est autem omnibus hominibus necessaria hæc virtus, quæ multas multorum infirmitates & iniurias tolerat. Quemadmodum enim per frequentia vrbis loca properanti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: ita in hoc vitæ actu dißipato & vago, vt ait Seneca, multa impedimenta, multæ querelæ incidunt.*

TEXTVS.

MAnsuetudo est virtus, quæ frenat iram, vt sit moderata, nec ruat contra iusticiam aut alias virtutes. Extrema mansuetudinis sunt iracundia & lentitas. Nam ira est

incendium animi, quod varijs ac diuersis modis excitatur. Qui igitur hunc modum sic regit, vt sciat quonam modo irascendum sit atque aduersus quos, & quanto etiam tempore, hic iure ac meritò mansuetis annumeratur, quorum propria laus est, non rapi turbulentis affectibus, nec omnes irarum effundere habenas, sed duce & comite ratione sic moderari iram, ne quid contra decorum fiat. Ac vt in Deo eminet bonitas, quæ quamuis iustam iram lenit, sic mansuetus non properat ad pœnam, sed ad veniam propensior est, nec omnia summo iure persequitur. Alterum extremum est lentitas, quæ nullos habet excitatos motus, nec irascitur turpitudini ac sceleribus. Hoc vitium seruilis est animi ac degenerantis, quia in generosis pectoribus ardet amor iustitiæ & aliarum virtutum, & indignatio aduersus turpitudinem, & cupiditas depellendi ac puniendi sceleratos.

Porrò excessus in omnibus circumstantijs fieri potest, vt cùm ira efferuescit non quo modo, neque aduersus quos, nec quibus de causis, nec quanto tempore oportet. Sed omnia hæc in vnum hominem cadere non possunt. Nam [*a*] malum quod omnes habet partes, & omnium

[a] τὸ γὰρ κακὸν καὶ αὐτὸ ἀπόλλυσι)

Bonum est κοινωνικὸν, id est, par-

partium ſummos gradus ſeipſum deſtruit, & mole ruit ſua.

cõmunicatiuũ, congregatiuum, & conſeruatiuũ ſui & aliorum. Vt Deus cùm ſit bonus, gaudet communicatione ſuorum bonorum, & amat honeſtas congregationes, eáſque conſeruat. Malum verò eſt diſsipatiuum & deſtructiuum ſui & aliorum, vt hoſtis Dei & generis humani Diabolus diſsipat honeſtos cœtus, & gaudet deſtructione operum Dei in genere humano.

Sunt igitur diſcrimina & quaſi quidam gradus iracundiæ, quæ manſuetudini aduerſa fronte repugnat. Nam alij ſic iraſcuntur, vt non ſint tenaces offenſionum, ſed faciles motus habeant. Alij verò non tantùm ſubitò flammas irarum concipiunt, ſed etiam bilem conceptam in omnes ſine delectu euomunt. Sunt etiam nonnulli furenter iracundi, qui nulla ratione placari poſſunt, vt iram deponant, niſi prius cupiditatem vindictæ explenant, niſi prius cupiditatem vindictæ expleuerint. Etenim vindicta talibus monſtris bonum eſt vita iucundius ipſa. Hæc pertinacia odiorum in hominibus liuidis & ſæuis non rara eſt. Moroſos etiam appellare ſolemus, qui propter futiles cauſas iraſcuntur, quod vitium ſenibus familiare eſt.

Dixi autem ſuprà, manſuetudini iracundiam magis oppoſitam & contrariam eſſe quàm lentitatem, cùm in omnium ferè cordibus ardeat cupiditas vindictæ. Etſi autem res ipſa

 oſten-

ostendit, morosos in conuersatione insuaues esse, tamen ex ijs, quæ deinceps dicentur, magis hæc sententia perspicua erit. Cùm enim ira etiam sapientes turbet vt peccent, non facile est decernere, quomodo & quibus, & propter quas causas, & quanto tempore irascendum sit, & quousque progrediens aliquis rectè aut secus faciat. Qui enim parum à via declinat, non dicitur modum excessisse. Interdum etiam peccantes in defectu laudamus & mansuetos appellamus, & ira inflammatos virorum appellatione ornamus, eosdemque ad gubernationem idoneos arbitramur. Non igitur facile est de singulis circumstantijs pronunciare. Illud tamen constat, mediocritatem in omni re optimam esse, & modum retinendum, si actiones nostras probari volumus.

ὑπομνήματα.

DE MANSVETVDINE.

IN EA parte hominis, quæ nominatur θυμικὴ, videlicet in corde, duo sunt turbulentissimi & sæuissimi affectus, ira & ambitio. Hi & facilè accenduntur in magnis viris, & accensi latè turbant imperia & vitam communem. Saul vritur ambitione, & dolet sibi & filio suo

viro fortiſsimo anteferri tyronem ſuum, & ardens cupiditate vindictæ ſimul iraſcitur multis, interficit ſacerdotes, & totas eorum familias. Bella ciuilia mota à Sylla, Mario, Pompeio, Iulio, orta ſunt ab ambitione & à domeſticis odijs. Deniq; nulla ætas caret exemplis, vt inquit poëta, *Patriam tamen obruit olim Gloria paucorum, laudis tituliq; cupido.* Has peſtes, iniuſtam iracundiam, ambitionem, cupiditatem vindictæ, vult abeſſe filius Dei cùm à cæteris omnibus, tum verò præcipuè à gubernatoribus Eccleſiæ, & ſeſe proponit nobis intuendum. Diſcite à me, inquit, quia mitis ſum & humilis corde. In ipſo manſuetudo ſumma eſt. Nemini iniuſtè iraſcitur, & ijs quibus iuſtiſsimè fuit iratus, cùm petunt veniam, & dolent ſe lapſos eſſe, parcit, eoſdemq; clementer recipit & ſeruat, ac pœnas præſentes mitigat. A ſuperbia verò ſic abeſt, vt cùm miſſus ſit, vt fiat victima pro genere humano, non erumpat extra vocationem ſuam, non appetat imperia, potentiam, ſplendorem, non depellat iniurias, cùm id facillimè facere poſſet, ſed perferat eas, quia ſcit ſe non armatum eſſe imperijs, ſed miſſum eſſe, vt ſit λύτρον pro genere humano. In hoc ſuo munere reuerenter obtemperat æterno patri, ac ita ſe abijcit infra omnes homines, vt iram in ſeſe deriuet aduerſus ſingulorum ſcelera.

Hac concione filij Dei conſiderata, deinceps vſitato more vocabulum manſuetudinis explicemus.

Quid eſt Manſuetudo?

Eſt virtus moderatrix iræ, niſi vbi lex Dei iubet iraſci & punire.

Propter quas cauſas ira moderanda eſt?

In omnibus virtutibus, vt ſæpe aliàs dixi, triplex ordo conſiderandus eſt. Primus ad Deum, ſecundus erga nos, tertius erga alios homines. Primùm igitur propter voluntatem Dei ira frenanda eſt, non ſolùm quia Deus ſeueriſsimè de hac moderatione præcipit, & vindicta honor eſt ſoli Deo competens, iuxta dictum, Mihi vindictam, & ego retribuam, ſed etiam quia vult in his officijs manſuetudinis eſſe agnitionem noſtrorum peccatorum & diuinæ condonationis, ſicut ſcriptum eſt, Remittite, & remittetur vobis.

Deinde moderandus eſt animi impetus in cupiditate vindictæ, quia naturæ conueniens eſt, non furere dolore atq; ira. Turbantur enim actiones omnium membrorum propter motum ſanguinis & ſpirituum confuſionem. Sed præcipuè cerebrum offenditur, quod inflammato & agitato ſanguine, & ardentibus ſpiritibus ipſum quoq; incaleſcit, & concutitur

tur motu ſanguinis, ſpirituum & neruorum, qui ad cor propagati ſunt. Ideo vehementem iram comitantur phreneſes, vt in Aiace, & interdum apoplexiæ. Quid, quòd in tanto æſtu cordis, & in tanta cerebri perturbatione nulla exerceri poteſt inuocatio, quæ eſt vnicus portus, arx & ara piorum? Non igitur hoc ingens malum nobis acerſamus, quod lædit valetudinem, & impedit iudiciũ, & inuocationem, ſed pegaſo indomito frenum aureum, non quidem à Pallade, ſed à Spiritu ſancto donatum inijciamus. Poſtremò. Cùm homo non tantùm ſibi naſcatur, ſed natura ipſa ad ſocietatem fouendam ducatur, cohibenda eſt ira communis tranquillitatis cauſa. Nam ira effrenis multipliciter nocet ſocietati, & ingentium malorum cauſa eſt, vt hiſtoriæ Cain, Saul, Coriolani, Arij, & aliorum multorum oſtendunt, qui cupiditate vindictæ incitati ingentia bella & pernicioſos tumultus publicè & priuatim excitarunt. Conſiderata igitur magnitudine huius mali, omnes ſani intelligunt, quàm neceſſaria ſit iræ moderatio.

Quæ virtutes cognatæ ſunt Manſuetudini?

Vicina virtus eſt Nemeſis ſeu zelus, quæ eſt iraſci & punire iuxta mandata Dei, vt Phineas iratus propter gloriam Dei interfecit accedentem ad peregrinam mulierẽ. Nec rectè dicunt Stoici, pœnam exequendam eſſe ſine

ira.

ira. Quia vult Deus corda verè commoueri. Ideo tales motus indidit hominibus, & Spiritus ſanctus ipſe ciet eos in ſanctis iuxta dictum, Zelus domus tuæ comedit me. Sunt etiam manſuetudini cognatæ miſericordia, clementia & æquitas, de quibus aliàs dicendum erit.

CAPVT VI.

Argumentum.

MAGNVM *decus eſt comitas, quæ eſt facilitas in compellando & audiendo, ſeu velle ſine moroſitate, ſine faſtidio, ſine ſuperbia, placidè & compellare honeſtos homines, & audire præſertim eos, qui ſciſcitantur aliquid de doctrinis, aut exponunt cauſas, quas officij ratio cognoſci poſtulat, aut quorum animi leniendi ſunt, cùm in dolore, tum in ira atq; in cæteris affectibus. Huius virtutis, de qua hoc loco diſputat Ariſtoteles, duo ſunt inſignia exempla, vnum Scipionis Africani, alterum Roberti Sanſenerinij.*

Sic enim de Scipione Liuius lib. 8. Dec. 3. ſcribit, Tanta inerat comitas Scipioni, atq; ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modò Barbarum, inſuetumq; moribus Romanis, ſed Aſdrubalem etiam hoſtem infeſtiſsimū facundè alloquendo ſibi conciliarit, mirabilioremq; ſibi cum congreſſo coràm viſum

sum præ se ferebat, quàm bello rebus gestis, nec dubitare, quin Syphax regnumq́; eius in Romanorum esset potestate, eam artem illi viro ad conciliandos animos esse. De Roberto autem Sanseuerinio narratio memorabilis extat apud Iouianum Pontanum in lib. 5. de Prudentia: Referebat Alfonsus rex Robertum hunc, quò voto se damnatum absolueret, profectum Hierosolymam ad Christi sepulchrum, indeq́; proficiscenti ad montem Sinam factos obuiam latrones Assyrios, qui viam obsedissent, quos cùm venie͂tes animaduerteret, conuersum illum ad eos, qui Soltani sub fide publica eum deducebant, & qui nam ij essent percontatum, tum illos metu repentino consternatos, latrones esse Arabes respondisse, vagos, palantes, nulla lege coercitos, ibi Robertum confirmatißimo animo cohortatum familiares & comites iußisse, vt sarcinulas explicarent, prandium enim esse parandũ aduentãtibus, deq́; puluere atq; æstu fatigatis, ac vultu maximè hilari, vt erat statura totoq́; corporis habitu insignis, processisse illis obuiã, & arrisisse venientibus, & comiter etiam eos accepisse, multaq́; per interpretes iucundè, familiariter, maximeq́; fidenter locutũ, illos autẽ quanquam barbaros atque inhospitales, & maiestate viri commotos & comitate sermonis, pransi cùm fuissent, donatos ab eo, quibus tum delinire ipsos posset muneribus, & gratias Roberto egisse, quòd ab eo tam comiter accepti essent, & valere hilariter cùm iußissent, discesisse, quàm maximè pacatis atq; amicis animis.

Sub vesperum autem, cùm multum etiam itineris

Rober-

Robertus confeciſſet, conſpecto prius globo perquam puluerulento, admonitum fuiſſe aduentare aliam latronum manum, quare illum, & qui aderant omnes ſummo metu perculſos, de ſalute iam deſperare cœpiſſe. Ecce autem eoſdem illos adactis circùm equis, Robertum capite cùm ſalutaſſent, Ruſticana profectò non ingrata tamen ante eius pedes poſuiſſe munuſcula, quibus iucundiſſimè acceptis, Robertum & metu eſſe liberatum, & iudicaſſe, nullam gentem tam barbaram, immanem, feram, quæ non & liberalitate caperetur, & gratiam referre pro benefactis ſtuderet, quæq; non ægrè etiam aliquando ferret vinci ſe beneficentia ac meritis.

TEXTVS.

CVm ipſis è virtutibus aliæ verſentur, aut in eroganda pecunia, aut in obeundis periculis, aliæ in moderandis voluptatibus, aut in reddendo quod ſuum eſt cuique, nomineque ſingulæ appellentur ſuo, hæ quidem duæ, quæ tum veritatem in dicendo, tum leporem ſequuntur, circa orationem tantùm operam ſuam conferunt, verbaque ſibi perinde ac materiam ſubmiſtrant. Tertia quoque quædam in eadem hac verſatur materia, de qua nunc diſſeram, ac primò quidem de oppoſitis ei vitijs.

Eſt enim maximè vanũ genus hominum, qui

qui voluptatem ſolam ſuis è dictis quæritant, quam ad adipiſcendam ſeſe omni arte inſtituunt, ac dicendi ſtudio, ſolumque eorum eſt propoſitum, dominantibus vt placeant, & quibus cum verſantur, eos delectent, ijs blandiantur, & illorum arte vt omni aures demulceant, voluptatis gratia denique omnia.

Horum ſtudijs maximè aduerſi videntur contentioſi quidam homines, quorum ea eſt natura, id etiam ſtudium, vt non modò non loquantur in aliorum gratiam, neque gratificentur ipſi alijs, ſed contrà vt aduerſentur, & vbique & in quibuſq;, neminemque vereantur in dicendo offendere, quin & ſerant ipſi ſponte ſtudioſeque contentiones, & ab alijs ſatas accipiant, lætenturque ijs & fouendis & exercendis, quibus etiam vita ipſa vel moleſta futura ſit, niſi in cunctis vel dentes imprimant, vel infigant aculeos, vt ad contentiones, diſsidia, rixaſq; atque altercationes nati prorſus videantur.

Etſi autem nomen mediocritatis eius, quæ verſatur inter contentioſitatem & adulationem, minimè eſt à Græcis proditum: tamen rectè inquirenti ac perſcrutanti acutius, quæ virtutis huius partes ſint ac munera, apparebit fortaſſe eam eſſe comitatem, quando comitas ipſa communis eſt ad omnes,

non

non ad paucos, ad exteros ignotoſque, non tantùm ad ciues & cognitos, ac familiares, neq; modò ad æquales atq; eiuſdem ordinis, verùm ad ignobiles, atque in excelſo gradu conſtitutos, verſaturque in verbis ac collocutionibus, ſtudetq; oblectare, atque in gratiam loqui, minimeq; moleſtiam afferre, neq; ab honeſto recedit atq; vtili.

Virtutem verò hanc non eſſe amicitiam, quamuis ſit ei non parum ſimilis, illud docet, quòd amici officium eſt in amicum, quodque mutuus eſt inter amicos amor, mutuum etiam ſtudium, mutua vtilitatum collatio, expetitioque gratificandi, quodque amicus eſt alter ego, vt omnes conſentiunt. At hic ipſe, quem ſuo ſine nomine eſſe dicimus, non mouetur in peregrinum, aduenam, ſummum vel infimum ciuem, notum ignotumq; beneuolentiæ atque amoris mutuique ipſius gratia, ſed naturali quadam commotione, quodque ita ſuapte natura inſtitutus ſit, eumq; ſeſe ipſe aſſueſcendo comparauerit, vt qui gratus eſſe omnibus velit, moleſtus verò nulli, aut impudenter contentioſeq; aduerſari, quin vt aſſentari minimè vult, recuſatq; altercari, ac rixas ſerere, ſic media inter vtrunque, officia inter omnes exercere nititur, humanitatis præcipuè memor, generiſque hominum ſtudioſus, eorumq; ſocietatis & inſiti à natura officij.

Quo-

Quoniam autem nullum hic aſpernatur genus hominum, quòd ita ſit à natura vſuq́ue inſtitutus, quippe cuius ſtudium ſit gratificandi notis ignotisq́ue, ſummis atq; infimis, meminiſſe eum oportet, aliam cum ciue, aliam cum hoſpite aut peregrino rationem à ſe ſequendam eſſe, cum amico quàm cũ ignoto, cũ ignobili, quàm cum eo, qui ſit honeſto loco natus, educatuſq́ue quàm maximè liberaliter.

οὐ γὰρ ὁμοίως προσήκει συνήθων καὶ ὀθνείων) Ciuis plus obligatus eſt ciui, quàm peregrino.

ὡς δεῖ ὁμιλεῖν) Cic. pro Cornel. Balbo: Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur.

τούτων δ' ὅσας) Admonitio de officio comitatis, quę non ſemper dicit plauſibilia, ſed interdũ ea, quibus homines indigeãt, etiamſi ad tempus illi libertate iſta orationis offendantur.

διαφερόντως δ' ὁμιλήσει) Vt vir eſt, ita ei mos gerendus.

Qua in re delectum eum adhibebit, vt cuiq; quantum ſat eſt tribuat, ſeu in gratiam loquatur ac commendationem, ſeu dum commonefaciendo proſit, in moleſtiam vt incurrat aliquam, quanquam ſtudium eius illud eſt præcipuum, gratiam vt verbis ineat, offendat verò in conuerſatione neminem, atq; vt in illud maximum omnino ſtudium confert, adiungitque operam, ita ab altero præcipuè ca-

uebit, quantum tamen honeſtas ſimul vtilitaſq; feret.

ὑπομνήματα.

EXEMPLA COMITATIS.

ETSI in argumento duo inſignia exempla comitatis recitata ſunt: tamen quia omnia iudicant homines aut regulis aut exemplis, addam ſuperioribus exempla Alexandri Seueri, Valerij Coruini, & Cyri iunioris.

Alexander Seuerus comitate fuit tanta, vt aditum ad ſe non amicis modò ac familiaribus, verùm etiam militibus cæteriſq; hominibus quàm facillimum præbuerit, & milites morbo laborantes viſitarit. Commonefacientibus matri atq; vxori, ne tantam ob familiaritatem maieſtatem ipſam imperij minus venerabilem redderet. Quin hac ratione, reſpondit, & ſecuriorem illam mihi facio, ac magis magiſq; etiam diuturnam.

Liuius lib.7. Dec.1. de M. Valerio Coruino: Non aliàs militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militũ haud grauatè munia obeundo, in ludo prætera militari cùm velocitatis viriumq; inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem, nec quenquam aſpernari, parem qui ſe offerret, factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quàm ſuæ dignitatis memor-

memor, & quo nihil popularius est, quibus artibus petierat Magistratus, iisdem gerebat.

Xenophon ἀναβασ.α. de Cyro iuniore: Nec mirum erat superare eum omnes magnitudine donorum, cùm ditissimus esset, & liberalitati adderet comitatem & singularem delectum. Sæpe lagenas semiplenas misit amicis, iubens vt hodie cum bonis amicis exhaurirent, quia diu nullum melius vinum habuisset. Sic & anseres semesos amicis misit, vt significaret, nihil sibi sine amicis suaue esse.

CAPVT VII.

Argumentum.

DISSERIT *Aristoteles in hoc capite de virtute præstantissima, hoc est, de veritate, quæ, vt Plato ait, est causa omnis boni Deo & hominibus. Est autem veritas seu veracitas constanter velle & cogitationes veras habere & dicere vera, id est, cõgruentia cum rebus, nec cogitando aut dicendo asseuerare falsa, id est, pugnantia cum rebus, vt falsa asseuerant Epicurei, Stoici, & alij omnes, qui opiniones falsas amplectuntur. Nemo verò mendax est sine scelere, id est, sine offensione Dei. Ideo veritas necessaria virtus est omnibus, de qua dicitur, Non dices falsum testimonium.*

TEXTVS.

SEquitur vt de veracitate dicam, quæ in ſermone verſatur, ciuiliq; in conſuetudine atq; in hominũ vita. Huic ex altera parte obſiſtit oſtentatio, nequaquã ex æquo ſeque reſq; ſuas metiẽs, cùm aut affingat ſibi maiora, quàm [a] quæ re ipſa ſint, & quàm ingeniũ ferat ac facultates, aut falſa omnino de ſe prædicet, aliaq; quàm ſint, eaq; præclara admodum atq; honoratu digna.

μεσότητας εἶναι τὰς ἀρετὰς) Ariſtotelici dicunt, omnes virtutes mediocritate quadã eſſe moderatas. Cicero pro Muræna.

[a] Lentulus cupit ad ſe transferre laudem finiti belli Punici, ſed non videt ineptus, ſe nequaquã ſimilem eſſe Scipioni. Debebat igitur agnoſcere ſuam mediocritatem, & ſe nequaquã conferre ſuperiori.

At è regione aduerſatur diſsimulatio, vtq; illa ſupra verum & loquitur & ſeſe effert, ſic huius eſt ſtudium, aut diſsimulare quæ inſunt, aut deijcere ea, infraque verum eleuare ac deprimere. Itaque vt veritati mendacium, ſic mendax aduerſatur veraci, veracitatique mendacitas. Sed verax vnus ipſe quidem duntaxat eſt & ſimplex, mendax verò duplex. Nam è numero mendacium, alij, vt dictum eſt, oſtentatores ſunt ac ſimulatores, alij diſsimulatores, de quibus pòſt.

Nunc de veraci, qui nihil in sermone & vita fictum, fallax, fucatum ostendit, sed quæ & quanta sibi insint, profitetur, illisq; nihil aut fando demit aut adijcit. Hæc enim ipsa solent fieri aut nullius, aut alicuius rei gratia. Est [b] autem vnusquisq; perinde ac sunt eius dicta factaque ac vita omnis, præterquã si rei cuiuspiam dimoueatur gratia. Mendacium verò ipsum per se & turpe est & opprobriosum, secus autem verum ipsum, & honestum & laudabile. Itaque verax homo (quòd medium teneat) quasi æquipensator quidam meritò laudatur, contrà mendaces vtriq; & qui ostentatores sunt, & qui irocini, vituperabiles, ostentatores tamen amplius,

[b] Quale est efficiens, talis est effectus, hoc est, vt Christus inquit, Qualis arbor, talis fructus. Item: Ex abundãtia cordis os loquitur.

ὁμολογίαις) ὁμολογία generaliter consensum significat. Deinde, quia pactum est consensus duorum vel plurium de re honesta & possibili, vsurpatur etiam pro pacto.

Est igitur verax, qui & vita & sermone, hoc est, factis dictisque veritatem tuetur & colit, talisque habitu existit ac consuetudine, exque eo probus vir est, vtpote veritatis oppidò quàm studiosus, etiam in minimis qu busq;, atque hoc etiam magis in maximis, ijsdem-

que serijs rebus, quippe qui abhorreat à mendacio, ducatq; illud per seipsum fugiendum, quod etsi commendatione dignum est ac laude, tamen (quæ veracis hominis modestia est) suapte natura propensior est ad [c] subducendum de veritate quippiam, cùm superlationem omnem atq; immoderantiam inuidiosam existimet atque odio dignam. Ac de verace quidem hęc dicta sint.

[c] ἐπὶ τὸ ἐλάττον) hoc est, vt Pindarus ait: Non semper necesse est, claram veritatis faciem ostendere. Vt: Non in omnibus conuiuijs edenda est confessio Euangelij.

ἀποκλίνοι) Cic. in Orat. perf. Etsi suus cuique modus est: tamen magis offendit nimium quàm parum. Et sapientissimus vir Isocrates ait: Cùm mediũ ipsum attingere sit difficillimum, satius esse in eam partem delinquere, vt minus faciamus quàm opus est, quàm in alteram, in qua est exuperantia. Quòd si virtus verè est mediocritas quædam, iuxta proportionem Geometricã, natura nos ipsa hoc docet: defectum magis congruere mediocritati quàm exuperantiam. Nam in proportione Geometrica continua medius numerus propior est minimo, quàm maximo, quod attinet ad multitudinem, vt 2. 4. 8. Quis enim non videt, quaternarium longius abesse ab octonario, quàm à binario?

E mendacibus verò, qui nullius rei gratia, sed ob ipsam tantùm mendacij voluptatem,

maiora

maiora quàm quę sunt sibi per simulationem, rebusq; affingat suis, prauus ille quidem suapte natura est, atq; à probitate alienus, quæ veracium hominum comes est. Ni enim ita esset, mendacio nequaquam gauderet. Cæterùm [*d*] vanus potius videtur quàm malus.

[d] *μάταιος*) Demost. *ἅπας ὁ λόγος ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τε καὶ κενὸν φαίνεται*: Omnis oratio, si desint res, vanum quiddam & inane videtur.

At qui honoris gloriæve ac famæ gratia, ostentandis rebus suis, ijsque falsò ac simulanter accersendis, veri fines egreditur, adijcitque suprà quàm res ipsæ sese habeant, ille non ita quidem vituperatione dignus est. At qui pecunia captus mentitur, hic procul dubio turpior. Mendaces enim omnes ab electione existunt atque ab habitu, & qui ostentatores vt vani mendacio lætantur, & qui honore & gloria capiuntur, voluntq; inter alios videri excellere, quiq; item pecunijs inhiant, reiq; domesticæ compendijs, vtque sibi prosint ac suis.

Solent autem ea sibi affingere, quæ latere quidem posse, eaque haud palàm fieri arbitrentur, vt qui cùm è medicina aut diuinatione aliquid modò attigerint, & medendi tamē & diuinandi maximam se peritiam assecutos gloriantur, profitenturque ea se tenere,

quæ ſint earum artium abditiſsima, deque ſeipſis magna cum oſtentatione ac iactantia prædicant.

Ex ironicis verò ac diſsimulatoribus ſunt qui minora de ſe rebuſque ſuis dicant, aut ea prorſus inficientur ac diſsimulent, in quibus ijdem ipſi præſtent, ſintq; ea præclara admodum ac magis magiſq; nobilitata, nullo modo tamen emolumenti cauſa aut pecuniæ, verùm vt inſolentiam deuitent ac tumorem, cuiuſmodi fuiſſe [e] Socratem ferunt.

[e] Cicero in Bruto: Ego ironiam illã, quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis & Xenophontis & AEſchinis libris vtitur, facetam & elegantem puto. Eſt enim & minimè inepti hominis & eiuſdem etiam faceti, cùm de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudẽtem, qui eam ſibi arrogant, vt apud Platonem Socrates in cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cęteros, ſe autem omniũ rerum inſcium fingit & rudem. Decet hoc neſcio quo modo illum, nec Epicuro qui id reprehendit, aſſentior.

Sunt item alij, qui parua ac minuta quædam, ea tamen planè cognita diſsimulantes, dum minimis quibuſdam è rebus ſiue eleuandis ſiue diſsimulandis laudem aucupantur, ex eo contemtibiles fiunt ac deſpiciendi. Quinetiã hæc ipſa interdũ ironia, oſten-

tatio

tatio prorſus eſt quædam, qualis fuit [f] Lacedæmoniorũ veſtitus. Etenim vt excedens arrogatio, ſic attenuatio nimia ad oſtentationem eſt referenda. Itaq; modeſtè qui vtuntur ironia in ijs ipſis quæ manifeſta ſunt atq; in promptu, hi vrbani videntur, gratiamq́; quandam inter ciues promerentur, indeq; iucundi ſunt atque admodum grati.

[f] ἀκκισμὸς eſt vitioſa ambitio eorum, qui cùm ſint ambitioſiſsimi, tamen volunt videri defugere id, quod maximè appetunt. Huius ficti faſtidij, quod Græci ἀκκισμὸν καὶ βαυκοπανουργίαν appellãt, duo ſunt illuſtria exempla, vnum in oratione pro Archia, alterum in hiſtoria Gregorij epiſcopi Romani. Sic enim Cicero philoſophos fictè faſtidiẽtes gloriam exagitat: Ipſi illi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, & in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemq́; deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volunt. Gregorius verò Magnus cùm in epiſtolis tragicè declamitet, ſe abhorrere ab vniuerſalis Epiſcopi appellatione, id ſe tamẽ, quod titulus profitetur, vehementer cupiuiſſe, re ipſa declarauit, cùm imperium in alienas ſibi Eccleſias ſumſerit.

Vt autem oſtentatio ipſa turpior per ſe eſt, ac viro probo indignior: ita oſtentatores quique ea ſimulant, quæ nullo modo inſint, idque contendunt vt ineſſe credi ea velint, atq;

vltra verum ſeq; resq; magnificāt atq; extollunt ſuas, veracibus magis aduerſantur, quàm qui ironici ſunt, ſuaq; diſsimulanter inficiantur, aut ea deducunt.

EXPLICATIO METHODICA VERITATIS.

INITIO iuniores de vocabulo admonendi ſunt. Aliquando veritas ſignificat notitiam veram, ſeu ſermonem verum, ſeu doctrinam veram, videlicet cum re congruentem, vt cùm dico, Arithmetica eſt veritas. Sic loquitur Paulus, Veritatem Dei iniuſtitia detinent, id eſt, veram notitiam legis.

Aliquando ſignificat virtutem, vt cùm Paulus inquit, Loquimini veritatem. Item cùm dicitur. Veritas eſt fundamentum aliarum virtutum. Huius virtutis pars & fidelitas nominatur, de qua dicitur in his dictis, vt Pſal. 25. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Item: Fac mecum miſericordiam & veritatem, id eſt, beneficentiam & fidelitatem ſeruantem promiſſa.

Sunt & aliæ vicinæ ſignificationes, vt, Ego ſum via, veritas & vita, Metalepſis eſt, id eſt, efficiens vitam, oſtendens veram doctrinam, flectens corda ad veræ doctrinæ aſſenſionem, & efficiens vera & æterna bona in cordibus homi-

hominum, non vmbras. Hæc de vocabulo ſatis ſit monuiſſe.

Quid eſt Veritas?

Veritas ſeu veracitas eſt firma προαίρεσις in voluntate, id eſt, conſtanter velle amplecti veras ſententias, dicere vera, ſeruare pacta, in ſermone & geſtu cum rebus congruere.

Propter quas cauſas vult Deus hanc virtutem à nobis coli?

Prima cauſa eſt: Quia vult nos non ludere furoribus opinionum de ſe, ſed agnoſcere ſe qualis eſt. Si enim concederetur infinita petulantia & vanitas diſputationum, qualis fuit Pyrrhoniorum, vocaretur etiã in dubium, An ſit Deus? Secunda: Quia vult intelligi ſeſe veracem eſſe, & vult ſciri ſua dicta, comminationes & promiſsiones firmas & ratas eſſe, ſicut Paulus inquit, Eſt autem Deus verax. Quamobrem firmiſsimè ſtatuamus Deum veracem eſſe, & eius ſermonem non eſſe præſtigias, vel ambiguitates, offuſas hominibus tanquam pomum Eridos, aut Sphingis ænigmata, nec minas Dei inania terriculamenta eſſe, nec promiſsiones editas, vt ſtultos quoquo modo inuitent, ſed de eius voluntate ex ipſius ſermone iudicemus, ac ſciamus ſine vlla dubitatione, velle eum id quod verba ſonant. Pro-

miſsio remiſsionis peccatorum vniuerſalis eſt, quam offert omnibus agentibus pœnitentiam & credentibus in filium. Et quidem ſancita eſt iureiurando. Non igitur aliam eius arcanam voluntatem eſſe putemus, quia Deus eſt verax, nec ſunt in Deo contradictoriæ voluntates. Affirmat etiam Deus ſæpiſsime ſe nec velle, nec approbare peccatum. Cùm autem verax ſit Deus, firmiſsimè ſtatuendum eſt, Deum nequaquam eſſe cauſam efficientem peccati in hominibus. Vides ad refutandos Stoicos furores hanc cõſiderationem veritatis in Deo multum prodeſſe. Hanc igitur admonitionem de veritate in Deo, ſtudioſi ſæpe cogitent. Tertia cauſa. Vult Deus diſcerni hac virtute à Diabolis, qui mendacia ſpargunt contumelioſa aduerſus Deum, & pernicioſa humano generi, vt ægre faciant Deo, & quamplurimos homines perdant. Vt enim cæteras virtutes ordinauit, vt eſſent teſtimonia de ipſo, & diſcernerẽt eum à malis naturis: ita & veritatem ordinauit, quæ eſt inſignis & cõſpicua virtus, vt cogitantes eum in omni doctrina & inuocatione, etiã cogitatione veritatis diſcernamus eum à Diabolis & alijs mendacibus naturis. Vult enim Deus agnoſci & diſcerni ab alijs omnibus naturis per certas proprietates, quia non poſſumus eum brachijs complecti. Et hæ proprietates
in omni

in omni inuocatione cogitandæ ſunt, vt verum Deum ab omnibus naturis & commentitijs numinibus diſcernamus. Intueatur ergo mens hunc verum Deum, qui ſe patefecit miſſo filio, & editis teſtimonijs, reſuſcitatione mortuorum & alijs, & ſimul cogitet hunc verè conditorem eſſe & opitulatorem, ſapientem, veracem, bonum, beneficum, iuſtum, caſtum, iraſcentem omnibus ſceleribus, quæ cum hac ſua mente & voluntate pugnant. Quarta cauſa: Quia Deus & creaturæ rationales tales ſunt, vt res intelligant. Tunc autem intellectio rerum eſt, cùm intelliguntur quales ſunt. Veritas igitur neceſſaria eſt, quia eſt intellectio & oſtenſio rerum, quales ſunt. Quinta cauſa: Quia tollere veritatem eſt confundere & deſtruere vitam. Vt ſi nulla eſſet fides pactorum, magna ex parte contractus tollerentur. Iudicia etiã eſſent horribilis confuſio vitæ, imò plena latrocinijs, ſi non eſſet quærenda veritas & iuxta vera teſtimonia pronunciandum. Neceſſaria eſt etiam veritatis conſeruatio in artibus. Nam ſi medicus pro ſalubri medicamento daret venena, extinguerentur homines. Eſt igitur euidens vtilitas veritatis in contractibus, iudicijs & artibus. Sed vtilitates tam latè ſparſæ ſunt in vita, vt commonefaciant nos de illa ſumma cauſa, vt amemus veritatem in agnitione Dei,

& ſcia-

& ſciamus Deum veracem eſſe, & comminationes & promiſsiones eius firmas & ratas eſſe. Harum maximarum rerum conſideratio neceſſaria eſt vitæ, & accendit animos ad veritatis & Dei amorem.

Quot ſunt genera mendaciorum?

Etſi mendaciorum genera multa ſunt: tamen manifeſtiora genera ſunt quatuor, quorum primum eſt vanitas ſeu perfidia in non ſeruandis promiſsis, in fœderibus &c. vt Alcibiadis perfidia vituperatur. Aliud genus eſt mendaciorum, amor calumniarum. Plurimi enim delectantur obtrectatione, & habent patulas aures ad omnes fabellas, de quibus ſunt noti verſiculi Menandri:

Hæc vita gaudet improbis potiſsimùm:
Primus & beatiſsimus eſt aſſentator,
Secundus partes habet ſycophanta,
Tertius eſt, artes nocendi qui ſcit aſtutiſsimè.

Et in Pſeudolo Plauti dicitur:

Homines qui geſtant, quiq; auſcultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant
Geſtatores linguis, auditores auribus.

Tertium genus mendaciorum ſunt ſuſpiciones, quas naturæ infidæ ex ſe fingunt, quæ ſæpiſsime magnis malis occaſionem prębent, vt tyranni tantùm propter ſuſpicionem mul-

tos

tos tollunt. Ac naturæ ſuſpicaces auidiſsimè audiunt calumnias. Quartum genus eſt Sophiſtica; quæ falſas opiniones & malas cauſas fucoſis prætextibus tuetur. Hæc horribilia genera mendaciorum execrari & vitare magna ſapientia eſt, & virtus neceſſaria ac Deo grata.

CAPVT VIII.

Argumentum.

TERTIA *circa ſermonem ſeu virtus ſeu moderatio eſt vrbanitas, quæ eſt ingenij celeritas figuratè admonens aut reprehendens, comprobans aut refutans, ſeu metaphoris, ſeu ironia, ſeu tranſlatione cauſarum, ſeu ambigua oratione, ſeu* παρονομασίᾳ, *ſeu apologis, ſeu hiſtoricis exemplis, ſeu comicis ſeu tragicis, ſeu gnomis. Hæc moderatio in vſu talium figurarum virtus ab Ariſtotele nominatur, qui quidem & prudenter eam à ſtoliditate ſeu inſulſitate & ſcurrilitate diſcernit. Inſulſitas eſt ſtupor nimius & indignus homine. Scurrilitas eſt obſcœna dicere, aut in materia graui intempeſtiuis iocis, aut inimica ſubſannatione ludere, aut contumelioſa dicere in ſuperiores, aut in calamitoſos honeſtos, vt Semei ſcurratur maledicens Dauidi.*

TEXTVS.

PRincipiò quòd hominum vita tum corporis tum animi laborum plena eſt ac mole-

moleſtiarum, idcirco poſt labores ceſſatio quæritur, in qua recreetur animus, atque inter moleſtias iocus. Natura enim duce ad requietem trahimur ac voluptatem. Meritò igitur laudatur vrbanitas, quæ eſt mediocritas quædam iocandi & verbis & geſtibus, accommodatis ad laborum moleſtiarumq́ue ac curarum, doloris quoq; honeſtam & ſuauem relaxationem ingenuo viro dignam.

Verſatur autem hæc virtus inter duo extrema, quorum alterum ſcurrilitas, [a] alterum ruſticitas appellatur. Nam ſcurra nec modum in iocis retinet, nec menſuram, dumq́ue iocari queat ac riſum mouere, hinc honeſtatis modeſtiæq́ue digreditur è via, illinc vellicat aſtantes ac moleſtia afficit, & perturbat potius quã delectat aut recreat, vt finis eius nequaquam ſit refocillare facetijs ac iucundis dictis, ſed quouis modo riſum mouere, dumq́ue de-

[a] Scurrilitati apud Grecos nomẽ eſt βωμολοχία, ac impoſtoribus, qui ad frequẽtia ſacrificia accedebant, & ibi ſeu remedia morborum, ſeu vaticinia, ſeu maledica carmina venditabant. Scurræ autem nomen eſt à σκῶρ, id eſt, à ſtercore, vt in Ranis Ariſtophanis dicitur, εἶτα βόρβορον πολὺν καὶ σκῶρ ἀεὶ νῶν, plurimũ cœni & ſtercus ſemper fluitans. Ac alibi inquit Ariſtophanes, ἵνα μὴ γίνωμαι σκωραμὶς κωμῳδική. Ne fiã matula comica. Sic

lectet,

lectet, parum omnino curat alios lacessere ac sugillare. cùm vetustas nominarit sordida dicta stercora & σκωραμίδας κωμῳδικὰς, potius inde iudico scurras dictos esse, quàm à sequendo & currendo.

Agrestis autem proprium est viri tum abhorrere à dicendis facetijs atque à iocando, tum etiam ab audiendis, quæ cum iucunditate dicantur. Quamobrem huiusmodi hominum consuetudines difficiles sunt & parum gratæ, vitaque eorum tristior, nec omnino sociabilis, vt videantur cum natura ipsa parum consentire, quæ vt somnum dedit animalibus ad recreationem sensuum omnium, sic tribuit homini & orationem non ad vtilitatem modò societatis atque ad eam conseruandam, verùm etiam ad recreationem laborum ac molestiarum, quæ plurimæ contingunt in vita atq; in gerendis rebus.

Est igitur vrbani hominis proprium dicendo atque audiendo, quæ ad recreationem spectant animorumq; relaxationem mediocritatem sequi, & personæ propriæ auditorumque, loci item ac temporis dignitatem retinere, vt neque in dicendo iocandoq; procax sit, petulans, immodicus, intempestiuus, obscœnus, spurcus, ampullosus, neque in audiendo aut detestetur iucundè ac con-

cinnè dicta, aut aures auertat à lepidè atq; vrbanè pronunciatis. Est enim triplex iocandi genus, & quod seruile maximeq; degenerans est, & quod inter rusticos versatur, vrbanisque à moribus alienos homines, siquidem horum iocis ac dictis, vt alibi ruditas inest atque ineptitudo, sic alibi illiberalitas ingenuo viro nullo modo digna. Tertio autem generi liberalitas inest ac suauitas illa honestæ iucunditatis comes, tantumq; ab rusticitate remota, quantum rusticanis à moribus vrbani absunt, tantumque ab seruilitate aliena, quantum ab ingenuitate atq; à libertate seruitus.

Tres igitur virtutes in sermone versantur, ciuiliq; in consuetudine atq; in hominum vita, quarum vna veritatem in dicendo, duæ leporem sequuntur.

ἀπομνήματα.

EXEMPLA VRBANITATIS.

CVM Alexandro in aditu Asiæ nunciaretur, sudasse Orphei statuam, idque videretur quibusdam triste omen, Alexander contrà inquit, placere sibi omen, facturum se magnum laborem poëtis.

Cùm Alexander Lampsacum deleturus videret ad se accedere Anaximenem philosophum,

phum, vt pro patria deprecaretur, iurat se non facturum esse quod petiturus esset Anaximenes, hic pergit & petit deleri Lampsacum. Iam religione iurisiurandi impediebatur Alexander, ne Lampsacum deleret.

Cùm Demades accusaretur, quòd decretum scripsisset inhonestum de petenda pace ab Alexandro, respondit non suo stylo, sed Alexandri hasta hoc decretum scriptum esse.

Idem mortuo Alexandro dixit exercitum eius similem fore Cyclopi effosso oculo. Vt enim illa magna moles amissa luce oculi, variè errantes impetus & inutiles habebat, ita exercitus sine duce variè ruebat, & nullum certum regem constituere poterat.

Eundem pleraque contra patriæ dignitatem & commoda facientem dicere solitum accepimus, iure ac meritò sibi veniam tribuendam, quòd fractæ nauis reliquias colligeret.

Philippus pater Alexandri Magni læso iugulo, cùm indies ab eo aliquid postularet medicus, à quo curabatur, Quin tu, inquit, accipis quantum libet, cùm in tua potestate sit clauis? Nam κλεῖς clauem significat, ideoque hanc in corpore partem quidam clauiculam nominare non dubitarunt.

Idem expoſtulanti factioni Laſthenis Olynthij, quòd proditores patriæ à Macedonibus appellarentur, reſpondit, Macedonas eſſe nationem ſimplicem & ruſticam, & appellare ſcapham ſcapham.

Demochares ad Philippum, παῤῥησιάςης ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniẽſium legatos venerat. Audita benignè legatione Philippus, Dicite, inquit, mihi, facere quid poſsim, quod ſit Athenienſibus gratum. Excepit Demochares, Te, inquit, ſuſpendere. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt, quos Philippus cõticeſcere iuſsit, & Therſiten illum ſaluum, incolumemq; dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicũt, quàm qui impunè dicta audiunt.

Idem iuſsit iudicem, qui faciem pinxerat fucis, abdicare officium, inquiens, fucatum non verè iudicare.

Lentulus ſolitus eſt queri ſe abductum eſſe à ſtudio dicendi autore Auguſto. Hunc deridens Seneca, Etſi, inquit, auariſsimus erat, tamen adeò erat infans, vt facilius nummos quàm verba emitteret.

Imperator quidam cùm Papa ei ſuos theſauros oſtẽdiſſet ſimul interrogans, Nunquid, Imperator, nos poſſumus dicere, Aurum & argentum

gentum non eſt mihi? reſpondit ſatis opportunè & ſalsè, Sed nec illud quod ſequitur potes mi pater dicere, Surge & ambula.

Verè & venuſtè à Bonifacio Archiepiſcopo interroganti, liceret ne ſacramentum in ligneis vaſis adminiſtrare, reſpõſum eſt, Quondam ſacerdotes aurei ligeneis calicibus vtebantur, nunc lignei ſacerdotes aureis vtuntur calicibus.

Iulio ſecundo pontifici acerrimè contendenti cœli poſſeſsionem ad ſe pertinere, Petrus reſpondit,

Quod quis vendiderit, non putet eſſe ſuum.

Apud Plautum in Sticho pater his verbis filiam compellat:

Quid illos expectatis, qui ab hinc iam abierunt triennium?
Quin vos capitis cõditionem ex peßima primariã?

Hinc filia reſpondens, inquit:

Stultitia eſt pater, venatum ducere inuitas canes:
Hoſtis eſt vxor, inuita quæ ad virum nuptũ datur.

Plautus in Trinummo:

Mores, leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam,
Et miſeræ etiam ad parietẽ ſunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimiò fuerat æquius.

Vt piſcatores, inquit Ariſtophanes, non capiunt anguillas, niſi prius agitato & turbato ſtagno: ita Cleon quoties inconceſſam aliquã vtilitatẽ aucupatur, prius turbat ciuitatẽ.

Cùm in colloquio dux Fridericus Elector Saxoniæ dixiſſet, propter quas cauſas Monachi adeò iraſcuntur Luthero? Eraſmus reſpondit, Duo magna peccata admiſit, attigit coronam Papæ, & ventres Monachorum.

Puer Florentinus & argutus & perurbanus adductus ad ſacerdotem Cardinalem iocandi gratia, multa cùm facetè admodum, nec minus etiam ſcitè dixiſſet, ſacerdoſque ipſe ad amicum qui aſtabat conuerſus ſuſurraſſet, huiuſmodi pueros conſueſſe, vbi ad ætatem perueniſſent robuſtiorem, ingenio ſubcraſſeſcere, Næ, inquit, ô bone Cardinalis, puerulum te oportuit ſcitum fuiſſe admodum.

CAPVT IX.

Argumentum.

NVLLA *virtus aut magis neceſſaria eſt pueris quàm verecundia, aut in tenera ætate gratior. Eſt enim nutrix quædam cæterarum virtutum. De hac virtute diſſerit Ariſtoteles in fine libri quarti.*

TEXTVS.

QVanquam pudor non idem planè eſt quod virtus, firmamentum eſt tamen præcipuum virtutis. Malæ enim de ſe opinio-

nis

nis atque infamiæ eſt timor, in quo ſeuera eſt & diligens virtutis cuſtodia. Vt autem homines metu mortis expalleſcunt, ſic pudor effert ruborem, & in vultu peccatum pingit. Præcipuum verò ornamentum eſt adoleſcentię, [a] quia & frenum eſt coercens hanc ætatem, ne turpia faciat, & vindex eſt poſtea, ſi fecerit. Itaque adoleſcentes verecundos laudare ſolemus.

[a] Laert. lib. 6. Diogenes conſpicatus erubeſcentem adoleſcentem, Bono animo, inquit, eſto: hic color virtutis eſt. Et Terent. Erubuit, ſalua res eſt.

At in ſenibus nullam habet laudem hic affectus, quia ſenes ſumma cura prouidere debent, ne quid tale committant, quod ſit erubeſcendum.

τὰ μὲν κατ' ἀλήθειαν, τὰ δὲ κατὰ δόξαν) Sic Parmenides dixit, duplicem eſſe philoſophiam, τὴν μὲν καθ' ἀλήθειαν, τὴν δὲ κατὰ δόξαν, id eſt, vnam veram, alterã opinione talẽ. Philoſophia καθ' ἀλήθειαν ſignificat certas notitias, quæ ſunt demonſtrationes aut earũ mẽbra, id eſt, principia vel concluſiones quę habent vtilẽ in vita finem. Philoſophia κατὰ δόξαν ſignificat omnes opiniones vndecunq; ortas, vt Epicureos furores, deliria Stoica, dubitationes Academicas & quæ ſunt huius farinę alia: ſignificat itẽ λογομαχίας, quas Galenus coruorũ contẽtiones appellat, itẽ λεπτολογίας & ἀκριβολογίας, quæ nec ſcienti pro-

ſunt nec ignoranti nocent, item præſtigias ſophiſmatum quibus abſurda & manifeſtè falſa defenduntur, deniq; totum illud chaos nugarum, rixarum & diſputationũ, quibus ſuperioris ſeculi homines implicati fuerunt, & in quibus nunc quoq; multis adhuc hęrere libet. Poteſt autem dictũ Parmenidis non inuenuſtè, etiam ad Theologiam accõmodari. Vna eſt enim vera Theologia, quæ hauritur ex fontibus Iſraël, id eſt, ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Quę autem ab hac norma diſſentit, eſt Theologia κατὰ δόξαν, vt hoc tempore multi ſua ſomnia prętextu Theologiæ hominibus obtrudunt.

ὑπομνήματα.

DE DISCRIMINE INTER PVDOREM ET VERECVNDIAM.

PVDOR eſt motus, quo ſibijpſi quiſpiam conſcius iraſcitur propter admiſſam turpitudinem, ac ſeſe punit, & ſimul veretur aliorum iudicia. Ideo enim diuerſi affectus ſuaues & moleſti nobis inſiti ſunt, vt moleſti ſint vindices ſcelerum, ac pœnæ faciant conſpectius diſcrimen inter rectè facta ac ſecus facta. Verecundia eſt habitus metuentis turpitudinem & indignantis admiſſa turpitudine.

Extrema ſunt impudentia, & δυσωπία, id eſt, peruerſa & vitioſa verecundia reprehenſa à Plutarcho in libello περὶ δυσωπίας. Impudentia eſt

tia est contemnere Dei & omnium hominum iudicia & sine respectu iudicij propriæ conscientiæ & aliorum sanorum omnibus cupiditatibus frenos laxare. Quamobrem rectè dictum est ab Euripide, Impudentiam morbum esse maximum hominibus.

FINIS LIBRI QVARTI.

QVINTVS LIBER ETHICORVM ARISTOTELIS.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ IN LIBRVM QVINTVM ETHICORVM ARISTOTELIS.

I. De necessitate, dignitate & præmijs iustitiæ.
II. De argumento huius libri.
III. De vsu vocabuli Iustitiæ.

DE PRIMO.

QVEMADMODVM Pindarus ait, cruentum Ixionem in rota iacentem hãc vocem assiduo clamore repetere, *Discite iustitiam moniti & non temnere diuos:* ita non solùm vox diuina, sed etiam vera philosophia nos hortatur ad colendam religionem, & virtutum omnium excellentissimam iustitiam, quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur & magna confusio. Cùm enim ex tot generibus nullum sit animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei, rectè philosophia hunc finem hominis constituit, vt Deum agnoscat, & ei iustè viuendo obtemperet. Sed de religione & cultu Dei plura fortasse aliâs & suo loco.

loco. Nunc de iuſtitia dicamus, experiamurque ſi poſsimus oſtendere, iuſtitiam maximā eſſe virtutum omnium, & humano generi maximè conducentem.

Ac primùm quidem huius virtutis tam latè patet neceſsitas, vt ſine ea nec ſtare hominum ſocietas poſsit, nec amicitia, nec coniunctio vlla. Nam cùm natura ipſa iuſſerit homines ſocietatem colere & conſeruare, eandemque mirandis vinculis generationis, educationis, officiorum, contractuum, gubernationis, defenſionis copularit, facilè intelligitur non poſſe homines coniunctos & conſociatos viuere ſine legibus & magiſtratibus. Vt enim nec domus vlla, nec res familiaris quamuis ampla conſiſtere ſine rectore, atq; eo qui paterfamiliâs dicitur, poteſt: ita ciuitates ipſas ſolui ac dilabi neceſſe eſt, in quibus nihil valet Senatus, omnis eſt impunitas, nulla iudicia, vis & ferrum in foro verſantur, priuati ſe parietum præſidio, non legum tuentur, ad magiſtratuum domos cum ferro & facibus itur. Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia & diligentia eſſe ciuitas nō poteſt, quorũq; hoc munus eſt & officiũ, vt pręſint, præſcribãtque quæ recta & vtilia & coniuncta cum legibus. Vt enim populo præſunt magiſtratus: ita magiſtratibus leges, vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem

autem

autem mùtum Magiſtratum. Nec verò gubernatoribus ſolùm præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ſubditis obtemperandi modus. Nam & qui imperat ſit cuſtos legis, nec tyrãnicis indulgeat cupiditatibus, & qui ſubditus eſt non ſolùm obtemperet obediatque magiſtratibus, ſed eoſdem etiam colat & diligat. Itaq; oportet & imperia iuſta eſſe & ijs ciues modeſtè ac ſine recuſatione parere.

Quàm porrò neceſſaria ſit iuſtitia illa, quam Ariſtoteles vniuerſalem nominat, cùm alia multa declarãt, tum narratio Platonica in dialogo, qui inſcribitur Protagoras. Cùm enim homines ad ciuilem coniunctionem congregationemq; nati propter iniurias, quibus ſeſe mutuò afficiebant, rurſus diſsiparentur, Iuppiter metuens generi noſtro, ne penitus extingueretur, miſit in terras Mercurium, qui adduceret verecundiam & iuſtitiam, quibus ſimul et ornarentur, & continerentur ciuitates, in amicitiæ coniunctione. Petijt autem Mercurius doceri ſe, quónam pacto conferre deberet illas hominibus: Vtrúmne, inquit, ita diuidere me oportebit, vt artificia diuiſa ſunt. Sic autem illa ſunt diuiſa, nempe vt vnus, qui medicinam ſortitus eſt, multis alijs imperitis vſui eſſe ſoleat, ſimiliter & aliarum artium opifices. Ergo iuſtitiam atq; verecundiam ita ne hominibus tradi vis, an proponi vniuer-

vniuerſis? Vniuerſis, inquit Iuppiter, proponi & copiam fieri harum volo. Non enim ſtare ciuitates poſſent, ſi his pauci potirentur, vt fit de alijs artibus. Quinetiam hanc à me illis legem feres, vti quicunque à iuſtitia & verecundia alienus repertus fuerit, is tanquam peſtis ciuitatis ſuæ interficiatur. Hæc Plato. Spero ex his quæ dixi non eſſe obſcurū, quàm neceſſaria ſit in gubernatoribus & ſubditis iuſtitia vniuerſalis, quæ eſt obedientia iuxta omnes leges. Sequitur vt dicam de iuſtitia particulari, cuius duæ ſunt ſpecies. Vna diſtributiua, quæ curat & cauet, ne in creandis magiſtratibus, conferendis honoribus, reddendis præmijs, deniq; in alijs rebus quæ diuidendæ ac diſtribuendæ ſunt inter ciues, aliquid plus minúsve fiat, quàm quod æquum iuſtumq; videatur: Eſt enim eorum omnium diſpenſatrix optima. Altera verò commutatiua, quæ in faciendis commercijs & contrahendis rebus, ijſdemq; & metiendis & corrigendis verſatur. Hæ ſpecies iuſtitiæ particularis ita neceſſariæ ſunt, vt ijs nulla vitæ pars, ſiue tecum aliquid agas, ſiue cum altero contrahas, vacare poſsit.

Cùm enim nemo in ſumma ſolitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, perſpicuum eſt nos ad coniunctionem congregationemque hominum

num & ad ciuilem societatem natos esse. Res autem ostendit huic societati opus esse magna varietate officiorum, vt Aristoteles venustissimè dixit, Non ex medico & medico constare ciuitaté, sed ex medico & agricola. Et Scipio in 7. de Repub. apud Ciceronem inquit: Vt in fidibus ac tibijs atq; cantu ipso, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isq; contentus ex dissimilium vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis & medijs & infimis interiectis ordinib⁹ vt sonis, moderatam ratione ciuitatem, consensu dissimilimorum concinere, & quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam arctissimum atq; optimum, omnium in Rep. vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse. Est igitur necessaria virtus iustitia distributiua, quę singulis tribuit conuenienté honoré & conueniens munus. Neq; enim par honos habendus est fortibus & ignauis, nec concedendũ est, vt baiuli imperent, & mali sint superiores bonis, q, cùm fit, periculum est ne nauẽ fluctus opprimat, secundum Theognidis sententiam.

Altera vero species iustitiæ, quæ contractus gubernat, propter duas causas necessaria est. Primùm, vt nos admoneat de æqualitate in Deo, qui non est tyrannus, nec personarum

acceptator, ſed iuxta normam verbi à ſe traditi omnes confugientes ad filium Mediatorem recipit, & contrà omnes hoſtes atq; inimicos Chriſti reijcit & damnat, ſicut docet Paulus: Idem Deus diues in omnes, qui inuocāt eum. Et Petrus: In veritate cognoui, quòd Deus nō eſt acceptator perſonarum. Hæc cogitare de Deo profectò magna pietas & conſolatio eſt. Deinde, propter humanam ſocietatem, quæ non poteſt conſeruari niſi hac æqualitate. Vbi enim altera pars tantùm exhauritur, vt in vſuris & alijs expilationibus immoderatis, neceſſe eſt ſocietatem diſsipari.

Hactenus perſpicuè oſtendi, neceſſariam eſſe generi humano vtranq; iuſtitiam, vniuerſalem & particularē. Reſtat vt doceam, quanta ſit non modò dignitas, ſed etiam vtilitas iuſtitiæ. Veriſsimè à Platone dictum eſt, Deum metuentem, ne totum genus humanum interiret, dediſſe hominibus pudorem & iuſtitiam, vt eſſent ciuitatum tum vincula, tum ornamenta. Huius dicti confirmatio ſumi poteſt parrim ex Euripide, partim ex Ariſtotele. Ita enim Euripides æqualitatē laudat in Phœniſsis, Melius eſt æqualitatē colere, quæ amicos amicis, vrbes vrbibus, ſocios ſocijs deuincit. Ariſtoteles verò his verbis encomiū iuſtitię recitat: Ideo ſæpe prædicatur eſſe virtutū omnium præſtantiſsima, adęò vt nec Heſperus, nec

Lucifer ea formoſior ſit. Quare perſpicuum eſt iuſtitiam non tantùm eſſe vinculum, ſed etiam præcipuum ſocietatis humanæ decus & ornamentum. Quod enim ſpectaculum iucũdius cogitari poteſt, quàm videre ſtatum Reip. in quo ſingulis officijs præſunt idoneæ perſonæ, quæ tanquam vegetæ apiculæ mellificium Deo gratum & Eccleſiæ ſalutare magna aſsiduitate & diligentia exercent? Talem ſtatum fuiſſe legimus gubernante politiam Iſrael Dauide, qui fuit & vates bonus, & bellator fortis. Nam doctrinæ ſtudia regebant Prophetæ ſapientia & virtute præſtantes Samuel, Dauid & Nathan. Rempublicam armis defendebant rex ipſe & alij fortiſsimi heroës. In templo erant ſacerdotes & Leuitæ, qui non tantùm pecudes mactabant, ſed etiã enarrabant ſcripta Moyſi & Prophetarum. Feruebat igitur opus, vt Vergilius de apibus inquit, redolebantq; thymo fragrantia mella.

Accedit illa quoque cauſa, cur iuſtitia tantum inter alias caput efferat virtutes, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſsi, quòd reliquæ operam officij ſui huic dominæ & reginę præſtant. Conſtat enim temperantiam eſſe dulcem nutriculam iuſtitiæ, cùm in regno intemperantiæ nullus ſit iuſtitiæ locus. Huius dominæ quaſi quidam murus & propugna-

pugnaculùm eſt fortitudo. Huius deniq; fidelis monitrix & concionatrix eſt prudentia. Quare cùm natura ita ferat, vt inferiora ſeruiant præſtantioribus, neminem eſſe arbitror qui neget, iuſtitiam alijs virtutibus antecellere. Satis multa de neceſsitate & dignitate iuſtitiæ. Dicam deinceps de vtilitate huius virtutis. De tribus enim quæ propoſui hoc extremum eſt.

Quis autem ignorat iuſtitiam in gubernantibus & ſubditis totis imperijs ſalutarem eſſe? Etenim magiſtratus, qui regit ciues iuxta omnes leges Decalogi, publicæ ſalutis curam gerit, pacemq; tuetur, ac pacis bona, qua quidem in re proximè ad bonitatem Dei accedit. Nam Deus generi hominum omnia ſuppeditat, quæ ad viuendum neceſſaria ſunt. Hic ciuibus omnia præſtat, quæ ad conſeruandam ſocietatem, quæ ad ampliandam rem tum communem tum priuatam ſpectare vidétur. Πειθαρχία verò, id eſt, obedientia quã populus pręſtat magiſtratibus & honeſtis legibus, maximam vim habet, & ad paranda & ad retinenda bona, vt Xenophon in 8. Pædiæ veriſsimè ſcripſit.

Cùm autem iuſtitiæ particularis proprium ſit, cuiq; quod ſuum eſt reddere, confitẽdum eſt eam commune eſſe generis humani bonũ. Nam qui voluptates contemnit, aut libero-

rorum orbitatem æquo animo tolerat, is quidem priuatim bonus eſt, & ſibijpſi temperans ac fortis. Sed hoc eius factum ad alios minimè pertinet, nec ferè aut publicam, aut priuatam ciuium vtilitatem adiuuat, præterquam ſi exemplo ipſo profuerit. Atqui nec opum in ciuitate, nec autoritatis in Senatu, nec agri inter vicinos, nec pecuniarum inter eos cum quibus contrahit, vindicare ſibi plus voluerit, quàm quod ſit ſuum, is & erga alios virtute vtitur, atque in commune conſulit, qui alijs ciuibus, qui ſuus cuiq; locus eſt, integrum relinquit, eadem trutina, pariq; menſura, & ſibi & alijs metiẽs, vt rectè mihi Ariſtoteles dixiſſe videatur, cæteras virtutes ferè omnes vtentis proprias eſſe, iuſtitiã aũt cõmunẽ & publicã.

Eſt & illa oratio Platonis vera in ſexto de Legibus: Rectè & concinnè dictum eſt, amicitiam æqualitate effici. Sed quia non eſt perſpicuum, quæ ſit illa æqualitas, magni tumultus exiſtunt. Cùm enim duæ ſint æqualitates, quæ etiamſi nomen habent idem, tamen in multis rebus contrariæ ſunt. Alteram quidem intelligunt omnes, quæ æquali menſura, pondere & numero vbiq; diſtribuit. Sed veriſsimam & optimam æqualitatem non facile eſt cuilibet deprehendere. Dei enim iudicium eſt, atq; hominib. tenuiter contingit. Quatenus autem contingit, ciuitatibus & priuatis omnia

omnia bona affert. Quid quòd ſine commu-
nicatione rerum & ſine contractibus, quo-
rum gubernatrix eſt iuſtitia commutatiua,
nec vitæ præſidia haberi poſſunt, nec pax &
tranquillitas in Republica diuturna eſſe po-
teſt? Etenim natura alterum alterius indige-
re voluit, & hac indigentia velut clauo Ada-
mantino genus humanum inter ſe colligauit,
quia quod vni deeſt, præſtò plerunq; eſt alteri.
Res etiã oſtendit immoderatis vſuris magnas
gentes redactas eſſe ad inopiã, & multos coa-
ctos vẽdere filias & filios, qua ex re ſępe muta-
tiones imperiorũ ortæ ſunt. Hac igitur iuſtitia
vti ciuitas debet ſi nõ vult cõcuti ſeditionib⁹.

Cæterùm de iuſtitia in vniuerſum teneatur
hæc regula: Quemadmodum atrocia delicta
comitantur atroces pœnæ in hac vita, ita re-
gulare eſt homines iuſtos vitantes homicidia,
periuria, adulteria, habere vitæ curſum tran-
quilliorem, & exitum placidiorem, ſicut mul-
ta dicta ſapientum ſumpta à patribus & teſti-
monijs experientię, promittunt talibus maio
rem tranquillitatẽ, vt dictum Platonis, quod
extat in decimo de Republica: Nunquam à
Deo negligitur, qui habet propoſitum iuſtè vi
uendi, & qui cupit quantum homini poſsibi-
le eſt, Deo ſimilis eſſe. Etſi autem interdum
boni viri verſantur in magnis miſerijs: tamen
cùm intelligamus iuſtitiam Deo magis pla-

cere, ſtultiſsimum fuerit exiſtimare, in deteriore fortuna iuſtos futuros eſſe, quàm iniuſtos, quia Deus non dat in æternum fluctuationem iuſto, vt Pſalmus ait.

Maximum verò præmium iuſtitiæ eſt tranquillitas conſcientiæ, quam Pindarus vocat dulcem nutriculam ſenectutis. Vt enim polluti atrocibus delictis agitantur furijs conſcientiæ, & pœnam ſemper ante oculos verſari putant: ita nihil magis exhilarat animum, quàm bona conſcientia, quæ ſemper coniuncta eſt cum bona ſpe.

DE SECVNDO.

ARISTOTELES in quinto libro Ethicorum ad Nicomachum de iuſtitia, cuius neceſſitatem, dignitatem, & dulciſsimos fructus hactenus adumbraui, erudite & ſuauiter philoſophatur. Primùm enim definit iuſtitiam vniuerſalem, quæ tum virtutes cæteras, tum iuſtitiam vniuerſalem, quæ tum virtutes cæteras, tum iuſtitiam particularem continet. Deinde, particularis duas ſpecies recenſet, quarum vna in emendis, vendẽdis & mutandis rebus, altera in honoribus, magiſtratibus, præmijs ac pœnis diſtribuendis verſatur. Tertio loco diuidit ius in naturale & poſitiuum, quia neceſſe eſt iuſtitiam ad certam normam dire-

directam esse. Quarto discernit gradus iniuriarum, nō solùm vt refutet paradoxon Stoicum, quod fingit omnia delicta paria esse, sed multò magis ob hanc causam, vt doceat seruandam esse æqualitatem Geometricam in pœnis delictorum. Quinto illustrat discrimen summi iuris & æquitatis. Horum locorum cognitio non solùm in communi vita, sed etiam in Ecclesia necessaria est. Sæpe enim in Ecclesia repetuntur vocabula, iustitia, iniustitia, peccatum. Hîc nescire quas res hæc vocabula monstrent, & turpe est & perniciosum.

DE TERTIO.

MVLTVM omnino refert vocabulum iustitiæ rectè intelligere, & discernere iustitiam legis à iustitia Euangelij. Manifestum est aūt in philosophicis & legalibus sermonibus vocabulum iustitiæ habere has duas significationes. Primùm enim vsurpatur pro iustitia vniuersali, quæ est obedientia erga omnes leges, seu congruentia cum omnibus legibus, quæ sunt radij sapientiæ Dei discernentes recta & non recta. Vt cùm Aristides nominatur iustus, intelligitur vir nullius criminis reus, sed obediens omnibus legibus in externa disciplina. De hac iustitia Psalmus loquitur, Feci iudicium & iustitiam, id est, vitaui prohibita & feci mandata. Et Ioannes: Qui facit iusti-

tiam, iuſtus eſt. Et Paulus, Non auditores ſed factores legis iuſti pronũciantur, id eſt, obedientes legibus. Deinde ſignificat iuſtitiã particularem, quæ tuetur perſonarũ ordinem, vel efficit æqualitaté in contractibus. Vt cùm dicimus mercatorem iuſtum eſſe, qui non defraudat emtores. De hac iuſtitia dicitur Pſalmo 7. Iudica me ſecundum iuſtitiam meam, id eſt, ſecundum hanc cauſam iuſtam, in qua Saul me falsò criminatur, quòd ſim ſeditioſus, & velim eum ex regno excutere. Tu ſis teſtis, me non habere hanc iniuſtitiam. Sic Gen. 30. Iacob inquit, Cras reſpondebit mihi iuſtitia mea, ſcilicet particularis, quòd iuſtè mercedé poſtulem. Et Chriſtus Matthæi 3. Decet nos implere omnem iuſtitiam, ſcilicet particularem ſuæ cuiuſq; vocationis, me meam, te tuam. Tertius vſus eſt proprius Euangelij, vt cùm Paulus inquit, Nunc iuſtitia Dei ſine lege patefacta eſt, id eſt, remiſsio peccatorum & reconciliatio, ſeu imputatio iuſtitiæ, & acceptatio ad vitam æternã promiſſa propter Mediatorem. Quia enim iuſtitiam legis ſeu integram obedientiam non habemus, ideo in promiſsionibus Euangelij alia iuſtitia reuelatur, ſcilicet imputata propter filium Dei, quæ fide accipienda eſt. Hæc declaratio vocabuli iuſtitiæ plurimum lucis affert doctrinæ de maximis rebus, de voluntate Dei & de ſalute noſtra.

CA-

CAPVT I.

Argumentum.

ORDITVR *Aristoteles hunc librum à propositione. Pollicetur enim se dicturum esse de iustitia. Deinde admonet habitus ex contrarijs fieri conspectiores. Nam ex varijs significationibus iniustitiæ colligit quæ sit iustitia vniuersalis. Est autem iustitia vniuersalis, obedientia erga omnes leges. In fine capitis laudat iustitiam, cuius tanta vis est, vt ne illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. Nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occiditur à socijs, aut relinquitur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareat, quas obseruent. Cùm igitur tanta vis iustitiæ sit, vt ea etiam latronum opes firmet atq; augeat, quantam eius vim inter leges, & iudicia & instituta Reip. fore putamus? Hæc Cicero lib. 2. de Officijs.*

TEXTVS.

DE iustitia & iniustitia considerandum est, circa quales actiones versentur, & qualis mediocritas sit iustitia, & inter quæ extrema iustum sit medium. Sequemur autem

in hac consideratione eandem methodum, qua suprà vsi sumus.

Videmus autem omnes talem habitum velle nuncupare iustitiam, quo sunt idonei homines ad iustè agendum, & quo aguntiusta, & iusta expetunt. Econtra verò iniustitiam sentiunt esse, quâ homines iniusta perpetrant & expetunt. Ideo & nobis hæc initiò crassè dicta sunt profutura ad cætera, quæ sequentur.

Non enim habet se res eodem modo in scientijs, potentijs, & habitibus. Eadē enim potentia efficit contraria, eadem scientia iudicat contraria. Sed idem habitus non efficit contraria, sicut à sanitate sana tantùm fiunt, non contraria, sicut illum dicimus sanè ambulare qui ambulat vt sanus. Itaque contrarius habitus sæpe ex contrario fit conspectior. Interdum habitus cognoscitur ex obiectis. Nam cùm constat quæ sit bona corporis habitudo, iudicari etiam potest, quæ sit mala habitudo corporis. Cognoscitur item bona habitudo ex his, quæ efficiunt eam, & rursus ex bona habitudine iudicari potest qualia sint, quæ efficiunt eam. Nam si bona habitudo est carnis densitas, necesse erit malam habitudinem esse raritatem carnis. Et hoc efficit bonam habitudinem, quod efficit densam carnem.

Plærunq; autem accidit, si alterum pluribus

bus modis dicitur, & alterum pluribus modis dici, vt si iustum variè dicitur, iniusta etiam erunt varia. Ac videtur vtraque pluribus modis dici iustitia & iniustitia. Sed quia vicinæ sunt significationes, varietas non perinde cernitur, vt in alijs, quæ habent significationes magno interuallo distantes, vbi diuersæ figuræ efficiunt perspicuam differentiam, vt clauis dicitur & os iuguli [a] in animantibus, & qua fores clauduntur.

[a] αὐχὴν collum, σφαγὴ cauitas inter iugulos, κλεῖδες iuguli, clauiculæ, furculæ, id est, duo ossa à collo ad humeros extensa. Refert festiuum dictum Philippi Macedonum regis Plutarchus hoc modo: Philippus in prælio læso iugulo, τῆς κλειδὸς αὐτῷ κατεαγείσης ἐν πολέμῳ, cùm indies ab eo aliquid postularet medicus à quo curabatur: Quin tu, inquit, accipis, quantum libet, cùm in tua potestate sit clauis. Nam κλεῖς clauem significat.

Sumatur igitur quot modis iniustus dicitur. Videtur autem significare iniustus, & illum qui non obtemperat legibus, & eum qui defraudat alterum, nec reddit æquale. Et iustum significat legibus obtemperare, & æquale reddere. Iniustum verò non obtemperare legibus, item non reddere æquale.

Quòd autem inter appellationes iniusti πλεονέκτης est, hoc est, qui plus appetit, intel-

ligi debet, non de appetente plus bonorum cuiuſlibet generis, ſed de appetente plus in bonis fortunæ, quæ etſi ſunt re ipſa bona, tamen interdum alicui non ſunt bona. Verùm homines optant & expetunt fortunæ bona, etiam vbi non oportet. Sed debebant optare ea, quæ re ipſa bona ſunt, ſibi quoque bona eſſe, eligere autem tantùm ea, quæ ipſis bona ſunt. Deinde iniuſtus non ſemper eligit id quod plus eſt, ſed in malis id quod minus mali eſt, expetit. Verùm in malis id quod minus malum eſt, aliquo modo bonum dici ſolet. Itaq; is quoq; qui minus malum expetit, aliquo modo cenſendus eſt plus boni expetere, tametſi alijs nominibus rectius appellari poterat, videlicet non ſeruans æqualitatem, & non obtemperans legibus. Nam illud nomen non ſeruans æqualitatem commune eſt, & multa complectitur. Vtrunque enim eſt non ſeruare æqualitatem, plus auferre ac minus auferre. Et hæc duo ſunt communia nomina, quæ ambas iniuſtitiæ ſpecies complectuntur, videlicet violatio legum, & violatio æqualitatis.

Cùm autem violans leges dicatur iniuſtus, & legibus obediens dicatur iuſtus, ſequitur iuſtitiam eſſe quicquid fit iuxta leges. Sunt enim certa officia deſcripta & conſtituta legibus. Hæc iuſta eſſe aliquo modo ſentimus.

Leges

Leges autem de omnibus, quæ ad publicam tranquillitatem pertinent, decernunt, ſpectantes aut vtilitatem communem, aut optimatum, aut principum, aut dignitatem virtutis, aut aliud quiddam. Itaque eadem ratione omnia officia appellamus iuſta, quæ faciunt & conſeruant felicitatem Reipublicę & partium eius in ſocietate ciuili. Lex præcipit officia fortitudinis, vt non deſerere ordines, non fugere ex acie, non abijcere [*b*] arma. Præcipit & officia modeſtiæ, vt non committere adulterium, non facere contumeliam. Præcipit & officia manſuetudinis, vt non verberare, non conuitiari.

[b] Narrat Plutarchus in vita Pelopidę, legem militarē apud Græcos notaſſe ignominia non eum qui gladium, ſed qui clypeum abiecerat, quia prior eſſe cura noſtri tuendi debet, quàm hoſtes feriendi. Ita in diſputatione de rebus magnis prior eſſe cura debet, noſtras mentes rectè confirmandi, poſterior refutandi aduerſarij.

Ad hunc modum & de alijs virtutibus & vitijs præcipit, alia imperans, alia prohibens. Et rectæ leges recta conſtituunt, ſed temere poſitæ errant. Eſt igitur iuſtitia vniuerſalis, omnium virtutum officia facere. Sed id non ſimpliciter accipi debet, verùm quatenus

tenus alteri tanquam debitum præstatur. Ita enim cæteris virtutibus iustitiæ nomen tribuitur, quia referuntur ad leges & ad Remp. cui obedientiam præstant. Ideoque sæpe prædicatur esse virtutum omnium præstantissima, adeò vt nec [c] Hesperus, nec Lucifer, ea formosior sit. Et vulgò aiunt, Iustitia in sese virtutes continet omnes. Et ob hanc causam maximè perfecta virt⁹ est, quia vsus est omnium virtutum erga leges & Magistratus.

[c] Plinius libro 2. cap. 8. Infra Solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagũ, ipsisq; cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præueniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt Sol alter diem maturans. Contrà ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, vt prorogans lucem, vicemq; Lunæ reddens. Iam magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantæ, vt vnius huius stellæ radijs vmbræ reddantur. Huius natura cuncta generantur in terris. Namque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terræ modò conceptus implet, verùm animantium quoque omnium stimulat. Hæc Plinius.

Etsi autem omnium rerum optima & pulcherrima est iustitia vniuersalis seu disciplina, id est, ordo vitæ externæ congruens legi Dei, & nihil melius aut pulchrius habet lapsa hominum natura: tamen hoc tanto bono præditi & optimè morati non sunt iusti coram Deo & hæ-

redes

redes vitæ æternæ, quia disciplina non delet peccatum hærens in natura, nec tollit mortem. Hęc admonitio de discrimine disciplinæ & iustitiæ fidei alibi prolixè explicatur.

Est enim illa demum perfecta virtus, quam erga alios exercere quispiam potest, nec tenet ita languidam, vt quamuis ipse seorsim ea vtatur erga sese, tamen erga alios vti, aut conferre ad communem societatem nõ queat. Multi enim virtutem habent, eaque erga seipsos vtuntur, erga alios vti non possunt. Quare præclarè dictum putatur à Biante, Magistratus [d] ostendit virum. Nam magistratus versatur in cõmuni societate, & erga alios gerit officium. Ideoque sola iustitia videtur plus cõducere alijs, quàm ijs qui eam exercent. Refertur enim ad alios, & agit ac gerit ea, quæ alijs prosunt videlicet aut principi, aut Reipub. Ac vt pessimus est is, qui erga sese & erga propinquos iniustus est, ita ęcontra

[d] Sophocles in Antigone:

Non pectus vllius potest introspici,
Vrbis magistratus priusquam gesserit.

Et Chrysostomꝰ dialogo tertio de Sacerdotio: Homines priuatam & tranquillam vitam agentes, & nullis negocijs implicati possunt tegere suas infirmitates, cùm à ciuili societate remoti sint. Sed in medium producti, coguntur quietem quasi quandam vestem exuere, &

optimus

optimus eſt, qui non erga ſe tantùm, ſed etiam erga alios virtuté exercet. Hoc enim difficile eſt. Hæc igitur iuſtitia non eſt pars virtutis, ſed vniuerſa virtus. Et iniuſtitia contraria non eſt pars turpitudinis, ſed vniuerſa turpitudo.

ſenſus animorum in lucē aſpectumq́ proferre, qui extra negocia abditè latebant. Etſi enim multis ſimulationum inuolucris tegitur vniciuſque natura, & quaſi quibuſdam velis obtenditur: tamen gubernatio hominem ex tenebris eductum in clara luce collocat, & quicquid eſt conſiliorum & affectuum in corde, id omne aperit & patefacit. Nam ſi hominis ingenium ardet ambitione & æmulatione, diu latere non poteſt, ſed in neruum erumpit, vt dicitur, & collegas premere noctes & dies cogitat. Sin autem crudele eſt & iracundum, facilè inflammatur admotis negociorum facibus, quæ ſæpenumero ita moleſta & odioſa ſunt, vt vel manſuetiſsimum pectus commouere, & de gradu deijcere poſsint. Facile eſt igitur hominibus priuatis magnam præ ſe ferre aut modeſtiæ, aut manſuetudinis, aut aliarum virtutum ſpeciem, quia nullas habent cauſas, cur alijs vel inuideant, vel iraſcantur, vt Nero, Iulianus & ſimiles, donec priuatim vixerunt, fucum facere imperitis potuerunt. Qui verò in gubernatione præſertim celſa atque illuſtri cæcas & temerarias cupiditates reprimit, hic ſapiens, hic beatus omnium conſenſu iudicatur.

Quid autem interſit inter hanc iuſtitiam & virtutem, manifeſtum eſt ex his, quæ diximus.

mus. Idem enim ſunt, ſed ratione quadam differunt. Quatenus enim ſpectat alios, & debitum officium communi ſocietati præſtat, iuſtitia dicitur, ſed quatenus habitus in nobis eſt, virtus dicitur.

CAPVT II.

Argumentum.

IN HOC *capite agitat quæſtionem, an ſit iuſtitia particularis, & ratiocinatur per enumerationem, quòd ſit certa ſpecies diſtincta ab alijs virtutibus, quæ circa lucra verſantur. Argumentatur autem ex contrario, quod eſt conſpectius. Eſt quoddam delictum in lucris diſtinctum ab alijs vitijs. Ergo eſt peculiare vitium. Hac quæſtione explicata, confert particularem cum vniuerſali tanquam ſpeciem cum genere, ſeu partem cum toto, & tradit definitionem particularis iuſtitiæ. Deinde addit epilogum, ac repetit definitionem iuſtitiæ vniuerſalis. In fine huius capitis diuidit Ariſtoteles iuſtitiam particularem in Diſtributiuam & Commutatiuam.*

TEXTVS.

QVærenda eſt autem & iuſtitia, quæ eſt pars virtutis. Eſt enim eiuſmodi quædam iuſtitia, vt diximus. Eſt & iniuſtitia quædam particularis, vt ſigna teſtantur. Nam qui in

qui in alio genere peccat, etiamsi non rectè facit, tamen non hoc ipso fine peccat, vt defraudet alios, vt qui propter metum abiecto clypeo fugit, aut qui iratus conuiciatur, aut qui propter illiberalitatem non largitur gratis pecuniam. Sæpe autem non istis modis peccant homines, sed alio quodam modo, vt videlicet defraudent alios dum captant lucrum. Hos propriè vocamus iniustos. Quare sequitur, peculiare quoddam vitium esse iniustitiam, & iniustum particulare quoddam, præter iniustitiam illam vniuersalem, quæ complectitur omnia, quæ legibus aduersantur. Nam si quis lucri causa committat adulterium, & pecuniam accipiat, alius autem det pecuniam, ac damnum faciat propter libidinem, hic libidinosus magis dicitur, quàm alieni cupidus. Ille verò inhians lucro dicitur iniustus, non libidinosus. Constat igitur eum iniustum dici, propterea quòd iniustum lucrum aufert.

Iam alia delicta omnia referuntur ad certam speciem vitiorum, vt adulterium ad incontinentiam, deserere manipularem ad timiditatem, pulsare aliquem ad iracundiam. Sed si quis cum damno alterius lucrum fecerit, id ad nullum vitium nisi ad iniustitiam refertur. Quare perspicuum est præter totam illam iniustitiam, quæ omnia vitia complectitur,

ctitur,

ctitur, aliam quandam certam ſpeciem eſſe, quæ mutuatur nomen generis, quia definitio ex hac parte conuenit, quòd vtraque erga alios exercetur. Sed iniuſtitia particularis circa honores, aut pecuniam, aut defenſionem corporis, ſimilia fortunæ bona verſatur, & captat lucrum. At iuſtitia vniuerſalis circa omnia verſatur, circa quæ verſatur vir bonus.

Conſtat itaque iuſtitiam duplicem eſſe, & quandam particularem eſſe, præter illam quæ omnes virtutes complectitur. Nunc dicendum, quæ & qualis ſit. Suprà autem admonui iniuſtum dici dupliciter. Nam aliàs non obedire legibus iniuſtum dicitur, aliàs inæquale iniuſtum dicitur. Et econtra iuſtum eſt quod legitimum eſt, aut quod æquale eſt. Porrò iniuſtitia vniuerſalis, de qua diximus, eſt non obedire legibus. Sed inæquale & non parere legibus, non ſunt patria. Alterum enim habet ſe velut pars ad totum, & non parere legibus patet latius quàm inæqualitas, ſicut hæc ipſa latius patet quàm quod plus eſt. Ad hunc modum iniuſta non ſunt paria, ſed vniuerſalis iniuſtitia habet ſe velut totum, ſicut non parere legibus, particularis velut pars, ſicut inæqualitas. Econtra iuſtitia vniuerſalis habet ſe velut totum, particularis velut pars.

Dicendum eſt igitur de hac particulari iu-ſtitia, & particulari iniuſtitia: item de iuſto & iniuſto. Eſt autem iuſtitia vniuerſalis omnium virtutum vſus erga alios. Iniuſtitia verò vniuerſalis eſt vſus omnium vitiorum erga alios. Sed hæc prima ſpecies nunc relinquatur. Quæ enim iuſta & iniuſta ſint in his, facilè iudicari poteſt. Leges enim continent vniuerſalem iuſtitiam, quia præcipiunt omnium virtutum officia, & prohibent omnia vitia. Nam leges de publica diſciplina ciuium latæ, efficiunt iuſtitiam vniuerſalem. Aſſuefaciunt enim ad obedientiam, in omni virtutum genere referendam ad communem ſocietatem. Cæterùm de ſingulorum diſciplina, quæ priuatim bonos viros efficit, vtrùm eadem ſit cum publica diſciplina, an alia quædam ſit diſciplina, poſtea dicendum eſt. Fortaſsis enim non eadem conueniunt omnino viro priuatim vitam agenti, & verſanti in Republica.

Iuſtitiæ autem eius quæ pars eſt, & iuſti particularis, altera ſpecies eſt in diſtributione, vel honorum, pecuniæ, vel cæterarum rerum, quas in eadem Republica ciues diſtribuunt. Inter hos enim accidit, vt alius collatus ad alios, videatur habere æqualem partem aut inæqualem. Altera verò ſpecies emendat contractus, qui ſunt duplices. Aut

enim

enim cum volentibus contrahimus, aut cum nolentibus. Contractus facti cum volentibus sunt venditio, emtio, mutuatio, oppignoratio, commodatio, depositum, locatio, conductio. Et dicuntur voluntarij, quia fiunt voluntate vtriusque contrahentis. Sed qui fiunt cum nolentibus, alij sunt clandestini, [a] vt furtum, adulteriũ, veneficium, lenocinium, plagium, cædes clandestina, falsum testimoniũ. Violenti [b] verò sunt, vt verberatio, vincula, cædes, rapinæ, mutilatio membrorum, conuitia, contumeliæ.

[a] Furtum est res alienas auferre sine iusta causa, seu vi seu fraude, & quidem sine compensatione.

Lenocinium est filium aut filiam, aut alium quempiam adolescentẽ aut puellam prostituere.

Plagium est homini libero conciliare seruitutem. Inde plagiarius, qui homines liberos in seruitutem abducit.

[b] Violenti βίαια) αἰκία est verberatio non atrox & non coacta turba. κακηγορία est leue conuicium, quod etsi verum est, non affert infamiam.

ὑπομνήματα.

PRIMA DIVISIO IVSTITIAE IN VNIVERSALEM ET PARTICVLAREM.

MAGNA laus est Aristotelis, quòd confusè dicta distinguit, & ad normas artium ac-

commodat. Cùm igitur lõga & inuoluta diſputatio ſit apud Platonem in primo & ſecundo Πολιτειῶν de appellatione iuſtitiæ, Ariſtoteles vt modos loquendi diſcerneret, & ſuum cuique locum tribueret, primam iuſtitiæ partitionem ſapienter inſtituit, hauſtam ex conſuetudine ſermonis, & ex ipſis naturæ fontibus. Alia, inquit, eſt iuſtitia vniuerſalis, alia particularis. Animaduertit enim nomen iuſtitiæ aliàs complecti totum chorũ virtutum, vt cùm dicimus, Ariſtidem eſſe iuſtum ciuem, aliàs ſignificare ſpeciem regentem cõtractus, aut ordinantem perſonas. Hæc de conſilio Ariſtotelis ſatis ſit monuiſſe.

Quid eſt iuſtitia vniuerſalis?

Cicero ſapientiſsimè dixit, primam eſſe homini cum Deo ſocietatem. Cùm enim mens intelligat naturam humanam à Deo ortam eſſe, intelligit nos ſubiectos eſſe cauſæ ſeu conditori, ac debere ei obedientiam. Eſt igitur prima definitio iuſtitiæ vniuerſalis: Iuſtitia vniuerſalis eſt obedientia omnium virium in homine, neceſſariò præſtanda Deo conditori iuxta omnes leges ab ipſo propterea inſitas naturæ humanæ, vt congruat noſtra natura cum mente & voluntate Dei, & non congruens deſtruatur, & vt in hoc iudicio agnoſcatur, qualis ipſe ſit, & à malis diſcernatur. Deinde

inde quidam ordo eſt hominis erga ſeipſum, qui in hoc vno maxime laborat, vt motus animi rationi pareant, ne veluti incuſtoditi & paſsim vagantes liberius exultent. Hunc ordinem Plato conſiderans iuſtitiam vniuerſalem definit, obedientiam eſſe omnium virium erga rectum iudicium rationis.

Cùm autem homo ad ſocietatem natus ſit, & hanc regi oporteat legibus & Magiſtratibus, non ſolùm quærendũ eſt, qui ſit ordo homini ad Deum & ad ſuas vires, ſed etiam qui ſit ordo homini erga leges & Magiſtratus. Conſtituit igitur Ariſtoteles hanc definitionem, vt dicat iuſtitiam vniuerſalem eſſe obedientiam erga omnes leges in ſocietate, quæ honeſtis legibus regitur. De hoc triplici ordine naturæ humanę Lex diuina nos admonet, Diligas Deum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum. Et Paulus in concione ad Titum cap. 2. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus erudiens nos, vt piè, iuſtè & modeſtè in hoc ſeculo viuamus. Pietatem vocat veram agnitionẽ & celebrationem Dei. Huic adiungit modeſtiam, quæ ita regit hominem, vt ratio imperet, & appetitus ſe obedientem præbeat. Poſtremò nominat iuſtitiam, quæ eſt obedientia erga leges & magiſtratus. Quãobrem in tota vita meminerimus, quid Deo, quid nobiſipſis, quid communi ſocietati de-

beamus, & in ſingulis officijs præſtandis ordinem conuenientem ſeruemus. Non enim Demadis præcepto obtemperandum eſt, qui dixit, Cauete ne terram amittatis, dum cœlo iniuriam fieri prohibetis, ſed cauendum eſt, ne quid hominum ſuaſu iuſsúve quod contra Deum ſit faciamus, cui arctiſsimis obedientiæ vinculis obſtricti ſumus, & cuius in nos ius antiquiſsimum eſt & maximum.

Quid eſt iuſtitia particularis?

Eſt conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuens. Hanc venuſtam definitionem ſcribit Plato in ſecundo de Republica traditam eſſe à Simonide, eamque antefert cæteris definitionibus, cùm quidem multas recitet. Sed phraſin & genus ſermonis intelligere iuniores neceſſe eſt. Conſtans & perpetua voluntas ſignificat hoc loco firmum propoſitum non inferendæ iniuriæ alijs. Ac eruditè reddidit Iuriſconſultus Græca verba, ἕξις προαιρετική. Nam habitus eſt firmum propoſitum & perpetuum, & quia ratio propoſiti debet eſſe vera & ſecum conſentiens, dicitur conſtans voluntas. Ita hæc duo vocabula in latina definitione comprehenduntur, ἕξις προαιρετική.

SECVN-

SECVNDA DIVISIO IVSTITIÆ.

Duæ ſunt ſpecies iuſtitiæ particularis, Diſtributiua & Commutatiua, nec ſunt plures. Hæc partitio ex ipſa natura eruditiſsimè & aptiſsimè ſumta eſt. Quemadmodum enim aliæ virtutes ſunt moderationes affectuum, & priuatam hominis vitam regunt: ita iuſtitia particularis totam hominum ſocietatem gubernat, in qua neceſſe eſt aut perſonas ordinari, & ſingulis conuenientia officia & munera aſsignari, aut res communicari ſeu commutari. Aliter autem conſtituitur æqualitas in perſonis ordinandis, aliter in rebus compenſandis. Neceſſe eſt igitur hoc diſcrimen tradi inter duas ſpecies iuſtitiæ particularis, quarum vna contractus gubernat, altera perſonas ordinat, ſeruata æqualitate congruente tum rerum commutationi, tum perſonarum ordinationi.

DE CONTRACTIBVS.

CONTRACTVS eſt mutua & honeſta conſenſio duorum vel plurium de re aliqua legitimo modo transferenda, vel quo ad dominiũ, vel quo ad vſum, vel quo ad obligationem, diuinitus ordinata, vt iuſta communicatione rerum genus humanum conſeruetur, & intelligamus Deum eſſe iuſtum, id eſt, æ-

qualem iuxta regulam quam propoſuit. Sunt autem contractuum alij innominati, vt verbi cauſa, *Do vt des, facio vt facias, do vt facias, facio vt des.* Alij nominati, quorum alij transferunt rem quoad dominum, vt emtio & venditio, donatio, mutuatio. Alij quo ad vſum, vt commodatio, locatio. Alij quo ad obligationem, vt depoſitum, pignus. Venditio & emtio ſunt contractus, in quo obligat ſe vendens ad tradendam mercem ementi, atque ita ad tranſferendum dominium, & poſſeſsionem mercis pro iuſto precio, & viciſsim emtor obligat ſe ad dandum precium. Quare vt merx ſit ementis, ita precium ſit vendentis, nec licet emtori repetere precium. Donatio eſt rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. Mutuatio eſt contractus, in quo res quæ vſu cõſumitur, gratis transfertur, cum hac obligatione, vt tantundem poſt certum tempus reddatur, & dans mutuo retinet ius tantundem petendi, quantum mutuo dedit. Commodatio dicitur alicuius rei ad aliquem ſpecialem vſum gratuita conceſsio, accipiente obligato ad reddendum idem in numero ſine corruptela. Locatio eſt perſonæ vel rei ad vſum conceſsio pro pecunia numeranda, de qua conuenit. Depoſitum eſt res, quæ alterius fidei commendata eſt, vt non minore diligentia quàm res propria ab eo cuſtodiatur, & red-

& reddatur domino poſcenti ſine inſigni detrimento & mutatione. Pignus eſt res, de qua inter debitorem & creditorem conuenit, vt ſit pro debito obligata.

ALIA DIVISIO CONTRACTVVM.

Contractus bonæ fidei ſunt, in quibus aliqua non nuncupata lingua, tamen propter æqualitatem debentur, vt emtio, venditio, locatio, conductio, depoſitum, ſocietas, pignus, commodatū. De his cōtractibus honeſtiſsima regula traditur: Inter bonos bene agier, id eſt, præſtet homo honeſtus ea, quæ communis ratio iudicat æqualia eſſe. Contractus ſtricti iuris dicuntur, in quibus tantùm nuncupata lingua debentur, vt in mutuo.

Quæ ſunt cauſæ Contractuum?

Cauſa efficiens eſt Deus, vt hæc dicta teſtantur. Leuit. 19. Nolite facere inæqualitatem in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Prouerb. 16. Libra & pondus iudicia Domini ſunt, & omnes lapides lancis. Deut. 25. Abominatur Dominus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam. Hæc dicta teſtantur, Deum miranda ſapientia ordinaſſe contractus, & amantem eſſe iuſtitiæ, ſeu æqualitatis in contractibus. Cùm enim ſinguli in-

digeant rebus, quas ipsi non habent, vult Deus seruata æqualitate legitimis contractibus & communicatione legitima vitam hominũ copulatam esse, vt intelligamus iustitiam æqualitatem esse, & sciamus ipsum æqualem esse. Materia seu obiectum est pecunia vel alia res vtilis. De hac causa inquit Paulus 1. Cor. 7. Præterit figura huius mundi, id est, gestus mundani, varij gradus vitæ, dominia, seruitutes, contractus. Forma est mutua & honesta consensio. Nullus enim contractus debet esse pactio turpitudinis. Finalis causa est, Deus sanxit contractus, vt sint vincula societatis, in quibus vult exerceri iustitiam, vt discamus quid sit iustitia, videlicet æqualitas, & agnoscamus ipsum esse iustum, id est, æqualem.

Quæ sunt discrimina Contractuum?

Differt emtio à donatione, quia substantialia emtionis sunt, merx, precium & consensus emtoris & venditoris. Donatio fit sine precio, nec vllam requirit compensationem. Differunt etiam emtio & mutuatio, quia nulla emtio sine pretio esse potest. Mutuatio autem officiosa est gratuita. Deinde dans mutuo habet ius repetendi debitum, & ad naturam mutuationis pertinet constituere certum tempus ad reddendum. Emtor verò non habet ius aut tempus vllum repetendi precium.

Porrò inter mutuationem & commodationem hoc intereſt, quia in mutuatione transfertur res non modò quoad vſum, ſed etiam quoad dominium, cum obligatione ad reddendum idem in genere ſeu æquiualens. In commodatione acquiritur ſpecialis vſus, non dominium, & accipiens obligatur ad reddendum idem in numero, pondere & menſura.

Quæ ſunt accidentia Contractuum?

Duo ſunt accidentia contractuum, quorum alterum honeſtum eſt, alterum turpe. Honeſtum, quod ex naturali æqualitate ſumitur, iuxta regulam, Nemo locupletetur cum alterius iniuria, nominatur Intereſſe. Eſt autem debitum, quod debet iure naturæ is, qui efficacem cauſam damni alteri dedit, aut qui verè impediuit alterius iuſta lucra, vt ſi quis in locato corrumpit aliquid, debet id quanti intereſt, id eſt, debet ſarcire damnum, etiamſi nulla pactio de hac re præceſsit. Quòd aũt vocabulũ honeſtæ rei Intereſſe, prætexitur crudelibus vſuris, pernicioſa ſophiſtica eſt. Accidens turpe eſt vſura, id eſt lucrum, quod propter mutuationem petitur. Expreſsè autem prohibita eſt vſuræ petitio Leuit. 25. Non accipias vſuras, neq; amplius quàm dediſti. Time Deũ tuum, vt viuere poſsit frater tuꝰ apud te. Pecuniã tuã non

non dabis ei ad vſuram. Idem mandatum repetitur Deut.23. Et Pſalmo 15.dicitur:Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Pugnant enim vſuræ cum æqualitate. Nemo debet lucrari de alieno. Accipiens vſuras lucratur de alieno: quia mutuatio tranſtulit dominiũ, & quidem rei nõ ſua natura fructificantis. Non eſt igitur iuſtum lucrum. Ac res oſtendit propter hanc inæqualitatem exhauriri magnam partem hominum,eamq́; ob cauſam non modò ſacræ literæ, ſed etiam ſapientes extra Eccleſiam vſuras vituperarunt. Vt Cato in 1. de re Ruſtica: Maiores noſtri ſic habuere,& ita in legibus poſuere,furem dupli condemnari,fœneratorem quadrupli. Quantò peiorem ciuẽ exiſtimarint fœneratorem quàm furem, hinc licet exiſtimari. Item, cùm ab eodem quæreretur,quid eſſet fœnerari? reſpondit, quid hominem occidere?

Eſt & illa Ariſtotelis ſententia memoria digna in primo Politicorum cap. 7. Iuſtè in odio eſt fœneratoria,quia nummo vtitur tanquam merce, & ex eo quod non fructificat natura, fructum capit. At commutationis cauſa factus eſt nummus. Maximè igitur prẹter naturam eſt,nummum fieri mercem.

CAPVT

CAPVT III.

Argumentum.

CVM *ſuprà virtutes dixerit eſſe mediocritates, venuſtè iam quærit, qualis mediocritas ſit iuſtitia. Et quia iuſtitia non vt cæteræ virtutes tantùm noſipſos regit, ſed cum alijs agit, ideo monet collatione opus eſſe. Itaq; cùm & rerum & perſonarum fiat collatio, ex proportionibus diſcernit ſpecies illas, diſtributiuam & commutatiuam, ac docet in diſtributiua requiri analogiam Geometricam, non quidem continuam, ſed diſcretam, ex qua extruitur argumentum* ἐναλλάξ.

DE PROPORTIONIBVS.

DISCANT iuniores aliud eſſe λόγον, aliud ἀναλογίαν. Λόγος ſeu ratio eſt duarum magnitudinum vnius generis inter ſe quidam ſecundum quantitatem reſpectus. Analogia ſeu proportio eſt rationum comparatio. Eſt autem duplex analogia, alia arithmetica, alia Geometrica. Arithmetica eſt, cùm tribus aut pluribus numeris diſpoſitis ſeruatur differentiarum æqualitas, vt 3. 5. 7. 9. Hi numeri ſinguli diſtant binario. Geometrica eſt, vbi non differentiarum, ſed proportionum æqualitas ſeruatur, vt ſicut ſe habent 9. ad 3. ſic ſe habent 12. ad 4. quia vtrobiq; tripla proportio eſt.

Diui-

Diuiditur autem Geometrica in continuam & diſcretam. Continua eſt, quæ in tribus terminis conſiſtit. Vt 8.4.2. Sicut enim ſe habent 8. ad 4. ita ſe habent 4. ad 2. Diſcreta eſt, in qua termini quatuor, ſex aut plures inter ſe comparantur, vt ſicut ſe habent 8. ad 4. ita ſe habent 2. ad 1. Hoc diſcrimē ideo recitatur, vt facilius declarari poſsit, quæ ſpecies Geometricæ proportionis ad iuſtitiam diſtributiuam congruat. Nam in diſtributiua iuſtitia non habet locum proportio continua. Sunt enim duo termini rerum, & duo perſonarum conſtituendi, qui non pariunt continuam proportionem.

Et quoniam in diſtributiua iuſtitia vtendum eſt permutata proportione, breuiter ex Euclide repetam huius agumentationis deſcriptionem. Eſt igitur ἐναλλὰξ λόγος, id eſt, permutata proportio ſeu ratio viciſsitudinis ſumtio antecedentis cōparatæ ad antecedentem, & conſequentis ad conſequentem. Vt ſicut ſe habent 8. ad 4. ita ſe habent 2. ad 1. Ergo ἐναλλὰξ. Sicut ſe habent 8. ad 2. ita 4. ad 1. Quomodo autem hæc forma argumentandi ad iuſtitiam diſtributiuam accommodanda ſit, paulò pòſt dicam.

TEX-

TEXTVS.

CVM autem iniuſtus ſit, qui non reddit æquale, & iniuſtum ſit inæquale, neceſſe eſt & medium quoddam exiſtere inter inæqualia. Id autem eſt quiddam æquale. Nam vbi plus & minus reperiuntur, deprehendi & aliquid æquale neceſſe eſt. Cùm igitur iniuſtum ſit inæquale, ſequitur iuſtum æquale eſſe. Hæc adeò perſpicua ſunt, vt longiorem diſputationem non deſiderent.

Cùm autem æquale ſit medium inter plus & minus, ſequitur & iuſtum medium quiddam eſſe. Deinde æquale comparatio duorum eſt. Itaq; iuſtum cùm & medium quiddam ſit & æquale, relatiuè ſe habet ad aliud & erga alios. Quatenus enim eſt medium, verſatur inter plus & minus. Quatenus verò eſt æquale, æquali conferenda ſunt duo paria. Poſtremò, quatenus iuſtum eſt reſpicit alios.

Verſatur igitur iuſtum circa quatuor, videlicet circa duas perſonas, & circa res duas. Æqualitas autem & rerum & perſonarum conſtitui debet, quod ſi non fiat, pares non habebunt paria, vnde exiſtunt bella & contentiones, cùm aut pares non conſequuntur paria, aut impares paria conſequuntur. Idque hinc apparet, quòd omnes confitentur, in legendis Magiſtratibus & diſtribuendis honoribus

atq;

atq; imperijs efficiendum esse, vt digni præferantur. Sed dignitas alibi aliter æstimatur. Nam vbi summa autoritas est populi, præcipua cura est retinendæ libertatis, & digni iudicantur, qui acerrimè propugnant vulgi libertatem atq; æqualitatem. Sed vbi summa autoritas est penes paucos, digni existimantur illi, qui præstant opibus aut nobilitate. Verùm in optimo statu Reip. digni censentur, qui virtute excellunt. Itaq; cùm facienda sit æqualitas personarum & rerum, proportio quærenda est, & iustum erit, quod proportione cuilibet conuenit. Proportio autem non est numeri tantùm, sed omnium quantitatum. Nam proportio est conuenientia rationum. Versatur autē in quatuor terminis. Ac de discreta proportione manifestū est, quòd in quatuor terminis versetur. Sed continua repetet medium terminum, vt, sicut se habent 8. ad 4. sic se habent 4. ad 2. Bis igitur sumitur quaternarius. Ita quatuor erūt termini, qui inter se cōferuntur, quia quaternarius repetitur.

Iustum autem versatur in quatuor terminis, quorum similis est proportio. Nam qua proportione distant inter se personæ, eadem distant inter se & res, Vt sicut se habent decem aurei ad quinque, ita se habet Achilles ad Aiacem. Ergo permutata proportione, sicut Achilli dantur decem, ita Aiaci competent quin-

quinque. Itaq; totum ad totum habet ſimilem proportionem, iuxta quam diſtributio paria paribus accommodat. Et cùm ita componit, iuſtè accommodat. Quare accommodatio decem ad Achillem & quinque ad Aiacem in diſtributione iuſtum eſt. Et iuſtum medium eſt, videlicet, ſi reſpiciatut ad illa, quæ non quadrabant pro proportione. Nam id dicitur hîc medium, quod quadrat pro proportione. Iuſtum autem tale medium eſt, quod pro proportione quadrat.

Vocant autem hanc comparationem proportionum Mathematici Geometricam. Nam in Geometrica comparatione accidit, vt totum ad totum conferarur, ſicut pars ad partem. Porrò hæc non eſt continua proportio. Non enim eſt idem terminus medius, ſed ſunt duo termini. Quare hoc iuſtum eſt, quod quadrat pro proportione. Illud iniuſtum eſt, quod non quadrat pro proportione: Fit igitur plus & minus, quod in actionibus apparet. Nam qui iniuriam infert, plus habet, qui autem accipit iniuriam, minus habet boni. Econtra verò in malis. Nam minus malum habet boni rationem, ſi conferatur ad maius malum. Nam minus malum potius eligendum eſt, quàm maius. Porrò quod eligendum eſt, bonum eſt, & quod potius eligẽdum eſt, videtur maius bo-

num. Et de altera iustitiæ specie hactenus dictum est.

ὑπομνήματα.

DE IVSTITIA DISTRIBVTIVA.

IVSTITIA distributiua est personarum ordinatio in omni vita publica & priuata, seruans conuenientiam personarum & officiorum, vt cùm sint disſimilia officia munus Cancellarij, ducere exercitum, & procuratio redituum, Principi opus est distributiua iustitia, vt Cancellarij munus tradat viro sapienti, erudito, iusto, eloquenti, exercitum verò prædito scientia rei militaris, virtute, autoritate & felicitate, procurationem redituum diligenti œconomo. Sic priuatim in familijs alius locus est parentum, alius liberorũ, alius seruorum.

Quomodo Geometrica proportio congruit ad iustitiam distributiuam?

Sicut in Geometrica proportione rationes inter se comparantur: sic in distributiua fit collatio personarum & officiorum, & quæruntur personæ aptæ singulis generibus. Vt sicut se habẽt scientia rei militaris & eloquentia, sic se habent Cæsar & Cicero. Ergo sicut Cæsari est committendus exercitus, ita Ciceroni

roni mandanda eſt togata adminiſtratio. Hęc forma argumentandi vocatur argumentum ex permutata proportione.

Quare optimus ſtatus requirit Geometricam proportionem?

Veriſsima eſt Platonis oratio, in qua dicit optimum Reip. ſtatum eſſe, ſi ſit conſtitutus Geometrica proportione, & addit, proportionem illam difficulter inueniri, ac iudicium de ea non eſſe hominum, ſed Dei, & tamen interdum aliquam eius partem rebus humanis contingere, & ſi quid boni ſit in Rep. beneficio huius proportionis exiſtere. Si quis autem requirit, quæ cauſa Platonem impulerit, vt tantis laudibus Geometricam proportionem ornaret, nihil eſt quod expedire tam facilè poſsimus. Nam hæc proportio fugit & reformidat duas Reip. peſtes ἀναρχίαν & tyrannidem. Quantum autem mali ſit in Cyclopica confuſione, in qua nemo audit alterum, ſatis declarare poteſt exemplum ſeditioſæ plebis, quæ anno Chriſti 1525. clamoribus turbulentis miſcuit atque inuoluit Germaniam, & multa audacter, temere atque nefariè perpetrauit. Neque verò minus mali eſt in tyrannide, vbi ad vnius arbitrium & cupiditatem omnia fiunt, & boni triſtiſsima ſeruitute opprimuntur. Relinquitur ergo vt medius quidam Reipublicæ ſtatus optandus

ſit, in quo gradus fiunt Geometrica proportione, & optimus quiſq; plurimum autoritate valet. Hæc ſententia ad exemplum Eccleſiæ translata fit magis perſpicua. Quid enim futurum eſſet, ſi vulgo licentia cõcederetur, dogmata aut ritus condendi aut mutandi? Nihil enim conſilij, nulla moderatio eſt in vulgo, ſed vt quiſq; peſsimus, audaciſsimus ac furioſiſsimus eſt, ita plurimum gratia atq; autoritate apud vulgus valet. Rurſus & tyrannis peſtifera eſt Eccleſiæ, vt cùm Pontifices horribili ſeruitute Eccleſiam opprimunt, nolunt explicari dogmata, Chriſti doctrinam patefieri, ſanari errantes aut ambigentes conſcientias. Sed cùm Eccleſia conſtituta eſt Geometrica proportione, is ſtatus eſt feliciſsimus, vt cùm in Synodo primùm dicunt ſententias Apoſtoli, poſtea etiam audiuntur Paulus & Barnabas. Talis ſtatus eſt Ariſtocratia, quæ eſt optimus ſtatus non ſolùm in Eccleſia, ſed etiam in Scholis.

Quæ eſt cauſa efficiens iuſtitiæ diſtributiuæ?

Deus eſt autor iuſtitiæ diſtributiuæ, non tantùm quia approbat gradus perſonarum in Eccleſia, Rep. & Oeconomia, ſed etiam hoc modo, quia ſicut ſtellarum motus & ſuo conſilio ordinauit, & ſua potentia conſeruat: ita & ordo perſonarum Dei opus eſt, & quantum ordi-

ordinis in hac cõfuſione humanæ naturę manet, à Deo verè & efficaciter cõſeruatur. Nã & dona diſsimilia congruentia ad cuiuſq; vocationem diſtribuit, & ſuam præſentiam manifeſtè oſtendit in pœnis ſuperbiæ, tyrannidis, & πολυπραγμοσύνης, quæ peſtes cõturbant harmoniam iuſtitiæ diſtributiuæ. Hanc ſententiam dicta cœleſtia confirmant, vt Epheſios 4. de gradibus perſonarum in Eccleſia ſcribitur: Filius Dei ſedens ad dexteram patris, dat dona hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apoſtolos, nonnullos Euangeliſtas, quoſdam paſtores, &c. Et de varietate donorum Spiritus ſancti longa concio extat in priore epiſtola ad Corinthios cap. 12. Ac veteres dixerunt nemeſin ſeu adraſtian eſſe comitem ſuperbiæ, ſicut Abſolonis, Antonij & aliorum innumerabilium ambitionem comitatæ ſunt pœnæ diuinitus. Nam ſuperbiam puniri à Deo, toties affirmat vox diuina, vt Lucæ 16. Quicquid eſt ſublime in mundo, eſt abominatio coram Deo. Et Petrus inquit: Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.

MATERIA CIRCA QVAM.

Obiecta diſtributiuæ iuſtitiæ ſunt omnia officia, præmia & pœnæ, quæ cum cõparatione quadam perſonarum & graduum diſpenſantur. Sicut enim Medicus quærit proportio-

nem Geometricam in δόσεσ, & alijs corporibus aliam δόσιν diſtribuit, ſic iuſtitia de qua nunc loquimur, optima diſpenſatrix eſt non modò officiorum, ſed etiam præmiorum, & pœnarum. Diſcernit enim gradus perſonarum, & ſeruans conuenientiam officiorum, idoneis aptas functiones, & ſingulis conuenientem locum & honorem attribuit. Pœnas verò ſic moderatur, vt ſanabiles lenius puniat, inſanabiles è medio tollat.

CAVSA FORMALIS.

Forma, vt ſic dicam, iuſtitiæ diſtributiuæ eſt conuenientia ſeu æqualitas Geometrica, quæ ſingulis conuenientem honorem, & munus conueniens tribuit, & ſontes pro delicti qualitate punit. Hanc æqualitatem laudans Plutarchus in octauo Sympoſιακῶν inquit: Analogia Geometrica pro dignitate diſtribuit, nec omnia ſimul miſcet, ſed bonorum & malorum delectum peracutum & diligentem adhibet, nec pondere & ſorte, ſed pro virtute & vitio ſingulis conuenientia accommodat.

FINES SEV EFFECTVS.

Primùm hæc virtus propter Deũ autorem colenda eſt, & Deo gratiæ agendæ ſunt, quòd ſua ſapientia ſic cõſociauit genus humanum, vt eſſent diuerſi gradus officiorum, & in his magna donorum varietas. Deinde amanda eſt hæc virtus propter bonũ publicum. Tunc enim

enim beatæ ſunt ciuitates & Eccleſiæ, cùm iuſtitia diſtributiua floret & dominatur, hoc eſt, cùm ſuũ quiſq; intelligit ac diligenter tuetur, nec conturbat harmoniã ſeu proportionem.

Quæ virtutes cognatæ ſunt iuſtitiæ diſtributiuæ?

Etſi omnes virtutes quadã cognatione inter ſe continentur: tamen ad diſtributiuam proximè accedunt ſedulitas, reuerentia & modeſtia. Nam ſedulitas, vt ſuprà dixi, eſt virtus, quæ inclinat, vt iuxta vocationem neceſſaria diligenter faciamus. Reuerentia tribuit alijs ſuum locum, & dona Dei in alijs agnoſcit & magni facit. Modeſtia non ſibi plus tribuit quàm pro viribus, nec extra vocationem aliquid ſuſcipit, nec deſpicit alios, ſed in timore Dei & fide diligenter facit officia vocationis, nec aliorum curſum, qui ſuo loco rectè ſeruiunt, impedit.

Quæ ſunt extrema iuſtitiæ diſtributiuæ?

Cum hac virtute priuatim pugnant ſuperbia & πολυπραγμοσύνη, quæ multa non neceſſaria extra vocationem ſuſcipit aut mouet, & in gubernatione tyrannis, quæ fouet malos, & premit bonos.

Quæ præcepta concionantur de hac virtute?

Ad diſtributiuam hæc præcepta pertinent, Time Deũ, Honora parentes, Noſce teipſum,

Dilige proximũ, Spartã quam nactus es orna, Ne erũpas extra vocationẽ. Hęc p̃cepta omnia cùm complectatur iustitia distributiua, facilè intelligi potest, latißimè patere eius actiones.

CAPVT IIII.

Argumentum.

INITIO *repetit quædam de iustitia distributiua. Deinde docet in iustitia commutatiua quæri æqualitatem proportione arithmetica. Postremò admonet iustum esse medium, quoddam seu æqualitatem inter lucrum & damnum.*

TEXTVS.

Reliqua est altera iustitiæ species, quæ corrigit ea, quæ homines inter se aut sponte, aut inuiti cõtrahunt, in quibus rebus iustum aliam quandam speciẽ habet, quàm priorem. Nam distributiua iustitia est, quæ ex communi iuxta proportionem, quam dixi, distribuit. Cùm enim ex communi pecuniam distribuit, fit hoc iuxta proportionem, quã gradus meritorum inter se habent. Econtra iniustum est, quod cùm non quadret secundum proportionem, cum hoc genere iustitiæ pugnat.

At iustum in contractibus quiddam æquale est, iniustum verò est inæquale, at nõ secundum proportionem illam, sed arithmeticam. Nihil enim interest, vtrùm homo nobilis i-

gnobi-

gnobilē defraudauerit, an ignobilis nobilem, aut vtrùm nobilis commiſerit adulterium, an ignobilis. Sed lex tantùm conſiderat differentiam damni, & iudicat eos pares eſſe, ſiue cùm iniuriam faciunt, ſiue cùm accipiunt, ſiue cùm damno afficiunt, ſiue damnum accipiunt.

Itaque iniuſtum cùm ſit inæquale, conatur æquare iudex. Quando enim alius percuſſus eſt, alius autem percuſsit, aut alius cædem fecit, alius autem interfectus eſt, delictum & damnum diſcernuntur tanquam inæqualia. Conatur enim tantum lucri adimere, quantum eſt damnum, vt fiat æqualitas.

Vtendum enim hîc eſt appellatione lucri & damni, etſi non propriè dicitur lucrum, ſi quis percuſsit, aut damnum, ſi quis percuſſus eſt. Verùm cùm hæc iniuria æſtimatur, alterum damnum dicendum erit, alterum autem lucrum.

Quare æquale inter plus & minus in hac virtute medium erit. Lucrum enim habet ſe velut plus, & damnum contrarium illi habet ſe velut minus. Lucra ſunt plus boni & minus mali. Contraria verò damna ſunt. Cumque inter hæc medium ſit æqualitas, æquale iuſtum eſt. Quare iuſtum illud quod contractus corrigit, quærit medium inter lucrum & damnum.

Ideo & quando controuersiam habent, ad iudicem confugiunt. Porrò ad iudicem ire, est ad iustitiam ire. Iudex enim vult perhiberi viua iustitia, & quærunt iudicem mediatorem, & quidam vocant Mediatorem, vt significent se ius consecutos esse, cùm medium consecuti sunt. Iustum igitur medium quiddam est, sicut & iudex medium quærit.

Iudex autem æqualitatem efficit, tanquam si linea in duo inæqualia diuisa esset, auferret id, quo excedit ea pars quæ maior est, quàm dimidia, & adderet minori parti. Quando autem totum in duas partes diuiditur, tum demum cùm æqualia accipiunt, fatetur se quisque, quod suum est accipere. Porrò æquale medium est inter plus & minus arithmetica proportione, atque inde nomen iusti factum est, δίκαιον à δίχα, quòd totum in medio diuisum sit.

Quando enim sunt duo æqualia, vbi ab altero portio aliqua ablata fuerit, & alteri addita, illud deinde excedit duabus partibus alterum. Si enim ablata tantùm esset portio, non etiam alteri addita, vna parte tantùm excederet mutilatam integra. Itaque media, hoc est, integra linea superatur vna parte, & media, hoc est, integra superat vna parte truncatam. Hinc sciemus quantum auferendum sit ab eo, qui plus habet, & quantum

adden-

addendum illi, qui minus habet. Nam id quo media, hoc est, integra linea superat, addi oportet minus habenti, & id quo media, hoc est, integra superatur, à maxima auferendum est, ita erunt æquales.

Sunt enim tres æquales lineæ:

8 a—— | ———————— b
8 c—————————————— d
8 e—————————————— f

HE. 2. HEF. 10. Et ab A B auferatur quadrans & addatur lineæ E F. sitque quadrans qui accessit, H. E.

Tota igitur linea H——E—— | ——F excedit truncatam duobus quadrantibus. Excedit igitur lineam mediam C D. vno quadrante. Truncata A B. exceditur duobus, C D. non truncata exceditur vno. E H F. producta excedit duobus quadrantibus. Idque fit & in alijs artibus. Interirent enim nisi quantum & qualiter agens agit, tantum & tali modo patiens pateretur.

Cæterùm nomina lucri & damni ex voluntarijs contractibus sumta sunt. Nam in emtione, venditione & similibus contractibus iure concessis, lucrari dicitur ille, qui plus accipit, quàm quod suum erat, & damno afficitur is qui id, quod antea tenebat, amittit. Econ-

Econtra quando neque plus neque minus habent, tenere ſua dicuntur, & nec lucrati, nec damno affecti exiſtimantur. Quare iuſtum medium eſt inter lucrum & damnum, vt æqualia vterque obtineat antè & poſtea, præterquam ſi quis volens & vltro alteri aliquid remiſerit.

ὑπομνήματα.

DE IVSTITIA COMMVTATIVA.

Quid eſt Commutatiua iuſtitia?

Eſt virtus, quæ in commutatione rerum ſeruat æqualitatem proportione arithmetica.

Cur neceſſaria eſt communicatio?

Quia natura ſic ordinata eſt, vt ſinguli indigeant aliena ope, vt nemo ſolus gignit, nemo natus educari ſine aliena ope poteſt, nemo vnus poteſt omnia vitæ præſidia comparare. Ideo neceſſariò communicanda ſunt officia, & res communicandæ ſunt.

Quare arithmetica æqualitas in contractibus efficienda eſt?

Quia rerum communicatio in infinitum vagatur. Ideo ſemper debet eſſe ſumma æqualitas

litas mercis & precij. Nõ enim poſſet eſſe diuturna communicatio, ſi hac æqualitate ſublata, altera pars tantùm exhauriretur.

Quomodo congruit arithmetica proportio ad commutatiuam?

Sicut in arithmetica analogia differentijs æqualibus diſtant plures numeri: ſic in contractibus fit æqualitas ſumma mercis & precij, nec opus eſt aliam ſubtiliorem accommodationem quærere.

EFFICIENS CAVSA HVIVS VIRTVTIS.

DEVS condidit genus humanum ad ſocietatem, & huius ſocietatis vincula eſſe voluit generationem, educationẽ, gubernationem, contractus & artes.

MATERIA SEV OBIECTVM.

Quemadmodum iuſtitia diſtributiua pœnas & præmia, & omnia officia cum comparatione quadam perſonarũ & graduum diſtribuit: ita commutatiua iuſtitia non tantùm habet locum in cõtractibus, ſed in omni vita, vbicunque fit rerum æſtimatio ſeu compenſatio ſine reſpectu aliarum circumſtantiarum.

FORMA.

Eſt æqualitas arithmetica, ſine qua communicatio diuturna eſſe non poteſt.

FINES SEV EFFECTVS.

Non tantùm propter communem neceſsitatem ſeruanda eſt hæc æqualitas, ſed multò magis propter Deum. Ideo enim vult nos amare iuſtitiam, vt nos de ſua iuſtitia admoneat. Docet iuſtitiam æqualitatem eſſe, vt ſe quoq; ſciamus æqualem eſſe, non tyrannum, non acceptatorem perſonarum, quod cogitare magna profectò pietas & conſolatio eſt. Deinde, mutua communicatione rerum opus eſt, vt homines habeant vitæ præſidia. Si enim nulla re egerent homines, nulla prorſus fierent commercia. Poſtremò hæc ipſa æqualitas, quæ in contractibus poſtulatur, docet nos de dilectione proximi, & interpretatio eſt particulæ, ſicut in hoc mandato, Dilige proximum ſicut teipſum.

COGNATA.

Lex talionis, quæ iniurias paribus pœnis compenſat. Placatio iræ Dei. Non enim recepta eſt lapſa hominum natura, niſi filius æquale λύτρον pro peccato perſoluiſſet.

PV-

PVGNANTIA.

Pugnant cum hac iustitia omnia πλεονεκτήματα, id est, iniusta lucra & damna.

Quæ præcepta traduntur de hac virtute?

1. Theſſ. 4. Nolite πλεονεκτεῖν, id eſt, plus auferre in negocio. Item, Diligas proximum ſicut teipſum. Item, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

CAPVT V.

Argumentum.

IN VESTIBVLO *huius capitis reprehendit definitionem Pythagoræ, qui dixit iuſtitiam eſſe quiddam retaliatum. Deinde oſtendit, quòd indigentia redigat res ad æqualitatem, etiamſi res natura non ſunt pares. Et quia neceſſe eſt res exæquari, oportet eſſe menſuram notam, iuxta quam res æſtimentur. Hæc menſura nummus eſt publicè notus omnibus. In fine repetit quid ſit iuſtitia, quæ ſint extrema, quod medium.*

TEXTVS.

VIdetur autem quibuſdam iuſtum ſimpliciter eſſe, pati mutuum, ſicut Pythagorai dixerunt. Definiebant enim ſimpliciter iuſtũ eſſe, mutuum [a] pati. Verùm hæc vicissi-

[a] Vt reprehenſio Pythagoricæ defini-

viciſsitudo patiendi non conuenit neque iuſtitiæ vniuerſali, neque particulari. (Particularem enim voco politicam, quæ res cõmunicat) Mutuum enim pati, neque diſtributiuæ, neq; commutatiuæ conuenit.

tionis intelligi poſsit, repetenda eſt definitio ſecunda ex libro Euclidis ſexto: Figuræ retaliatæ ſunt, in quarum vtraque tam antecedentes quàm conſequentes rationes reperiuntur, vt ſint ęqualia parallelogramma αβ. βγ. habentia æquales angulos ad β. & cõgruant in vnam rectam lineam duæ, δβ. βε. Congruent igitur & hæ in vnam rectam, videlicet ζβ. βη. Dico quòd parallelogrammorum αβ. βγ latera retaliantur, quæ iuxta æquales angulos ſunt, hoc eſt, ſicut ſe habet δβ. ad βε. ſic ſe habet ηβ. ad βζ. Compleatur parallelogrammon ζε.



Etſi autem Pythagorica definitio, Iuſtum eſt ἀντιπεπονθὸς, congruit ad legem de talione, vt ſi quis alteri oculum effoderit, viciſsim ſibi oculum erui patiatur, nec multetur pecunia: item vt calumniator in cauſa capitali eodem ſupplicio puniatur, quo adfectus eſſet aduerſarius, ſi conuictus eſſet: tamen ad ordinationem perſonarum nequaquam accommodari poteſt. Nam iuſti-

iustitia distributiua tribuit maiores honores his, qui virtute excellunt, econtra minus idoneis minores, ac singulis pro proportione conuenientes. Deinde in contractibus non semper potest fieri cōmutatio duarum rerum simpliciter æqualium, vt libræ auri & libræ argenti, sed pro vna libra auri dantur decem argenti.

Atqui & Rhadamantus [*b*] videtur idem sensisse, qui docuit hoc ius esse:

Iusta malis hæc admisso pro crimine pœna est,
Si quæ fecerunt eadem patiantur & ipsi.

[b] Minos qui gubernauit Cretam, vixit paulò ante bellum Troianum, & dicitur vsus esse familiaritate & colloquio Iouis annos nouē. Huius frater Rhadamantus vir quidem fuit bonus, quippe eruditus à Minoe, non tamen edoctus totam regiā artem, sed adminicula tantùm huius, quatenus iudicijs præside opus fuit, vnde & iudex bonus dictus. Nam in vrbe legum illo custode Minos vtebatur, per aliam verò Cretam Talo. Talus enim ter singulis annis Cretæ vicos obibat conseruans in illis leges, quas haberet descriptas in tabulis æreis, qua de re æreus appellatus fuit. Hæc sunt apud Platonem in dialogo, qui inscribitur Minos.

Verùm longe aliter se res habet. Vt si Magistratus verberat, non licet referire, & si quis verberauerit Magistratum, non solùm verberandus erit, sed etiam capitali supplicio afficiendus. Præterea differunt voluntarium & inuoluntarium delictum. Sed iustum in contractibus continet illam vicißitudi-

nem, non ſecundum æqualitatem. Ciuitas enim ita conſeruatur retributione iuxta proportionem. Aut enim quærunt retaliare iniuriam, quod ſi non faciunt, ſeruitus ſubeunda eſt. Aut beneficium rependi volunt, quod ſi non fiat, communicatio fieri non poteſt. Conſeruantur enim Reſpublicæ communicatione. Ideo Gratiarum [c] templa in medijs vrbibus condi ſolent, vt mutua ſit retributio. Hoc enim gratiarum proprium eſt, vt is qui beneficium accipit, viciſsim aliquid reddat ei, à quo accepit.

[c] Gratiarum templa in medijs vrbibus condita fuerunt, vt ſignificaretur non caſu, aut tantùm propter corporum neceſſitatē confluxiſſe hominum multitudinē, nec caſu ſocietatem ciuilē durare, ſed Deum & cœtus hominū conſociaſſe, & cuſtodem eſſe iuſtæ ſocietatis, in qua communicantur mutua officia æqualitatis & beneficentiæ. Hæc omnia ſignificata ſunt appellationib⁹ Gratiarum. Nam ἀγλαΐα eſt beneficentia, quæ exercetur non ſordidè, ſed pro dantis & accipientis dignitate. Euphroſyne eſt lætitia, quæ non gaudet profuſione, ſed officio iuxta dictum: Hilarem datorem diligit Deus. Thalia eſt fructificatio, id eſt, gratitudo, quæ debet reſpondere ex altera parte beneficentiæ, & imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt quàm acceperunt. Nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt, vt Cicero in primo de Officijs inquit. Sunt autem Gratiæ nudæ, vt ſignificetur

ingenuitas in dando & reddendo. Vt enim beneficium sine morositate & πλεονεξία dandum est: sic gratia sine simulatione & coactione referenda est.

Portò copulatio contrahentium ex diametro retributionem facit iuxta proportionem, vt sit faber A. sutor B. domus C. calcei D. oportet fabrum sutoris opus accipere, & reddere suum opus. Itaque si primùm æqualitas operum iuxta proportionem constituatur, deinde fiat eorum permutatio, erit societas ciuilis. Sin autem non habebitur ratio æqualitatis in commercijs, non erit æqualitas, nec conseruabitur ciuitas. Cùm enim sæpe accidat, vnius opus alterius opere præstantius esse, necesse est ea ad æqualitatem redigi, idque accidit & in alijs artibus, quæ interirent omnes, nisi quantum & qualia agit agens, tantum & talia pateretur patiens. Non enim ex duobus [d] medicis fit communitas, sed ex medico & agricola, & omnino ex dissimilibus artificijs, quorum opera ad æqualitatem redigi oportet.

[d] Quemadmodum dictiones constant nō ex solis vocalibus, sed ex vocalibus & consonantibus, quarū aliæ sunt semiuocales, aliæ mutæ, quædam liquidæ: ita multis gradibus atq; officijs huic vitæ opus est. Etsi enim genera artium dignitate differunt: tamen propter necessitaté omnia simul fouenda sunt.

Quod cùm ita ſit, omnes gradus venerari & amare, nec noſtri ordinis laudem aliorum ordinum vituperatione augere debemus.

Ideo omnia quæ permutantur, debent inter ſe aliquo modo comparabilia eſſe. Quare nummus [e] inuentus eſt, vt quaſi medium ſit, cuncta enim metitur, & quorum precium maius ſit, & quorum precium minus ſit indicat, videlicet quot calcei æquare poſsint domum aut frumentum.

[e] Iuriſconſultus in Pandectis de contrahenda emtione: Quia non ſemper nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem ego haberem, quæ tu accipere velles, electa materia eſt, cuius publica & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum ſubueniret. Hæc eſt cauſa inuenti nummi, qui poſtquam repertus eſt, quia publicè notus eſt, facilè oſtendit mercium precia, ideóque menſura mercium dicitur.

Tot igitur pro domo aut frumento calceos dari oportebit, quantum ædificationis impenſæ ſuperant calceạrij impenſas. Niſi enim talis fiat ęſtimatio, non poſſunt fieri commercia, neque exiſtere communicatio. Non poteſt autem fieri æſtimatio, niſi res aliquo modo redigantur ad æqualitatem. Quare oportet aliquid eſſe, quod vnum metiatur omnia,

mnia, & ad æqualitatem redigat. Hoc re ipsa est indigentia, [f] quę coniungit indigentes, & cogit alia ab alijs sumere. Si enim nulla re egerent homines, aut non vtrinque, aut nulla prorsus fierent commercia, aut non æqualia. Nummus autem factus est ex pacto, vt sit vice eius quo alij indigent, ideoque appellatio Nomismatis non à natura, sed à lege est, & in hominum arbitrio est, mutare æstimationem nummi & prorsus abrogare.

[f] Xenophon in libro de re familiari: Simplex natura non omnes res commodas complexa est. Idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam quod alteri deest, præstò plerunque est alteri.

Itaque tunc erit vicissitudo quando res ad æqualitatem redactæ sunt, vt sicut agricola se habet ad sutorem, ita se habeat opus sutoris ad opus agricolæ. Oportet autem in permutando redigere res in figuram proportionis, quod si non fiet, alter contrahentium habebit vtrunque excessum. Verùm quando suum quisque habet, tunc est æqualitas, & potest inter eos existere communicatio, cùm inter eos fieri posit æqualitas. Vt pares sunt agricola A. & sutor B. si vterque indiget ope alterius. Constituatur ergo frumentum C. & calcei frumento pares, D. Quòd si hoc modo non fieret vicissitudo, non posset existere

communicatio. Quòd autem indigentia coniungat eos velut vinculum, manifeſtum eſt. Si enim non egerent homines, nulla fieret permutatio. Verùm cùm indiget alius eo, quod habet quiſpiam, contrahunt, vt pro vino dant frumentum exportandum. Hæc igitur æquari oportet. Quanquam enim in præſentia non egeat venditor, tamen pro futura permutatione, cùm etiam indigebit ipſe alijs rebus, datur nummus quaſi ſponſor. Quare rectum eſt dato nummo accipere mercem. Etſi hoc quoque nummus patitur, vt interdum dubia ſit æſtimatio. Non enim ſemper tantundem valet, verùm plærunque eadem nummi ęſtimatio manet. Ideo oportet omnium rerum certa precia conſtituere. Sic enim poterit & permutatio fieri, & exiſtere communicatio. Nummus igitur velut menſura, res ipſas metiendo redigit ad æqualitatem. Neque enim exiſtere communicatio ſine permutatione, neque permutatio, ſi non fieret æqualitas, nec æqualitas exiſtere poteſt ſine menſura. Natura autem res non ſunt inter ſe pares, ſed propter indigentiam pares æſtimantur. Neceſſe eſt autem vnam quandam communem rerum menſuram eſſe, de qua neceſſe eſt, vt inter ſe prius conuenerint homines. Ideoque nomiſma appellatur. Hoc omnia redigit ad æqualitatem,

tem, metitur enim omnia. Sit domus A. minæ decem B. lectus C. Et A. ſit dimidium B. hoc eſt, domus valeat quinque minas, lectus autem ſit decima pars pecuniæ B. hinc ratiocinando apparet quinque lectos domui æquales eſſe. Et hoc modo permutatio fuit ante vſum [g] nummi. Neque enim intereſt, vtrùm quinque lecti pro domo, an precium quinque lectorum detur.

[g] Ante nummi inuentionẽ veteres rerum permutationem exercebant, vt apud Homerum Iliados ſeptimo pro vino dantur boues. Vide librũ tertium Inſtitut. tit. 24. de emtione.

Quid ſit iuſtum dictum eſt hactenus, quæ poſtquam expoſita ſunt, conſtat ius eſſe medium inter iniuriam inferre & accipere. Alterum enim eſt plus habere, alterum minus. Iuſtitia autem mediocritas eſt, non vt reliquæ virtutes, quas ſuprà recenſui, ſed quia circa rem mediam, hoc eſt, æqualem verſatur. Iniuſtitia autem verſatur in exuperantia & defectu. Et iuſtitia eſt ſecundum quam iuſtus dicitur agere iuſta, eligens conſultò, & diſtribuens ſibi erga alterum, & alteri erga alterum, non ſic vt ſibi plus boni tribuat, minus autem alteri, ècontra mali plus alteri, quàm ſibi, ſed vt æqualitatem pro proportione ſeruet. Idem faciet cùm alteri diſ-

tribuet erga alterum. Iniuſtitia verò econtra eſt iniuſta eligere, videlicet exuperantiam aut defectum boni aut mali, non ſeruata proportione. Ideo iniuſtitia eſt exuperantia & defectus, quia verſatur in rebus exuperantibus aut deficientibus. Nam ſibi quidem plus occupat boni & minus mali, ſic & alijs diſtribuens, huic plus boni, illi plus mali. Ac vtraque diſtributio fit contra proportionem. Inter iniurias autem defectus eſt accipere iniuriam, exuperantia autem inferre iniuriam.

De iuſtitia autem & iniuſtitia, quæ ſit vtriuſque natura, dictum ſit hoc modo, ſimiliter de iuſto & iniuſto vniuerſaliter.

CAPVT VI.

Argumentum.

IN PRIMA *parte diſcernit conſultò & ſtudio nocendi facta, & aliqua perturbatione animi facta. Deinde ſuauiſsimè philoſophatur de dignitate ſcripti iuris, magiſtratuum & iudiciorum. In fine diſcernit iuſtum ciuile ab herili & œconomico.*

TEXTVS.

CAEterùm cùm non ſtatim iniuſtus ſit, qui iniuriam facit, qualia delicta iniuſtum efficiunt in vnaquaque ſpecie, vt furem, mœ-

mœchum, aut nihil intereſt quo animo fiat. Si quis enim cum aliqua muliere concumbat ſciens, neque tamen id faciat ſtudio nocendi, ſed libidine, iniuriam quidem facit, etſi nondum iniuſtus eſt. Ita nec fur eſt, etſi furatus eſt, nec mœchus, etſi mœchatus eſt, ſimiliter & in alijs dicendum erit. Quomodo igitur iuſtum ſit quiddam retaliatum, dictum eſt.

Sciendũ eſt autem, quòd hactenus de eo, quod ſimpliciter iuſtum eſt, ſeu de ciuili iuſto diximus. Hoc enim verſatur in mutua communicatione rerum, vt homines liberè atque æquo inter ſe iure viuentes habeant vitæ præſidia, vel pro proportione, vel æquali numero. Nam vbi hoc non fit, inter hos non eſt ciuile iuſtum, ſed ſimilitudine quadam iuſtum dicitur. Iuſtum eſt enim inter eos, qui certa lege inter ſe contrahunt. Lex autem prohibet iniuſtitiam. Iudicium [*a*] enim iuſti atque iniuſti dijudicatio eſt. Et vbi iniuſtitia eſt, ibi eſt & qui iniuriam facit.

[a] Iudicium eſt veritatis & iuſtitiæ inquiſitio, quam iudex iuxta leges remotis præſtigijs ſophiſmatum & ſycophãtiarũ inſtituit, & in partibus litigantibus reuerentia ordinis diuini, qua ſeſe Deo & legibus ſubijciunt, & frenant cupiditatem & proprium dolorem.

Cæterùm non ſemper iniuriam facere iniuſtitia eſt, vt ſi quis caſu læſit aliquem. Eſt

autem iniuſtitia ſibi plus boni tribuere, aut minus mali. Ideo non concedimus, vt homo imperet, ſed [b] ratio. Nā homo hoc ſibi tribuit, & fit tyrānus. At Magiſtratus [c] debet eſſe cuſtos iuſti. Quod ſi cuſtos fuerit iuſti, erit & æqualitatis cuſtos. Non enim ſibi plus expetet, ſi fuerit iuſtus, nec ſibi plus boni tribuet, quàm quātum pro proportione ſibi competet, ideóq; alterius vtilitati [d] ſeruiet. Proinde iuſtitiam aiunt alienū bonum eſſe, ſicut & prius dictum eſt. Quare & merces quædam iuſto principi debetur, honos [e] videlicet & præmium. Qui autem non contenti ſunt his, tyranni [f] fiunt.

[b] Hîc neceſſe eſt explicari quæſtionē, An neceſſe ſit ſcriptas leges eſſe. Etſi imperiti homines ſtolidè vociferātur, non opus eſſe ſcriptis legibus, ſed ex naturali iudicio eorū qui prȩſunt, res iudicādas eſſe: tamē nobis perſuaſum ſit meliores eſſe ſcriptas leges, & has reuerenter tuendas & amandas eſſe. Nam iudicia in domeſticum latrociniū conuerterētur, ſi ſine legibus pronunciare liceret, quicquid aut ſtulto aut imperito, aut irato iudici in mentē veniret. Et vt maximè iudicia prudentes & boni exercerēt, infinitæ inter hos diſſenſiones orirētur. Multa enim incidūt, vbi aliud aliȷs videtur & qui velit ingenio cedere rarus erit.

Deinde vt maximè conueniat inter hos qui pronūciant, quomodo poterit perſuaderi contentioſis litigatoribus,

rectißimũ esse quod illi pronunciant, nisi scriptum ius extet, quod cùm sit cõmune fœdus ciuitatis, vt Demosthenes ait, litigatori non licet eius autoritatem detrectare. Nam his legibus quasi pactus est cum Magistratu cumq́; tota Republica, ne quid contra eas moueat. Itaq; scriptæ leges muniunt iudicum autoritatem aduersus improbos & contentiosos litigatores.

Sic & Aristoteles in tertio Politicorum affirmat, melius esse vti scripto iure, inquiens: Qui legem præficit, Deum & leges vult præesse. Sed qui hominem præficit, beluam vult præesse. Talis est enim cupiditas, quæ peruertit animos etiam in viris optimis. At lex est mens sine cupiditate. Sed omissa disputatione in re manifesta, consideremus voluntatem Dei, qui & in sua politia voluit extare ius scriptum, & ferè omnibus seculis præcipua & honestiora imperia iure scripto gubernari.

[c] Hæc definitio Aristotelica congruit cum verbis Moysi Deut. 17. & cum verbis Pauli Rom. 13. Magistratus est custos legis, quod intelligas de tota lege in externa disciplina, de prima & secunda tabula. Nec cogitandum est Magistratum similem esse armentarij, & tantùm corpora subditorum tueri, sed prior cura sit, vt populus rectè doceatur de Deo, & tollantur idola, blasphemiæ & impia dogmata, sicut scriptum est, Et nunc reges intelligite. Osculamini filium. Item, Aperite portas principes vestras.

Deinde & reliqua præcepta Decalogi sint normæ gubernationis. Prohibeat Magistratus cædes, vagas libidines, furta & alias iniurias, iustè regat iudicia, seuerè puniat sontes. Deniq; vt Paulꝰ eruditißimè dixit, Ornet honore bona opera, & puni-

& puniat inhonesta opera, id est, pugnantia cum lege Dei. Etsi autem hæc descriptio breuis est: tamen cogitent prudentes, quanta moles maximorum operum gubernatoribus imponatur, cùm Deus vult eos totius Decalogi in externa disciplina custodes esse.

[d] Cic. 1. Off. Vt tutela, sic procuratio Reip. ad eorum vtilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.

[e] Honos in genere est notitia approbans aliquid propter mandatum Dei, & quia Deus ei communicat sapientiam suam & iustitiam, aut quia est organum sapientiæ & iustitiæ Dei, & est diligere illud iuxta ordinem à Deo sancitum. Est igitur honos erga magistratum notitia, quæ agnoscit & fatetur ordinem politicum esse opus Dei, & conseruari à Deo, & magistratum esse custodem legis Dei, & in ea custodia conspici præsentiam Dei in genere humano, & lucere sapientiam & iustitiam Dei, & est diligere ordinem & personas habentes προαίρεσιν rectè faciendi, quæ sunt organa diuini ordinis, & sic diligere, vt nos illi fastigio subijciamus iuxta præcepta Dei. Item petere à Deo, vt ipse sit custos huius sui ordinis, & regat eos quibus tradidit imperium.

Hæc notitia & approbatio in mente, & in voluntate dilectio, subiectio & precatio pro imperijs sunt propriè honos. Deinde signa externa honoris quæ sint, notum est, vt flectere genua significat subiectionem sui in voluntate.

[f] Bonus princeps est, qui habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plærunq; & in præcipuis partib. officij sui rectè facit, etiamsi aliquando labitur.

Contrà

Contrà verò tyrannus eſt, qui non habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plærunq; ſceleratè facit, etiamſi interdum iuſta facit, ac negligit præcipuas officij partes ſeu ſciens ſeu affectata ignorantia, aut affectata omiſsione, vt Saul, Cãbyſes, Sardanapalus.

At iuſtum herile & paternum non eſt planè idem, quod ciuile iuſtum, etſi ſimile ei eſt. Dominus enim aut pater non eſt propriè iniuſtus erga ſuos. Nam & mancipia & filij, donec in poteſtate patris ſunt, veluti pars ipſius ſunt. Nemo aũt ſeipſum vult lædere. Ergo nõ eſt iniuſtitia erga ſeipſum. In his igitur non eſt ciuile iuſtum aut iniuſtum, quod lege deſcriptum eſt, & in his verſatur, qui lege reguntur, qui quidem ſunt pares imperando ac parendo. Magis igitur iuſtum [g] erga vxorem exiſtit, quàm erga natos aut ſeruos. Sed hoc quoq;, œconomicum iuſtum eſt aliud à ciuili.

[g] De iuſtitia coniugum inter ſeſe in primis eſt digna memoria Pythagoræ ſententia, quã Ariſtoteles in OEconomicis citat, videlicet maritum debere vxori beneficiũ & clementiam, quia ſponſa ei ad aram vt ſupplex commendatur. Et apud Romanos, quæ per coëmtionem conueniebat vxor, erat viro loco filiæ.

Coëmtio autem peragebatur hoc modo: Cicero prior Terentiam interrogabat, an ſibi materfamiliâs eſſe vellet. Quæ vbi velle reſpondiſſet, & ipſa ſtipulabatur Ciceronem, vellet ne ſibi paterfamiliâs eſſe, isq; vbi conceptis verbis & ſe

quoq;

quoq; dixisset velle, tum Terentia Ciceronis conueniebat in manum. Et hæ quidem nuptiæ per coëmtionem dicebantur, quòd vir vxorq́; mutuis se interrogationibus assensionibusq́; coëmissent, erantq́; vxores matresfamiliâs viris suis filiarum loco. Hæc Pontanus lib. 3. cap. 2.

CAPVT VII.

Argumentum.

HOC CAPVT *continet diuisionem iuris in ius naturale & positiuum. Sic enim vulgò vocatur id, quod Aristoteles nominat legitimum. Deinde admonet gradum quendam esse naturalium, quæ sunt mutabilia. In fine est Grammatica vocabulorum interpretatio, quæ cognita Græca phrasi facilè intelligitur.*

TEXTVS.

CIuile iustum duplex est, naturale ac legitimum. Naturale est, quod vbique eandem vim habet, nec valet quia ita placuit, aut non placuit. Legitimum autem est, quod initiò nihil differt, sic an aliter constituatur, sed tum demum valet, cùm constitutum est, vt mina captiuum redimere, aut capram sacrificare, non duas oues, & quicquid de singulis legum conditores constituunt, vt Bra-

sidæ

ſidæ [a] ſacrificare, & decreta quæ quotidie proponuntur.

[a] Hiſtoria Braſidæ, qui victis Athenienſibus occupauerat Amphipolin, extat apud Thucydiden lib. 5. Porrò cùm Amphipolitani prius coluiſſent Agnonem Athenienſem tanquam diuum, abolita eius memoria, poſtea coluerunt Lacedæmonium Braſidam. Hoc inſtitutum non habebat in natura cauſam, ideóq; inter exempla iuris poſitiui recenſetur.

Quidam exiſtimant omnia iura lege valere, non natura, quia quod naturale eſt, immutabile eſt, & vbiq; vim habet eandem, vt ignis vrit hîc & apud Perſas, iura verò mutari vident, Verùm hi errant. Non enim omnia lege tantùm valent, ſed aliqua etiam natura. Ac apud Deos fortaſsis ſecus ſit. Apud nos autem quædam naturalia mutabilia ſunt, non tamen omnia, & tamen in his, quæ mutabilia ſunt, quædam ſunt naturalia, quædam non ſunt naturalia.

Quæ verò in his, quæ mutari poſſunt, naturalia ſint, quæ autem non naturalia, ſed lege tantùm valeant tunc intelligi poteſt, cùm cõſideratur, vtrùm pariter vtraq; ſint mutabilia. Et transferatur exemplum ad alia quoq;. Natura dextra omnes [b] magis vtimur, & tamen fieri poteſt, vt omnes fiãt am-

[b] Diſcrimen propoſitionũ in Ethicis ex effectibus ſumi poteſt. Quædã ſunt ſimbidex-

bidextri. Verùm illa quæ lege tantùm valent, vtilitatis causa cõstituta, longè aliter se habent, nec natura ad vnam partem magis feruntur, sed similia sunt mensuris.

pliciter necessariæ, videlicet, vbi dato opposito sequitur destructio naturæ, vt si tollas hanc propositionem, Nemo innocẽs lædẽdus est, sequitur destructio naturæ hũmanæ. Erunt enim promiscuæ cædes in toto genere humano. Ac tales ꝑpositiones sunt ius naturę prorsus immutabile. Alię sunt minus necessariæ, quibus videlicet admissis etsi deformitas sequitur, tamen non sequitur destructio naturæ, de quibus Aristoteles hoc exemplo vtitur: Naturale est maximæ parti hominum facilius, vti dextra quàm sinistra. Sed aliqui facilius sinistra vtuntur. Ita in moribus quædam deprauationes accedunt, quarum aliquas etiam Deus tolerauit, vt diuortia, etiamsi nequaquam congruunt ad rectitudinem à Deo institutam.

Non enim vbique æquales sunt mensuræ vini & frumenti, sed vbi emunt, maiores, vbi autem vendunt, minores. Ad hunc modum hæc quæ non sunt natura insita, sed voluntate hominum, non sunt similia vbique. Neque enim ciuitates similes sunt. Sed illa forma, quæ est secundum [c] naturam, vna atq; eadem vbiq; est, eaq; est optima.

[c] Optimus status est ciuitatis, qui constitutus est secundum naturam, id est, secundũ naturale & rectũ

iudici-

iudicium rationis humanæ, quod quidem eſt Decalogi ſententia.

Leges autem habent ſe vt vniuerſalia ad ſingularia. Nam actiones ſunt innumerabiles: lex autem ſui cuiuſque generis vna eſt. Eſt enim vniuerſalis. Item differunt iniuria & iniuſtum, & ius & iuſtitia. Iniuſtum enim dicitur id, quod vel natura, vel lege prohibetur. Sed cùm factum eſt, iniuria dicitur. Priuſquam autem factum eſt, nondum dicitur iniuria, ſed iniuſtum. Quando enim factum eſt, iniuria eſt. Sic & ius genus eſt. Species autem iuſtè agere. Verùm ius dicitur iniuriæ emendatio. Cæterùm quæ ſint ſpecies ſingulorum, & circa quæ verſentur, deinceps conſiderandum eſt.

ὑπομνήματα.

DE DISCRIMINE IVRIS NATVRALIS ET POSITIVI.

QVANTA dignitas ſit atq; amplitudo legum naturæ, quarum ſumma in Decalogo recitatur, hinc intelligi poteſt, quia hæ notitiæ ſunt firma & illuſtria teſtimonia de Deo, & ſpecula monſtrantia, quę res fuerit imago Dei impreſſa angelis & hominibus in creatione, & qualis nunc ſit deprauatio hominum & angelorum, qui lapſi ſunt. Item quia hæ no-

titiæ ſunt normæ rectrices diſciplinæ & vitæ piorum. Denique fontes ſunt iuris poſitiui, & vniuerſæ philoſophiæ, quæ de moribus grauiter diſſerit. Ac ne quis hanc laudationem legum naturæ ſeu decalogi hyperbolicam eſſe arbitretur, pauca de membris huius aſſeuerationis dicam.

Principiò ſatis conſtat leges naturæ humanis mentibus inſitas eſſe, vt teſtentur quòd ſit Deus, & doceant qualis ſit, & de iudicio Dei nos commonefaciant. Nam æternum & immotum diſcrimen honeſtorum & turpium in noſtra mente teſtatur, hanc naturam non eſſe caſu ortam, ſed ab aliqua æterna mente architectatrice. Et quia nos naturali luce diſcernimus honeſta & turpia, neceſſe eſt Deum autorem huius lucis & ſapientiæ eſſe intelligentem, ſapientem, veracem, iuſtum, caſtum, beneficum. Fruſtra etiam condidiſſet Deus diſcrimen honeſtorum & turpium in humanis mentibus, niſi poſtea accederet pœna turbati illius diſcriminis. Hæ conſequentiæ congruunt cum principijs: Ordinata & perpetua non exiſtunt caſu: Impoſsibile eſt meliorem naturam à deteriore oriri: Nihil valet lex ſine executione. Deinde lex naturæ ſeu Decalogus eſt ſpeculum monſtrans imaginem Dei & pec-

& peccatum. Vt enim ante lapsum in mente fulsit agnitio Dei firmissima, & in voluntate & corde fuit ardens amor Dei & proximi: ita nunc in mente est caligo de Deo, & auersio voluntatis à Deo, & contumacia cordis contra legem Dei. Hæc alibi copiosè declarantur. Tertiò, hæc sapientia proposita in Decalogo est norma regens disciplinam & obedientiam piorum. Ideo enim reliqua est notitia legis in homine, & voce diuina illustrata & confirmata est, vt gubernet disciplinam, & doceat sanctos quales cultus, & quæ opera Deo placeant. Postremò ex hoc sancto augustóque fonte manat omnis doctrina de moribus, & omnes honestæ leges, quæ sunt nerui & vincula politicæ societatis.

Hæ admonitiones, quas recensui, sint nobis in conspectu, vt diligentius consideremus leges naturę, & cogitemus sapientiam in legibus naturæ propositam nequaquam exhauriri posse.

Quid est lex naturæ?

Vt definitio legis naturæ constitui posit, quædam paulò altius repetenda sunt, quibus explicatis aditum sibi ad cætera faciet oratio.

Deus immenſa bonitate ſic condidit hominem, vt eſſet ipſius imago. Voluit enim agnoſci ab homine & celebrari. In hanc imaginem Deus transfudit ſuæ lucis, vt ita dicam, radios, videlicet ſuam ſapientiam, notitias numerorum, diſcrimen honeſtorũ & turpium, & alias notitias, quas Dialectici vocant principia. Etſi autem cum hac ſapientia coniuncta fuerunt alia bona, rectitudo voluntatis & libera electio: tamen nunc tantùm de prima parte imaginis Dei in homine dicemus.

Sunt igitur principia notitiæ nobiſcum naſcentes, quæ ſunt ſemina multarum artium, & normæ rectrices omnium actionum. Horum alia vocantur ſpeculabilia, alia practica. Speculabilia ſunt notitiæ, ex quib⁹ Pyhſicæ & Mathematicæ doctrinæ extruuntur, vt totum eſt maius ſua parte. Practica ſunt notitiæ à Deo mentibus inſitæ, vt monſtrent obedientiam Deo debitam, & diſcrimen honeſtorum & turpium, & regant mores. Ex his principijs ſumi poteſt erudita & vera definitio legum naturę. Sit igitur hæc definitio:

Leges naturæ ſunt notitiæ principiorum practicorum & concluſionum ex his extructarum de regendis moribus, congruentes cum æterna & immota norma mentis diuinę, inſitæ nobis diuinitus, vt ſint teſtimonia

quòd

quòd ſit Deus & qualis ſit, & quòd iudicaturus ſit, & regant nos, vt congruat obedientia noſtra cum voluntate Dei.

Quis eſt autor & fons legis naturæ?

Paulus expreſsè nominat leges naturæ ius Dei. Sciant igitur iuniores legis notitiam diuinitus inſitam eſſe mentibus humanis in creatione, ſicut numerorum notitia nobis inſita eſt. Vt enim in Deo ipſo eſt ſapientia diſcernens recta & non recta: ita in mentibus noſtris à Deo condita eſt lux, quæ diſtinguit recta à prauis. Hinc regula à veteribus tradita extruitur, violatio iuris naturæ eſt peccatum mortale, ſicut violatio iuris diuini.

MATERIA IN QVA.

Pars cognoſcens eſt ſubiectum legis naturæ, cum qua ante lapſum congruebat voluntas & cor. Sed hæc harmonia in lapſu turbata eſt, nec iam ardent voluntas & cor dilectione Dei.

FORMALE.

Vt lumen eſt in oculis, quo fit viſio: ita in mentibus lux quædam eſt, qua diſcernimus honeſta & turpia. Qualis autem hæc lux ſit, tunc cernemus, cùm archetypum Deum intuebimur.

FINALES CAVSÆ.

Voluit Deus reliquam esse in homine notitiam legis, vt extet in natura testimonium de Deo, & vt agnoscamus peccatum, & vt fateamur nos iustè à Deo puniri. Postremò etiam vt hac norma regatur disciplina.

PVGNANTIA.

Omnes sani acerrimè odisse maximeq; detestari debent furores Cynicorum, qui dixerunt, nihil esse natura iustum, sed tantùm opinione. Hos furores contumeliosos aduersus Deum discant studiosi refutare non solùm testimonijs vocis diuinæ, sed etiam veris rationibus. Paulus in 1. capite ad Romanos appellat legem naturæ veritatem, quam ait oppressam esse horribili contumacia naturæ humanæ. Et in consequenti capite inquit, opus legis à Deo scriptum esse in cordibus humanis. Ad hæc testimonia adiūgantur dicta & rationes veræ philosophorum. Cicero sapientissimè dixit in primo de Legibus: Omnium quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neq; opinione, sed natura constitutum esse ius. Et in secundo de natura Deorum: Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

mat. Manet autem in omnium mentibus æternum & immutabile ſeptum dirimens recta à prauis. Itaque non opinione, ſed à natura, vel vt verius dicam, à Deo ipſo hoc diſcrimen ſancitum eſt. Sed euidentiſsima refutatio Cynici furoris ſumi poteſt à pauoribus conſcientiæ. Vt enim Dionyſius Heracleotes, cùm ex renibus laboraret, ipſo in eiulatu clamitabat falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ſenſiſſet ipſe: ita ſinguli experiuntur tãquam vindice Deo naturam hominis deſtrui, cùm diſcrimen honeſtorum & turpium violant. Sequuntur enim immutabili ordine horrendi cruciatus damnantes ſcelera ac reum prorſus delentes. Poſtremò meminerint ſtudioſi dictũ Euripidis, quod citat Plutarchus, Turpe eſt turpe, ſiue videatur, ſiue non videatur.

Quid eſt ius poſitiuum?

Ius poſitiuum eſt decretum legitimæ poteſtatis non pugnans cum iure naturæ, ſed addens ad ius naturæ circumſtantiam aliquam probabili ratione, non neceſſariò definitam. Hæc deſcriptio fit illuſtrior conſideratis officijs, quæ gubernatores humanæ ſocietatis ſuſtinent. Primùm.n. Decalogi vocẽ eos eſſe neceſſe eſt. Etſi enim natura lucet in mentibus: tamen illa naturæ lux doctrina & voce Magiſtratuum excitanda eſt. Deinde cùm homi-

nes non tantùm doctrina regantur, ſed pœnarum metu coercendi ſint, impoſuit Deus generi humano Magiſtratus, vt huius ſuæ legis violatores puniant,& ſeueritate pœnarum ſubditos in officio retineant.

Etſi autem neceſſe eſt legum omnium in omni gubernatione primas eſſe eas, quæ in Decalogo traduntur dextrè intellectas: tamē Magiſtratibus dedit mandata Deus, vt ipſi leges aliquas addant, ſed congruentes cum Decalogo, quæ aliquas circumſtantias aut ſpecies explicent. Lex diuina ſancit in genere diſtinctionem dominiorum, cùm ait, Nō furaberis. Hîc legislator modos recitat, quibus res ſit vniuſcuiuſque propria, oſtendit contractuum formas,& quando exiſtimandum ſit contractum eſſe perfectū, quando imperfectum. In his explicationibus valet Magiſtratuum ſententia, & propter rationem probabilem Decalogo congruentem, & propter autoritatem, quam Deus Magiſtratui attribuit, quem iuſsit addere in hac ciuili vita, tum explicationes, tum adminicula legum diuinarum.

CAPVT VIII.

Argumentum.

INITIO *repetit definitiones voluntarij & inuoluntarij ſuprà traditas libro tertio. Deinde diſcernit*

tria

tria genera delictorum. Quædam fiunt per ignorantiam. Quædam fiunt à ſcientibus, ſed ſine dolo. Tertium genus eſt illorum, quæ fiunt dolo. In fine tradit regulam, quando ignorantia habeat excuſationem.

TEXTVS.

POſtquam expoſui, quid ſit iuſtum, quid iniuſtum, addendum eſt, tunc iuſtè atque iniuſtè agi, quando agit aliquis volens. Quando autem agit aliquis non volens, neque iuſtè agit, neque iniuſtè, niſi per accidens, quia agit illa, quibus alioqui ſine ſuo conſilio accidit, iuſtum aut iniuſtum dici. In iniuria autem & iuſtè factis conſideratur voluntas, vtrùm ſponte aut non ſponte fiant. Vituperatur enim id, quod facit aliquis volens, idque tunc iniuria eſt. Quare etſi aliquid iniuſtum eſt, nondum tamen iniuria eſt, ſi non ſit ſponte factum. Voco autem ſponte facta, vt ſuprà dictum, cùm ea quæ in poteſtate noſtra ſunt, & ſcientes agimus, nec ignoramus aut quem petamus aut quò, aut cuius cauſa, vt ſciendum eſt quem verberes, & quò & cuius cauſa. Ac nihil horum per accidens eueniat, aut vi, vt ſi quis pulſet alium ipſius manum ſumens, is ſe pulſat non volens. Non enim ſitum eſt in ſua poteſtate. Item accidit, vt patrem aliquis verberet ignorans eſſe patrem,

etſi videt hominem eſſe, aut aliquem ex his qui adſunt. Ita iudicandum eſt & de fine, cuius cauſa aliquid agitur, & de tota actione.

Inuoluntarium autem eſt, quod aut per ignorantiam fit, aut quod non eſt in noſtra poteſtate, aut quod vi coacti facimus, etſi non ignoramus quid agatur. Multa enim quæ natura adſunt, ſcientes & agimus & patimur, quorum nihil voluntarium aut inuoluntarium eſt, vt ſeneſcere aut mori. Talia ſunt etiam iuſta & iniuſta per accidens. Nam ſi quis nolens & propter metum reddat depoſitum, non meretur dici iuſtus, aut iuſta agere, niſi per accidens. Et qui vi prohibetur reddere depoſitum, per accidens iniuſta agit. Duplicia autem ſunt voluntaria, quædam conſultò fiunt, quędam inconſultò. Conſultò agimus, cùm præceſsit deliberatio. Inconſultò agimus, cùm non præceſsit deliberatio.

Tria autem ſunt genera delictorum in ſocietate ciuili. Quædam delicta committuntur per ignorantiam, quando agens neque eum quem putabat, petit, neque hoc quod cogitauerat agit, neque quo, neque cuius cauſa cogitauerat. Aut enim neſcit ſe ferire, aut neſcit ſe hac re ferire, aut hunc, aut neſcit ſe alia cauſa agere, quàm cogitauerat, vt feriebat, non vt vulneraret, ſed vt perſtringeret, aut non quem, aut non vt volebat. Quando igi-

do igitur per ignorantiam damnum accidit, infortunium eſt. Quando autem non fit per ignorantiam, verùm ſine dolo, delictum eſt. Delinquit enim is, in quo principium eſt culpæ. Infelicitas autem eſt, quando principium ſeu cauſa foris eſt.

Quando autem nocet aliquis ſciens, verùm ſine deliberatione, iniuria eſt, cuiuſmodi ſunt quæ fiunt per iram aut alias perturbationes, quæ neceſſariò vel natura hominibus accidunt. Qui enim ſic lædunt, delinquunt & iniuriam faciunt, & hæc delicta ſunt iniuriæ. Neque tamen propterea ſunt iniuſti aut improbi, non enim damnum dolo factum eſt. Quando autem nocet conſultò & cum deliberatione, iniuſtus & improbus eſt.

Ideo rectè ea, quæ per iram facta ſunt, non iudicantur dolo facta eſſe. Non enim incipit is, qui agit iratus, ſed qui ad iram prouocauit. Nec quæritur in talibus iniurijs, an factũ ſit, ſed iure ne factum ſit. Non enim diſsimulat factum is, qui per iram commiſit, quia ira extitit propter illatam iniuriam, vt videbatur. Sed in contractibus ſecus fit, vbi ſi quis alterum defraudauit, tantùm quæritur an ſit factum, quia neceſſe eſt eum dolo peccare, cùm non habet excuſationem obliuionis, ſed fatetur ſe cum illo pactũ eſſe, cum quo litigat. Inſidiator autem non agit ignorans. Itaque

alius

alius pronunciatur iniuria affectus esse, alius pronunciatur non esse affectus iniuria. Qui autem consultò nocet, iniuriam facit, & iniustus est. Qui hoc modo nocet, nec reddit paria aut pro proportione. Ad hunc modum & iustus est, si consultò & volens iustè agit. Tantùm autem cùm volens agit, iustè agit.

Sed delictorum, quæ non sunt sponte facta, quædam venia digna sunt, quædam non sunt digna venia. Quæ enim delinquunt non solùm ignari, sed etiam inuiti propter ignorantiam, venia digna sunt. Quæ autem admittunt ignari quidem, sed tamen non ignorantia, sed cupiditate aliqua incitati, nec naturali, nec humana, non sunt venia digna.

ὑπομνήματα.

DE GRADIBVS DELICTORVM.

NON EST probanda Stoicorum opinio, quæ fingit omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm eum qui patrem suffocauerit. Nam & in foro & in Ecclesia ingens discrimen est inter delicta voluntaria & inuoluntaria. Etsi enim non renatorum peccata sine exceptione mortalia sunt: tamen in

sanctis

ſanctis aliud eſt peccatum non regnans, quod nominatur veniale, quod eſt malum originale, multi defectus & prauæ inclinationes & dubitationes, peccata ignorantiæ & omiſsionis, praui affectꝰ. Talia peccata in renatis ſunt quidem mala pugnantia cum lege Dei, ſed remittuntur petentibus, & credentibus ea remitti propter filium Dei pro nobis interpellantem. Alius gradus eſt peccatorum, error in fundamento, item lapſus contra conſcientiam, vt cùm Dauid ſciens & volens rapit alienam coniugem. Propter talia peccata homo rurſus amittit gratiam, Spiritum ſanctum, & vitam æternam, & niſi conuertatur ad Deum, ruit in æternum exitium, ſicut Saul damnatur, quia ruit contra conſcientiam, nec rurſus conuertitur ad Deum. Hi gradus perſpicuè diſcernantur in Eccleſia, & ſit illuſtre diſcrimen peccati regnantis & non regnãtis. Hanc doctrinam tradit Paulus in dicto: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam.

In doctrina ciuili tres gradus delictorum traduntur, dolo facta, culpa, item caſu facta. Et culpæ gradus ſunt, lata, leuis, & leuiſsima. Scelus propriè nominatur delictum, ad quod concurrunt mens ſciens quid ſit agendum, & voluntas libera contra rectum iudicium faciens. Hic gradus plurimum habet turpitudinis,

nis, quia maior eſt contumacia voluntatis, quando mens videt quid agat.

Culpa lata eſt, cùm quis craſſa negligentia peccat, non tamen affectata, vt cùm aliquis rebus ſuis ſaluis amittit depoſitum, quia hoc fortè negligentius cuſtodiuit. Etſi autem diſputatur, an lata culpa ſit dolus, tamen rectè dicitur, toto genere diſtare dolum & culpam, id eſt, peccata ignorantiæ & omiſsionis non affectatæ.

Reliqui ſunt gradus, leuis culpa & leuiſsima, quæ ignorantiam circumſtantiarum, aut negligentiam leuiorem continent, vt ſi quis non tribuat nomen conſulis Magiſtratui in alio oppido, cuius ipſe non eſt ciuis, ignorans eum eſſe Conſulem.

CAPVT IX.

Argumentum.

IN HOC *capite quatuor exiles & argutæ quæſtiones agitantur. Prima, vtrùm ſcienti & volenti fiat iniuria. Secunda, quæ ſint iniuriæ per accidens. Tertia, an ſibiipſi quiſpiam iniuriam facere poſſit. Quarta, an iniuſtus ſit diſtribuens iniuſtè, vt Alexander plus honoris tribuit Hephæſtioni quàm Cratero, an verò accipiens præmia ſupra merita.*

TEX-

TEXTVS.

DVbitabit autem aliquis, vtrùm ſatis dictum ſit de iniurijs, & vtrùm hoc fieri poſsit, quod Euripides [a] abſurdè dixit:

Dicam parentem quomodo occidi meam,
Volens volentem, ſiue volentem non volens.

[a] Alcmæon filius Amphiarai matrem Eriphylen interfecit, propterea quód illa patrem prodidiſſet, abhorrentem ab expeditione Thebana. Huius parricidij mentionem facit Homerus Odyſſeæ 11. & Vergilius libro ſexto AEneidos inquit:

His Phædram Procrinq́ locis mæſtamq́ Eriphylen,
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.

Etſi autem Alcmæon interfector matris diu in Græcia vagatus eſt: tamen ad extremum abſolutus iudicio Apollinis, vt narrat Thucydides in fine libri ſecundi, eam oram Græciæ occupauit, quæ Acarnania à filio Acarnane dicta eſt.

Itaque quæri poteſt, vtrùm reuera poſsit iniuria fieri volenti, an non, ſed omnis iniuria fiat inuito, ſicut econtra tantùm volens propriè dicitur iniuriam inferre. Deinde quæritur an hæc ſemper eodem modo ſe habeant, videlicet, an quiſquis facit iniuriam, volens faciat, an verò iniuriæ quædam ſint dolo illatæ, quędam verò ſint iniurię, quamuis non ſint dolo factæ. Idem quæritur de iuſtè factis, cùm nemo iuſtè agat niſi volens. Itaq; è regione, ſi nemo iniuria afficitur volens, conſentaneum

neum videtur & iusta inuitos pati. Aut si quis iusta patitur volens, videbitur etiam aliquis volens iniuria affici posse. Absurdum autem fuerit dicere, quòd tantùm volentes iusta patiantur. Quidam enim iusta patiuntur & inuiti.

Quæri & hoc potest, vtrùm omnes afficiantur iniuria, qui aliquid patiuntur contra ius, an ita sit iudicandum de paßione, sicut dictum est suprà de actionibus, videlicet quędam per accidens iusta esse. Sic sentiendum est & de iniurijs. Constat enim aliud esse iniuriam fecere, aliud contra ius agere, & aliud iniuria affici, aliud pati aliquid contra ius. Hæc ita conferuntur sicut iure agere, & iure pati. Sicut enim impoßibile est iure pati, nisi sit qui iustè agat, ita impoßibile est iniuria affici, nisi sit qui inferat iniuriam.

Quæritur item, Si iniuriam facit, qui volens lædit (volentem enim appello, qui scit quem petat, & quò, & quomodo: intemperans autem seipsum lædit volens, videturque sibijpsi iniuriam inferre) an contingat, vt aliquis sibijpsi iniuriam inferat? Nam hæc controuersia etiam agitatur, vtrùm aliquis sibiipsi iniuriam facere poßit.

Cumque incontinens volens lædatur ab alio, videtur iniuria affici non tantùm inuitus, sed etiam volens, nisi in definitione iniu-

riæ,

riæ, hoc etiam addendum est, Iniuriam esse, si quis lædit sciens quem, & quo, & quomodo, & præter ipsius voluntatem, læditur itaque aliquis volens, & iusta patitur, non tamen iniuria est, si eam volens accipit. Nemo enim vult ipsam iniuriam. Ac ne quidem ille incontinens vult sibi malum, sed agit præter voluntatem. Nemo enim sibi expetit aliquid, quatenus iudicat id esse malum. Incontinens autem agit id quod non putat esse agendum. Sed qui sua donat, vt Homerus ait, Glaucum Diomedi dedisse aurea arma pro ferreis, non afficitur iniuria. Nam in ipsius potestate erat donare, verùm iniuria affici ab alio oritur, non à nobisipsis. Constat igitur, quòd iniuria affici non sit voluntarium.

Reliquæ sunt quæstiones, de quibus dicere instituimus, vter iniustus censendus sit, isne qui præter dignitatem distribuit, an ille qui præmia supra meritum accipit. Item, an aliquis posit sibijpsi iniuriam facere. Quòd si prius illud accidit, videlicet, si iniustus est Agamemnon plus tribuens Patroclo quàm Achilli, sequitur vt iniustus sit Agamemnon plus tribuens Patroclo quàm sibi, id quod homines modesti facere videntur. Nam modesti extenuant sua merita. An verò hoc non ita se habet simpliciter? Tunc

enim iniustus esset, si alienum bonum occupаret, vt gloriam alterius, aut aliud bonum. Præterea solui hoc potest ex regula suprà tradita. Nam Agamemnon alteri plus tribuens, nihil patitur contra voluntatem suam. Quare propterea non afficitur iniuria Agamemnon, læditur tamen. Cæterùm constat hunc iniuriam facere, qui distribuit, non eum qui supra meritum accipit. Non enim iniuriã facit is, cui aliquid iniustum tribuitur, sed is qui volens id facit. Quia is facit iniuriam, vnde principium est actionis. Id verò est in distribuente, non in accipiente.

Præterea facere multis modis dicitur. Interdum instrumenta dicuntur facere, vt manus & seruus Domino mandante cædem facit. Hîc instrumenta non faciunt iniuriam, etsi iniusta peragunt. Item: Iudex, si ius scriptum ignorans non rectè iudicat, non facit iniuriam, neque est iniustum iudicium. Est tamen aliquo modo iniustum iudicium. Aliud enim lex est, aliud ius primum ac naturale. Lex ignorari potest, ius primum ignorari non potest. Sed si sciens iniustè iudicat, non seruat æqualitatem, sed plus captat gratiæ, aut plus vindictæ expetit. Vt igitur si quis se socium ad iniuriam inferendam alteri addiderit, etsi fundum non captat, tamen pecuniam captat: ita iniustè iudicans

velut

velut ſocium ſe ad inferendam iniuriam addit, & quanquam non captat fundum, tamen plus auferre gratiæ ſtudet, aut odij fructum.

Præterea homines arbitrantur in ſua poteſtate eſſe iniuſta agere. Ideoque exiſtimant iuſtitiam rem facilem eſſe. Verùm id longè ſecus eſt. Nam vitiare vxorem vicini, & verberare proximum, & argentum manu dare, facilia ſunt & in poteſtate noſtra. Sed hæc facere adſuefactos atque habiles, nec facile eſt, nec in poteſtate noſtra. Ita & noſſe iuſta ac iniuſta, non exiſtimant ſapientiam, quia facile ſit intelligere ea, quæ præcipiunt leges. Verùm hæc non ſtatim iuſtè fiunt, niſi ſecundum accidens. Sed tunc iuſtè fiunt, cùm certo modo decernuntur. Difficilius autem hoc eſt, quàm ea noſſe, quæ ad tuendam valetudinem conducunt. Quanquam & ibi facile eſt noſſe, mel, vinum, elleborum, quid ſit vri, quid ſecari. Verùm quomodo hæc ad ſanitatem conferant, cui, & quando, tanta difficultas eſt, quàm difficile eſt medicum præſtantem effici. Propterea autem putant, & iuſtos non minus poſſe iniuſtè agere, quoniam iuſtus non minus, ſed magis etiam hæc poteſt perpetrare, vitiare vxorem alterius, verberare alterum, & fortis poteſt abijcere clypeum, & verſo tergo fugam dare. Atti-

midum ac iniustum esse non idem est, quòd illa perpetrare, nisi secundum accidens, sed hæc perpetrare adsuefactos atque habiles, sicut curare & mederi, non sunt incidere aut non incidere, aut remedia dare, aut non dare, sed sic dare.

Iusta verò caduntin hos, qui res expetunt simpliciter bonas, qui in illis expetendis aut excellere aut deficere possunt. Quidam autem ita fruuntur bonis, vt non nimium expetant, vt fortasse dij. Quidam prorsus sunt mali, immedicabiles & inutiles. Alij verò sunt eiusmodi, vt aliquousque proficiant. Id humanum est.

DE PRIMA QVAESTIONE.

REGVLA Iurisconsultorum quæ docet, Scienti & volenti non fieri iniuriam, intelligatur cum duabus exceptionibus, volenti scilicet simpliciter sine collatione. Item volenti eam rem, quam habet in potestate. Etsi igitur in tempestate malumus abijcere merces, quàm perdere vitam: tamen non simpliciter volumus damnum. Ideo Aristoteles tales actiones vocat mixtas, eisque medium locum attribuit inter voluntarias & inuoluntarias. Deinde, cùm lex magis sit domina nostrarum rerum quàm nosipsi, non dubium est iniuriam fieri volenti aliquid contra legem. Nam

volun-

voluntas impedita est voluntate Dei & lege. Hoc modo fit iniuriam mulieri sese prostituenti, quæ auellitur & suo & alieno scelere à Deo. De damnis autem rerum, quæ sunt in nostra potestate, quia sine scelere cedi possunt, valet regula, Scienti & volenti non fit iniuria: vt cùm Glaucus dat aurea arma pro æneis, Hæc non est iniuria.

CAPVT X.

Argumentum.

HOC CAPVT *explicat locum vtilissimum de discrimine summi iuris & æquitatis. Si quis autem quærit, an si æquitas recta est, summum ius iniustitia sit, huic respondet Aristoteles, genere congruere vtrunque, summum ius & æquitatem, id est, vtroque probantur recta & damnantur turpia, sed gradibus differunt propter circumstantias. Monet etiam leges ferri de ijs, quæ plærunque fiunt, nec posse de singulis casibus leges ferri.*

TEXTVS.

DEinceps dicendum est de æquitate, & æquo & bono, quomodo se habeat æquitas ad iustitiam, & æquum ac bonum ad iustum. Non enim simpliciter idem significant

cant, neque tamen genere diuersa sunt. Interdum enim laudamus æquitatem, & virum æquum & bonum, & translatione quadam pro bono æquum dicimus, & melius quiddam esse prædicamus æquum quàm iustum. Econtra absurdum videtur laudare æquitatem, si aduersatur iustitiæ, si quis hæc expendat subtili ratione. Aut enim iustitia non est laudanda, aut si iustitia laudanda est, æquitas non est laudanda, siquidem aduersatur iustitiæ. Aut si vtraque laudanda est, easdem esse necesse erit. Ad hunc modum dubitari de æquitate solet.

Verùm hæc omnia rectè dicuntur, si suo quæque modo intelligantur, nec pugnant inter se. Nam æquum est iustum, & aliquando melius iusto, nec vt contrarium genus iusto melius. Eadem igitur sunt in genere iustum & æquum, & cùm vtrunque laudandum sit, melius tamen est æquum. Hæc enim dissimilitudo est, quòd æquum est iustum, non secundum legem, sed emendatio legum. Causa autem est, quia omnes leges sunt vniuersales, neque tamen potest de singulis rectè decerni in vniuersali. Cùm igitur legem necesse sit vniuersaliter loqui, neque tamen rectè de singulis in vniuersali constitui possit, Lex id constituit, quod plærunque faciendum est, nec ignorat hîc sibi aliquid deesse, & tamen

lex

lex recta & iuſta eſt. Nam quòd lex aliquid omittit, id fit non vitio legis aut legiſlatoris, ſed propter negociorum diſsimilitudinem. Talis enim materia eſt actionum, vt ferè aliqua ex parte ſint diſsimiles in eodem genere.

Quando igitur lex vniuerſaliter loquitur, & tamen accidit aliquid ex parte aliqua diſſimile illis, quorum vniuerſaliter mentio fit, tunc defectus eius corrigendus eſt eatenus, quatenus aberrauit legiſlator. Aberrauit autem propterea, quòd neceſſe eſt eum vniuerſaliter loqui. Ac ſi adeſſet legiſlator ipſe, idem pronunciaret, & exciperet hunc caſum à lege iam lata. Quare iuſtum eſt, & melius eſt, non quidem ſimpliciter, ſed melius ſcripto iure, quod nonnihil aberrat. Et hæc eſt natura æquitatis emendatio legis, quatenus aliquid omiſit, propterea quòd vniuerſaliter loquitur. Hæc eſt enim cauſa, quare non ſemper iuxta leges pronuncietur, quia non poſſunt de ſingulis caſibus leges ferri. Ideóque & in ciuitatibus fiunt peculiaria ſenatuſconſulta de præſentibus negocijs, vt ſit aliqua regula indefinita negociorum infinitorum, qualis Lesbiorum artificum Plumbea regula eſt, quæ accommodatur ad lapides, & ſubinde mutatur, ſicut Senatuſconſultum ad præſens negocium accommodatur.

Quid igitur ſit æquum, & quid iuſtum, & quo iuſto melior ſit æquitas, perſpicuum eſt. Hinc etiam liquet, quis ſit æquus & bonus vocandus, videlicet is, qui talia iudicio eligit atque agit, & qui non requirit ſummum ius in deteriorem partem, ſed qui mitigat, etſi lex ſummum ius continet. Et habitus eſt æquitas, quæ quidem iuſtitia quædam eſt, nec eſt diuerſus habitus.

ὑπομνήματα.

DE DISCRIMINE SVMMI IVRIS ET ÆQVITATIS.

NON tantùm in foro, ſed in tota vita neceſſarium eſt diſcrimen ſummi iuris & æquitatis. Multa enim incidunt, vbi ſi nemo alteri cedat, nec ſtudeat moderatione, quam vocant ἐπιείκειαν, ſanare offenſiones, magnos tumultus exiſtere neceſſe ſit. Humaniſsima vox eſt ſenis illius in Comœdia: Non habebo neceſſe omnia pro meo iure agere. Hanc vocem inculcemus nobis, & ad hanc moderationem nos adſuefaciamus, de qua cogitantibus veniat in mentem narrationis Plinianæ de duabus capellis, quæ cùm ſibi occurriſſent in ponte adeò anguſto, vt ſpacium non eſſet, quo altera iuxta alteram præteriret, mirabili arte viam ſi-

am ſibi fecerunt. Altera enim proſtratum corpus in ponte ita collocat, vt altera inſiſtere proſtrato corpori, & tranſire per illud poſſet. Vt igitur illæ capellæ inter ſe cedunt, ſic nos ſapienter toleremus priuatas iniurias, quarum depulſio nocet publicæ tranquillitati. Nam Deus defendit eos, qui propter publicam vtilitatem priuatæ iracundiæ frenos inijciunt. Sic Camillus maluit afflictæ patriæ, quàm ſuę iniuriæ memor eſſe. Ideo alter Romulus appellatus eſt. Nulla enim victoria, nullus triumphus eſt magis dignus laude, quàm anteferre commoda patriæ priuatis affectibus.

Primùm autem diſcernatur ſummum ius à calumnia. Nam vicia vicina ſunt virtutibus iuxta illud:

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

Eſt igitur calumnia interpretatio pugnans, cum ſententia, quam phraſis vſitatè ſignificat, vt multa recitantur exempla calumnioſarum interpretationum, in quibus verba contra communem conſuetudinem enarrantur. Arci Romanæ præerat Tarpeius. Huius filiam Tarpeiam virginem magnis promiſsis corrupit Tatius rex Sabinorum, vt cùm petitum aquam exiret, armatos in arcem admitteret. Ipſa ſe facturam promiſit, ſi, quod in ſiniſtris brachijs omnes geſtarent, ſibi daretur. Accepit

pit conditionem rex, & cùm intus iam essent, virginem scutis obrutam interemerunt. Hæc enim in sinistris brachijs gestabant, cùm de aureis armillis sensisset, quas in eisdem brachijs habebant.

Hispanicus præses in quodam oppido prope Mediolanum promisit mulieri, cuius maritus erat captiuus, si cum ipso concumberet, redditurum se esse maritum. Reddidit postea interfectum. Sed Gonzaga iustum supplicium de hoc Hispano sumsit. Hæc exempla eò recensui, vt discernatur summum ius à calumniosa interpretatione iuris. Est autem summum ius, cùm leges seuerè sine mitigatione retinentur, etiam cùm propter circumstantiam aliquam probabilis ratio erat mitigationis, vt Milo Clodium interficit, quanquam insidiatorem, sed tamen elapsum iam, cùm se in tabernam abdidisset. Cùm igitur interfecerit eum, nō seruato modo inculpatæ defensionis, iure summo condemnatus est iuxta legem, vt proscriberetur ciuis, qui ciuem iniustè interfecisset. Sic Manlius pater filium, qui contra imperium consulare pugnauerat inuitatus occasione rei bene gerendæ, capitali supplicio affecit, quia lex militaris iubet eum, qui contra Consulis aut Dictatoris interdictum pugnauerit, interfici. Eodem iure Papyrius dictator Magistrum equitum Q. Fabium, qui se ab-

ſe abſente dimicauerat, poterat punire. Sed remiſit aliquid Dictator de ſeueritate: Quia Magiſter equitũ non ambitione incitatus nec temere pugnauerat, ſed facere ſe contra vtilitatem Reip. & contra voluntatẽ Dictatoris iudicauerat, ſi occaſionẽ è manibus dimitteret, quam Dictator ſi adfuiſſet, nequaquã neglecturus erat.

Ἐπιείκεια verò ſeu æquitas eſt ꝓbabilis mitigatio ſummi iuris in aliqua circumſtãtia, præſertim in caſu, de quo non principaliter lex loquitur. Hęc deſcriptio valde illuſtratur exẽplis ſummorũ regũ & principũ, qui in perſequendis iniurijs multũ de ſummo iure remiſerunt.

Ludouico regi Gallorũ eius nominis XII. erant quidã incitatores poſtquam rex factus eſſet, vt puniret principes, qui antè ipſi fuerãt inimici, & fuerãt ſuaſores, vt in carcerẽ includeretur. Sed reſpondit Ludouicus iniuriã factã Aurelianenſi nõ pertinere ad regem, ſignificans multas iniurias obliuiſcendas eſſe, præſertim mutatis tẽporibus & mutata fortuna.

Occiſo Auidio Caſſio, qui res nouas in Oriente molitus fuerat, qua æquitate M. Aurelius Antoninus fuerit vſus, ſcripta docet ad Fauſtinam vxorẽ epiſtola, cùm ea immitius conſuluiſſet. Tu quidẽ mea Fauſtina religioſè pro marito, proq; liberis noſtris agis. Relegi enim epiſto-

epiſtolam tuam in Formiano, qua me hortaris, vt in Auidij conſcios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & genero, & vxori, & ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit, aut pœna crudelior. Nihil eſt enim, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit. Hæc Auguſtum conſecrauit. Hæc patrem tuum præcipuè ornauit. Denique ſi ex animi ſententia de bello eſſet iudicatum, nec Auidius eſſet occiſus. Eſto igitur ſecura, Dij me tuentur, Dijs pietas mea cordi eſt.

Ad Senatum autē his verbis ſcripſit. Quod ad Caſsianam rebellionem attinet, obteſtor vos, Patres Conſcripti, vt depoſita cenſuræ veſtræ ſeueritate, veſtram meamq; clementiam ſeruetis. Neq; per Senatum aliquis occidatur, nec ſimiliter in Senatorem animaduertatur. Nullius patricij ſanguis effundatur, relegati redeant, & exulibus bona ſua reſtituantur, atque vtinam multos qui interemti fuerunt in vitam reuocare poſſem. Nunquam in Imperatore proprij doloris vltionem probaui, quæ quanquam perſæpe iuſtiſsima ſit, plæriſque tamen ſemper acerba videtur. Quamobrem Auidij Caſsij liberis, genero eius atque vxori veniam dabitis. Sed quid veniam dico, cùm nullus eorum errauerit? Viuant igitur,

ſciant-

ſciantq; ſe tutos ſub Marco viuere. Viuant in ſui patrimonij parte, veſtibus, auro atq; argento vtantur, neque opulenti modò, verùm etiam tuti ſint, tutò ſe ac liberè ad omnia conferre loca poſsint, vt per totum terrarum orbem in populorum conſpectum veſtræ meæq; clementiæ verum atq; certiſsimum exemplum præ ſe ferant. Neque tamen hæc, Patres Conſcripti, magna eſt clementia, vt rebellium liberis atque vxori ignoſcatur. Peto igitur, vt omnes Senatores equiteſq; Romanos, qui inſimulati ſunt, mortis pœna exilioq;, item formidine, odio, infamia, iniuriaque liberetis. Date hoc præſentibus meis temporibus, vt in his coniurationibus, quæ ad tyrannidem initæ ſunt, eorum tantùm qui tumultu ipſo cæſi ſunt, mors afferatur, neq; vltrà pœna progrediatur.

Hæc epiſtola adeò Senatui populóque Romano placuit, vt Marci clementiam miris laudibus efferrent.

His igitur exemplis docemur, non modò videndum eſſe, quid ſummo iure liceat, ſed multò magis quid probabili ratione mitigari poſsit. Sunt enim duæ virtutes vicinæ, ſeuera iuſtitia & ἐπιείκεια, quarum vtraque regitur vera & iuſta ratione, & differunt gradibus, & verſantur inter eadem extrema, crudelitatem & indulgentiam.

Qui sunt fontes æquitatis.

Probabilis mitigatio summi iuris sumitur partim ex collatione legum superiorum & inferiorum partim ex circumstantijs, de quibus lex non principaliter loquitur. Vt cùm concurrunt diuersæ leges, quæ pariter seruari non possunt, præferenda est superior, vt si quis apud te sanus gladium deposuit, eumq; reposcit furẽs, lex inferior iubet reddere. At lex superior, Neminem lædas, tunc reddi vetat. Sic propter circumstantias interdum probabiliter mitigantur pœnæ, vt Orestes interfector matris in Areopago sententia Deorum absolutus est, quia Dij, id est, sacerdotes cognita causa iusto dolori veniam dederunt.

AN IVDICANDVM SIT EX SCRIpto iure, an verò æquitas extra scriptum quærenda sit.

Regulariter ex scripto iure iudicandum est, præsertim de eo casu, de quo lex principaliter loquitur. Vt cùm lex recens furem capitali supplicio puniri iubet, loquitur principaliter de eo, qui atroci consilio furatus est, nõ de eo, qui vel ætate lapsus est, vel fame impulsus. Iudex igitur in casu, de quo lex principaliter loquitur, non discedat à lege. Nã cùm legitimis

imperijs

perijs obedire nos iusserit Deus, necesse est etiam parere voci legum. Deinde quorsum attineret proponi ius scriptum, si liceret iudici priuato arbitrio discedere à scripto, quoties vellet?

Hæc licentia quid esset, nisi legum dissolutio & abrogatio? Sed cùm incidit casus, de quo lex non principaliter loquitur, propter aliquas circumstantias locus est illi moderationi, quam Aristoteles nominat scripti correctionem. Vt lex erat, vt interficeretur pugnãs contra Dictatoris imperium. Fabio tamen remittit pœnam Papyrius, & quia vicit, & quia deprecatur populus.

Ex hac explicatione vtcunque discatur discrimen summi iuris & æquitatis. Quanquam autem hæc explicatio puerilis est: tamen aditus est ad prolixiores aliorum disputationes, in quibus multa dexterius iudicari poterunt his initijs cognitis.

Postremò in hac doctrina consideremus, Euangelium proponere clementissimam ἐπιείκειαν legis, quòd videlicet in reconciliatis Deo placeat inchoata obedientia propter Mediatorem, etsi in ea multum adhuc est infirmitatis & sordium.

CAP.

CAPVT XI.

Argumentum.

In hoc capite sunt ſpinoſæ argutiæ de his quæſtionibus, an ſit iniuſtus dicendus is, qui ſibi mortem conſciſcit. Item: Vtrùm maius malum ſit iniuriam facere an iniuriam pati. Item: Quomodo aliquid iuſtum dicatur erga noſipſos.

TEXTVS.

Ex his autem quæ dicta ſunt, ſatis perſpicuum eſt, vtrùm ſe aliquis iniuria afficere poſsit, nec ne. Nam lex conſtituit quæ ſunt iuſta in omni genere virtutum, vt non concedit lex ſeipſum [a] occidere. Quæ autem lex non concedit, vetat. Præterea quiſquis ſpõte nocet contra legem non laceſsitus, iniuriam facit.

[a] Sicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus: ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuẽdum nobis aſsignatum eſt, eiuſdem iuſſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti. Lactantius lib. 3. cap. 17.

Sponte autem dico, ſi quis ſciat quem petat & quomodo. Iam ſi quis ſibi mortem conſciſcit iratus, ſponte facit contra rectam legem, id quod non concedit lex. Itaque facit iniuri-

iniuriam. Sed cui? Ciuitatíne, ac non ipsi sibi? Volens enim patitur. At iniuria non est dicenda, si quis volens damnum accipit. Itaque cùm puniat ciuitas, videtur iniuria ad ciuitatem pertinere. Notat enim infamia hos, qui sibi mortem conciscunt.

Deinde non potest fieri, vt qui se tantùm lædit, iniustus sit, nisi quatenus violat vniuersalem iustitiam. Interest enim inter ista. Nam iniustũ hoc loco species est turpitudinis, sicut timiditas, nec significat hîc vniuersam turpitudinem. Quare qui se lædit, non est iniustus secundum hanc speciem. Simul enim in eodem essent, eidem auferre & addere. Hoc autem impoßibile est, sed semper inter plures versantur iustitia & iniustitia. Item qui iniuriam infert, sponte agit, & consultò ac prior. Qui autem læsus retaliat iniuriam, non videtur iniustè agere. Sed cùm sibi quispiam mortem consciscit, idem & agit & patitur. Præterea si hæc iniuria dicenda esset, sequeretur iniuriam esse, si quis volens damnum acciperet. Porrò nemo est iniustus, nisi lædat in aliqua specie iniuriarum. Iam nemo dicitur mœchus cum vxore sua consuetudinem habens, nec grassator si sibi parietes [b] perfodiat, nec fur si suas res auferat. Denique sibi iniuriam [c] facere

[b] Tres gradus furum à Græcis recẽsentur. Primus κλέπται,

euertitur per ea, quæ diximus, quòd iniuria non ſit appellanda, quam quis ſponte accipit.

qui ſine violentia res auferunt. Secundus τοιχώρυχοι, id eſt, perfoſſores parietũ, vel λωποδύται, id eſt, detrahentes veſtes aliis. Tertius λῄσαι, qui latrocinium exercent.

[c] De hac quæſtione vtrùm maius malum ſit iniuriam facere, an iniuriam pati, longa extat diſputatio in Gorgia apud Platonem.

Conſtat autem vtrunque malum eſſe, iniuriam facere ac pati, quorum alterum plus eſt, quàm in medio eſſe conuenit, alterum minus eſt, ſicut in medicina vitioſa ſunt, quæ aut copia aut defectu corrumpunt ſanitatem, quæ medium tenet. Et in Gymnaſtica vitioſa ſunt exercitia aut nulla aut immodica, quæ bonum habitum, qui quaſi medium tenet, corrumpunt. Verùm deterius eſt iniuriam facere. Nam facere iniuriam vitioſum eſt, & aut vniuerſa turpitudo aut propè. Interdum enim ſponte nocet aliquis, & tamen non eſt iniuſtus. Sed iniuria affici non eſt vitioſum & iniuſtum. Quare minus malum eſt iniuriam pati. Cæterùm per accidens fieri poteſt, vt ſit plus mali, ſed id quod per accidens fit, nihil ad artes pertinet, ſicut pleureſis maior morbus eſt, quàm offenſio pedis. At fieri poteſt, vt offenſio pedis plus habeat mali, vt ſi

quis lapſus caperetur, atque interficeretur ab hoſtibus.

Iuſtum dicitur aduerſus alium. Sed metaphoricè [d] & ſimilitudine quadam dici poteſt, non alicui aduerſus ſeſe, ſed erga ſuos quoſdam, videlicet herile iuſtum aut Oeconomicum.

[d] Vltima reſponſio ad quæſtionem, an aliquis poſsit ſibiipſi iniuriam facere. Summa autem reſponſionis hæc eſt: Ratio & Cor ſunt tanquam duæ perſonæ.

Ad hunc modum & iuſtum quoddam eſt rationis aduerſus partes animi, quæ ratione carent. Hoc qui conſiderant, exiſtimant aliquem iniuſtum eſſe poſſe aduerſum ſeſe. Vident enim hîc alteram partem ab altera aliquid pati, præter ſuas appetitiones. At in his iuſtum perinde eſt, vt inter principem ac ſubditos.

Sed de iuſtitia ac de virtutibus alijs, quibus mores conformantur, dictum ſit.

FINIS LIBRI QVINTI
Ethicorum.

SEXTVS LIBER ETHICORVM.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

I. Argumentum huius libri.
II. Vtilitates eiusdem.
III. Series capitum in hoc libro.
IIII. Partitiones quædam necessariæ ad hūc librum intelligendum.

DE PRIMO.

ARISTOTELES in fine primi libri Ethicorum duas virtutum species recensuit, quarum alias appellauit morales, alias intellectuales. Etsi enim virtus propriè est habitus bonus in voluntate inclinans ad agendum secundum rectam rationem: tamen virtus in genere vocatur omnis habitus laudabilis. Cùm igitur hactenus dixerit de habitibus moralibus seu voluntarijs, nunc ad alterum genus habituum orationem conuertit. Quemadmodum enim fundamentū sine tecto non est durabile: sic voluntarij habitus nullam habent laudem, nisi regantur ab intellectualibus, inter quos prudentia velut gemma insignis eminet. Etenim prudentia cæteris virtutibus, quas à moribus agnominamus, quasi lu-

ſi lumen quoddam præfert, & viam præmonſtrat, qua ſit proficiſcendum. Scopus igitur huius libri eſt enarratio habituum intellectualium, quorum à Dialecticis fit mentio in prima ſpecie Qualitatis.

DE SECVNDO.

TRES ſunt præcipuæ vtilitates, quas ſtudioſi ex lectione libri ſexti Ethicorum capere poſſunt.

Prima eſt, quia diſcernit notitias & appetitiones. Hoc diſcrimen in omni vita neceſſarium eſſe cùm alia multa oſtendunt, tum vel maximè triſtis querela, quæ apud Paulum extat. Ait enim talem eſſe naturæ humanæ prauitatem ac malitiam, vt veritatem Dei teneat captiuam in iniuſtitia. Hîc quid intelligi poteſt, niſi diſtinguas notitias & affectus? Sciant igitur iuniores, legis notitiam, quam Paulus veritatem appellat, diuinitus inſitam eſſe humanis mentibus in creatione, ſicut numerorum notitia nobis inſita eſt, eſtq; in parte cognoſcente, cum qua ante lapſum congruebant voluntas & cor. Sed hæc harmonia in lapſu turbata eſt, nec iam ardent voluntas & cor dilectione Dei. Et tamen voluit Deus reliquam eſſe legis notitiam, vt extet in natura teſtimonium de Deo, & vt agnoſcamus pec-

catũ, & fateamur nos iuſtè à Deo puniri. Poſtremò etiã vt hac notitia regatur diſciplina.

Secunda vtilitas eſt, quia monſtrat diſcrimen habituum intellectus & voluntatis. Huius diſcriminis conſideratio prodeſt ad explicationem argumenti, quo mouentur præcipuè multi nõ indocti, vt valde abhorreant ab hac propoſitione, Fide iuſtificamur.

Impoßibile eſt ſola notitia hominem iuſtum eſſe.
Fides eſt tantùm notitia.
Ergo impoßibile eſt hominem ſola fide iuſtum eſſe.

Sed veriſsima & firmiſsima reſponſio eſt, negandam eſſe minorem. Nam fides quæ aſſentitur promiſsioni non eſt tantùm notitia, ſed eſt ſimul fiducia, qua voluntas & cor viuificantur & lætificantur, vt acquieſcant in Deo propter Mediatorem, vt cùm audit Dauid abſolutionem, Dominus abſtulit peccatum tuum, non tantùm in eo notitia eſt huius propoſitionis, ſed voluntas & cor oſtenſo hoc bono rurſus ex ſummis doloribus & ex inferis emergunt, ſicut dicitur, Iuſtificati fide pacem habemus. Et Ezechias inquit, Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Sic oſtendit Paulus quos motus complectatur fides, cùm inquit, Per hunc audemus accedere in fiducia per fidem ipſius. Ibi oſtendit fiduciam & acceſſum ad Deum in hac fide com-

prehen-

prehendi, de qua loquitur, & necesse est hæc comprehendi, quia de ea fide dicitur, quæ assentitur promissioni. Est igitur & fiducia in voluntate & corde acquiescens in promissione, id est, in Deo promittente propter Mediatorem.

Tertia vtilitas est, quòd huius libri lectio multas partes Dialecticæ & Physicæ doctrinæ illustrat. Sed omissa longiore commemoratione vtilitatum ad cætera προλεγόμενα accedamus.

DE TERTIO.

IN PRIMO capite huius libri vtitur Aristoteles methodo διαιρετικῇ, hoc est, repetit aliquot partitiones necessarias ad sequẽtem disputationem. Cùm autem in definitione virtutis & sæpe aliàs προαιρέσεως mentio facta sit, in secundo capite explicat, quid sit προαίρεσις, & circa quam materiam versetur. In tertio recenset quinque habitus intellectuales videlicet scientiam, artem, prudentiam, notitiam principiorum, & sapientiam, & de scientia disserit. Quartum caput disputat de arte. Quintũ de prudentia. Sextum de notitia principiorũ. Septimũ de sapientia. Octauum de speciebus prudentiæ, quarũ vna est domestica, altera ciuilis, tertia legalis: ac ciuilis quidem aut Senatoria, aut Forensis. No-

num caput de consilio philosophatur. Decimum de sagacitate. Vndecimum de sententia. Sunt enim cognata prudentiæ εὐβουλία, σύνεσις, γνώμη. Postremum caput vtilitates huius doctrinæ exponit.

DE QVARTO.

IN VESTIBVLO huius libri quinq; partitiones recitandæ sunt, quæ toti disputationi de habitibus intellectualibus plurimum lucis afferunt.

PRIMA PARTITIO.

Animæ potentiæ aut sunt rationales, aut irrationales. Rationalis, quæ homini propria est, complectitur intellectum & voluntatem. Reliquæ potentiæ, quæ irrationales dicuntur, aut agunt naturaliter, vt vegetatiua & sentiens, quæ actionem admota materia suspendere non possunt, aut reguntur à voluntate, sed dissimilibus imperijs. Nam locomotiua regitur herili imperio, appetitiua in corde regitur politico imperio, hoc est, persuasione seu ostensione alicuius boni vel mali.

SECVNDA.

Habitus rationalis potentiæ sunt duplices, intellectuales & voluntarij. Habituum intellectualium genus est notitia. Habituũ voluntatis

tatis genus est προαίρεσις. Hæc diuisio sumitur à subiectis, quia diuersa sunt accidentia intellectus & voluntatis. Nam in intellectu lucent notitiæ, quæ sunt vel naturales, vel actuales, vel habituales. In voluntate seu potentia appetente sunt hæc quatuor, inclinationes innatæ, actiones, habitus morales boni vel mali, & affectus. Hæc in Physicis copiosius declarantur.

TERTIA.

Notitię naturales à Deo insitę mẽtibus humanis, vt sint testimonia de ipso, & sint rectrices vitæ, & semina artium, aut sunt θεωρητικαὶ, quæ gubernant cognitionem, vnde oriuntur Arithmetica, Geometria, & plæræq; aliæ doctrinæ, aut sunt πρακτικαὶ, quæ gubernant actiones, vnde leges de moribus & de gubernatione ciuili oriuntur. De hoc discrimine infrà rursus dicetur in cap. 6.

QVARTA.

Intellectus duplex est, speculatiuus & practicus. Sciendum est autem hac diuisione non significari diuersas potentias, sed vnicam potentiam intelligentem circa diuersa obiecta versantem, aliàs circa speculabilia, aliàs circa deliberationes de actionibus, vt ijdem oculi cernunt colorem & figuram.

QVINTA.

Habituum intellectualium alij ſunt ἐπιστημονικοὶ, qui verſantur circa neceſſaria, alij λογιστικοὶ, qui verſantur circa probabilia ſeu contingentia. Hæc poſtrema diuiſio ſumitur ab obiectis. Nam omnes res aut ſunt neceſſariæ aut contingentes. Neceſſariæ, vt numeri, figuræ, proportiones, leges motuum cœleſtium, ortus & occaſus ſtellarum, coniunctiones & oppoſitiones Planetarum. Eclipſes luminarium, vices dierum & noctium, quadripartitæ anni viciſsitudines, &c.

Contingentes, vt negocia politica, varij euentus bellorum, tempeſtates, negocia œconomica. Ad νοητικὸν ἐπιστημονικὸν pertinent νοῦς, ἐπιστήμη καὶ σοφία, id eſt, notitia principiorum, ſcientia & ſapientia. Ad λογιστικὸν referuntur τέχνη φρόνησις, δόξα καὶ ὑπόληψις, id eſt, ars, prudentia, opinio & ſuſpicio.

Hactenus προλεγόμενα à nobis explicata ſunt. Nunc ſi placet ad textum Ariſtotelis accedamus.

CAPVT I.

Argumentum.

RECITAT *Ariſtoteles n hoc capite aliquot diuiſiones, quæ præparant lectorem ad ſequentem do-*

ctrinam facilius percipiendam. Primùm autem repetit diuisionem suprà traditam in fine libri primi. Aliæ virtutes sunt intellectuales, aliæ morales. Deinde discernit animæ potentias in rationales & expertes rationis. Postremò distinguit obiecta intellectus, quorum alia sunt necessaria & immutabilia, alia contingentia & mutationi obnoxia. Hæ diuisiones in Prolegomenis declaratæ sunt.

TEXTVS.

CVM medium sumendum sit iuxta rectam rationem, ipsiúsque rationis peculiare officium sit, à recto non recedere, quo relicto in defectum abire, aut in exuperantiam necesse est, quærendum videtur, quæ sit recta [a] ratio. Nam in omni genere habituum intellectu præditi ac mente scopum constituere solent, ad quem suas actiones dirigant. Etsi autem verè hoc ita dicitur, virtutes morales esse habitus in mediocritate consistentes, & à recta ratione profectos: tamen non satis explicatè dicitur, cùm etiam in cæteris artibus hæ voces crebris sermonibus vsurpentur, vitandum esse nimium & parum, & medium,

[a] Recta ratio est notitia discernẽs honesta & turpia, quę est regula bonitatis in actione morali, quia congruit cum æterna & immota sapientia & iustitia in mẽte diuina.

dium, vt recta iubet ratio, eligendum esse. Quamobrem paulò accuratius differendum est de recta ratione, & de ijs quæ rectitudinem gubernant.

Quemadmodum igitur intellectus distinguendus est in agentem & contemplantem: ita duplex in homine virtus existit, altera contemplatrix, altera actionibus ipsis dedita, ab illisq; meritò agnominanda.

Cùm autem de virtutibus moralibus suprà à nobis disputatum sit, sequitur vt de ijs, quas contemplandi vis continet, dicamus. Atque hæc quidem animi vis, aut in cognoscendis ijs versatur, quæ certa sunt, naturaq; constituta, neq; mutationem recipiunt, nec alio atque alio sese habere modo possunt, quorum è cognitione manat scientia, aut in ijs quæ dubia sunt, ac propter incertitudinem permutationemq; consultatio in illis locum habet, quæque alio nomine est etiam ratiocinatio. Nemo enim de rebus consultat necessarijs atque immotis. Hæc cùm ita sint, quærendum est, qui sit optimus habitus vtriusque facultatis contemplandi ac speculandi.

CAPVT

CAPVT II.

Argumentum.

TRADVNTVR in hoc capite tres definitiones προαιρέσεως, *quarum prima & tertia verbis tantùm differunt. Duo autem complectitur* προαίρεσις, *iudicium in mente, & liberam assensionem seu electionem in voluntate.*

TEXTVS.

OMnino tria sunt, quæ hominis naturam ac vim potissimùm declarent, sensus, mens, appetitus. Quota autem sensus vis sit atque autoritas agendis atque administrandis rebus, docent pecudes, reliquumque beluarum genus, quarum nullę prorsus existunt actiones morales. A mente igitur appetituque agendi vis impulsusque omnis proficiscitur, præstantissimis animæ nostræ partibus. Vt autem in mente sunt affirmatio & negatio, sic in appetitione locum habent prosecutio & fuga. Cùm igitur virtus moralis sit habitus electiuus, electio verò sit appetitio ex deliberatione orta, necesse est & rationem veram [a] esse, & appetitionem rectam. Nisi enim [b] à ratione vera monstrentur, &

[a] Iudicium ideo rectum dicitur, quia notitiæ congruunt cum æterna & immo-

hæc

hæc ipſa amplectatur appetitio, fieri nō poteſt, vt electio ſit honeſta & laudabilis.

ta Dei mente. Et tunc voluntas bona eſt, quando cum illa norma mentis diuinæ cōgruit. Ideo cùm de cauſis virtutum dicitur, & quæſtio eſt, quare Ioſeph rectè faciat abſtinens ab aliena, & Dauid non rectè faciat rapiens alienam, nō ſolùm norma in mente hominis conſideretur, ſed ſimul aſpiciatur illa prima & immota regula, ſcilicet mens diuina, ad cuius ſimilitudinem cōdita eſt hæc lux in mente humana. Deinde ſciamus congruentiam voluntatis cum hac norma ideo bonam eſſe, quia conuenit cum voluntate diuina.

[b] Inſigne dictum monſtrans cauſas virtutis. Sunt enim duæ cauſæ efficientes principales & proximæ virtutis, ſcilicet mens gubernans voluntatem recto iudicio, & voluntas liberè, conſtanter & firmiter amplectens id iudicium, ac gaudens ea rectitudine.

Hinc efficitur vt in intellectu contemplante non aliter inſit de recto prauoque, de vero itē ac falſo ſententia, quàm in agente eſt congruentia recti iudicij & appetitionis. Eſt igitur actionis moralis cauſa electio, non quidem finalis, ſed efficiens. Ipſa verò electio orta à ratione & appetitu finem intuetur. Itaque electio nec ſine mente eſt atque intelligentia, nec ſine recta appetitione. Etenim bonitas actionis & prauitas huic contraria non exiſtunt ſine cogitatione & ſine

aſſue-

assuefactione. Ac cogitatio quidem ipsa per se nullam mouendi vim habet, nisi quatenus aut finem intuetur, aut actiones gubernat. Hæc verò etiam fabricationes regit. Nam omnis qui fabricat, finem prospicit, videlicet opus. Actionis autem finis non est opus, sed ipsa actio.

Spero ex his quæ dixi, non obscurum esse, quid de electione existimandum sit. Est enim electio, vt breui comprehendam, appetens intellectus, vel potius appetitio intelligens, cuius quia materia quasi quædam consultatio est ac deliberatio, quodque præteritis atque anteactis de rebus consultet nemo, dicendum videtur consultationem omnem, queque illam sequitur electionem futuris esse de rebus. Etenim futuráne suscipienda sint negocia, dubitatio existit. Quocirca tum consultatio, tum electio, est de rebus ac negocijs, quæ ad futurum spectant tempus, & quæ aliter se habere possunt. Constat autem præterita mutari non posse, vt præclarè dixit Agathon, [c] ne Deum quidem hoc efficere posse, vt facta sint infecta.

[c] Deus non potest mutare præteritum, ita videlicet vt factum sit infectum. Ergo Deus nō est omnipotens. Respondeo: Virtutes seu proprietates Dei nequaquā inter se pugnant, nec altera impedit alterā. Vt quanquam

Deus

Deus eſt liberrimum agens, tamen non diſcedit à ſua rectitudine & iuſtitia. Sic omnipotentia Dei non tollit veritatem. Vult enim Deus hæc principia immota eſſe, Quodlibet eſt aut non eſt. Item: Impoſsibile eſt duas contradictorias ſimul veras aut falſas eſſe, vt extet diſcrimen inter ea quæ ſunt, & illa quæ non ſunt.

CAPVT III.

Argumentum.

CONTINET *hoc caput enumerationem habituum intellectus & ſcientiæ definitionem.* Habet *enim certa notitia has ſpecies, ſcientiam, artem, prudentiam, ſapientiam & notitiam principiorum.*

TEXTVS.

CVM autem vtriuſq; intellectus contemplantis & agentis munus atque officium ſit veritas, repetenda ſunt quædam paulò altius, vt intelligatur qui habitus ſint veritatis duces & comites. Sunt igitur quinque numero, in quibus mens ipſa aſſentiendo diſſentiendoq; verſatur, Ars, [*a*] ſcientia, prudentia, ſapientia, intellectus. [*b*] Nam ſuſpicio [*c*] & opinio,

[a] Ars & prudentia ſæpe falluntur. Ergo non ſunt habitus intellectuales, quorum genus eſt certa

cum

cùm sæpius à veritatis norma aberrent, nequaquam his annumerari debent.

notitia. Respondeo. Nõ est in medico semper releuetur vt æger, Interdum docta plus valet arte malum. Sic ars gubernandarum nauium sæpe vi tempestatum superatur. Ingens enim discrimen est electionis & euentus. Nam electio est in nostra potestate. Sed euentus pendet ab alijs multis causis, vt Prouerb. 16. dicitur, Homo præparat cor, Deus autem gubernat consilium. Quòd igitur non omnes euentus respondent arti & prudentiæ, id non fit propter habituum incertitudinem, sed propter alias causas, à quibus euentus reguntur. Est igitur in hoc argumento fallacia secundum non causam vt causam. Etenim artis impedimentum est materiæ instabilitas. Prudentiæ impedimentum est euentuum contingentia, vt Demosthenes inquit, Nemo de futuris tutò deliberat.

[b] νοῦς proprijssimè loquendo non est habitus intellectualis, sed naturalis notitia principiorum. Sed fugiamus nimiam subtilitatem, nec delectemur præstigijs cauillationum, quales sine fine à Sophisticis ingeniis finguntur.

[c] Opinio est notitia, in qua probabili ratione mouemur, vt magis in vnam partem inclinemus, quàm in aliam, & tamen suspensa sit assensio seu asseueratio. Vt, opinio est Atticum fore constantem & perpetuum amicum Ciceronis. Est enim probabilis ratio, quia vterque est honestus & sapiens, tuentur amicitiam virtutis causa. Sed tamen asseueratio suspenditur, quia animi hominum sunt mutabiles, vt inquit Poëta,

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.

Suſpicio eſt incerta notitia, qua ſine probabili ratione mouemur, vt magis inclinemus in partem deteriorem, vt natura ſuſpicaces malè ſentiunt de plurimis ſine probabili ratione, & multa falſa ſibiipſi fingunt. Vt enim ſunt maleuoli, occultatores, fucati, pleonectici, ita ex ſuis moribus fingunt alios, metuunt vbiq; inſidias, putant alios ſibi potentiã quærere, deprauant aliorum rectè dicta & ambigua. Hæc calumnioſa iudicia ſæpe cauſæ ſunt magnarum diſtractionum & bellorum, vt Pompeius auertit ſe à Iulio propter falſas ſuſpiciones

Ac primùm quidem, ſi placet, videamus quid ſit ſcientia. [*d*] Iam verò conſtat, ea quæ ſciuntur, & quorum notio certa eſt, habere ſe aliter nullo modo poſſe, cùm ſint neceſſaria. Neceſſariorum autem immutabilit [*e*] eſt natura, eaque nullo modo variat. Præterea omnis ſcientia doceri poteſt, cùm ex prænotionibus extruatur, quemadmodum in Analyticis diximus. Nam omnis do-

[d] Scientia eſt notitia, in qua demonſtratio cogit nos aſſentiri concluſioni. Quid autẽ ſit demonſtratio & quotuplex, & quæ ſint certudinis κριτήρια, in Dialecticis copioſè dicitur.

[e] Cùm inquit Ariſtoteles, ſcientiam eſſe incorruptibiliũ, loquitur de propoſitionibus abſtractis cogitatione à rebus, quarum perpetua eſt veritas. Vt quamuis violæ citò pereunt, tamen hæ propoſitio-

cendi

cendi ratio aut induction conſtat, aut ſyllogiſmo. Vt enim principiorum & vniuerſalium propria eſt inductio: ita ſyllogiſmus procedit ab vniuerſalibus. Voco autem principia, ex quibus demonſtratio extruitur, cùm ipſa demonſtratione non egeant. Eſt igitur Scientia notitia vera, quam firma aſſenſione propter demonſtrationem amplectimur. Eſt enim ſcientis proprium, acquieſcere in eo quod ſcitur, & habere principiorum exploratam cognitionem. Contrà qui principia tanquam fontes demonſtrationis ignorat, is concluſionis notitiam per accidens habet.

nes veræ ſunt, violæ ſunt plantę, violarum ſuccus ſuauiter refrigerat. In hanc ſententiam & Plato dixit, Ideas perpetuas eſſe.

CAPVT IIII.

Argumentum.

SICVT *paulò antè definiuit ſcientiam, ita in hoc capite definit artem. Etſi autem in lente, vt dicitur, non eſt quærendum vnguentum: tamen repetenda videtur Fabij narratio de ſuperuacua artis imitatione, quæ nihil ſanè nec boni nec mali habet, ſed vacuũ laborem. Fuit quidam qui grana ciceris ex ſpacio diſtante miſſa, in acum continuo & ſine fruſtratione in-*

ſerebat. Hunc cùm ſpectaſſet Alexander, donaſſe dicitur eiuſdem leguminis modio, quod quidem præmium fuit illo opere digniſſimum. Fabius lib.2.cap.21.

TEXTVS.

SEd hæc quidem de ſcientia hactenus, quæ eſt rerum immutabilium & minimè fallentium. Cæterùm in ijs, quæ habere ſeſe aliter atque aliter poſſunt, non ſolùm actio verſatur, ſed etiam fabricatio. Quantum autem inter vtranque interſit, in libris extraordinarijs [a] ſatis dixiſſe videmur. Longè etiam inter ſe differunt habitus practicus, & habitus regens fabricationes. Neque enim alter in altero includi poteſt velut ſpecies in genere, ſed aliud eſt actio, aliud fabricatio.

[a] Ammonius in exordio κατηγοριῶν. Scripta aut ſunt ὑπομνήματα aut συντάγματα, & hæc aut διαλογικὰ, aut αὐτοπρόσωπα. Denique hæc ipſa aut ἀκροαματικὰ, aut ἐξωτερικά. ὑπομνήματα dicuntur commentarij confecti ex autorum lectione. συντάγματα accuratè ſcripta. αὐτοπρόσωπα in quibus autor ipſe loquitur. ἀκροαματικὰ, quæ præceptoris vocem deſiderant. ἐξωτερικὰ popularia ſcripta, quæ ab omnibus intelligi poſſunt.

Cùm

Cùm autem fabrile opificium [*b*] ars quædam ſit, & habitus vera cum ratione faciendi, nec vlla ars ſit, quæ non manum exerceat, quæ non regula nitatur, ſéque ad normam redigat, cùm eius omnino proprium ſit facere, perſpicuum eſt artem eſſe habitum regẽtem fabricationes ſecundum rectam rationem.

Quid quòd ars omnis occupata eſt, aut præparanda [*c*] materia ad generationem, aut eadem conformãda, aut in iudicandis ijs, quæ poſſunt aliter atque aliter fieri, & quorum principium eſt in fabricante, non in ipſo opere?

[b] Ars eſt recta ratio faciendorum ſeu fabricandorum operum, vt ſtatuarius certam habet notitiam dirigentem manus & ſculpentẽ imaginem in ſtatua, id eſt, partes ſtatuæ tantiſper ordinantem, donec efficiatur ſimilitudo eius archetypi, quem imitatur. Sic autem diſcernit Ariſtoteles vocabula ſcientiæ & artis. Scientiam vocat habitũ θεωρητικὸν, id eſt, regẽtem ſpeculationes. Artem verò habitum ποιητικὸν, id eſt, regentẽ fabricationes.

[c] Ars ſeu humana induſtria non procreat ſubſtantias, ſed in ſubſtantijs quaſdã diſpoſitiones efficit, quæ aliàs adiuuãt, aliàs perficiunt, aliàs imitantur naturam, vt agricola adiuuat naturam, cùm ſemina ſpargit in terram, perficit naturam, cùm arat & rigat, ac ſolum efficit mollius, & magis idoneum ad fouenda ſemina.

mina. Sæpe etiam ars eſt imitatrix naturæ, vt cùm arte cietur aliquod ἀυτόματον.

Neque enim ars eſt eorum, quæ per cauſas certas eaſdemq́ue neceſſarias [d] fiunt, aut ſua ſponte naſcuntur. Hæc enim in ſeipſis principium motus habent.

[d] Differunt hæ quatuor cauſæ, natura, neceſsitas, fortuna & mens. Natura eſt ſubſtantia ſua vi gignens aut mouens, vt ignis non aliunde ſumit vim calefaciendi, ſed ſubſtantia eſt cauſa caloris, quo calefacit. Neceſsitas eſt ordo motuum cœleſtium, vt cauſa viciſsitudinis dierum & noctium, æquinoctiorum & ſolſtitiorum eſt neceſsitas, id eſt, perpetuus ordo motuum cœleſtium. Fortuna eſt actio in agente rationali, cui accidit aliquid boni vel mali, quod non eſt præuiſum, vt foſsio cauſa eſt per accidens inuenti theſauri. Mens complectitur iudicium & voluntatem obtemperantem recto iudicio.

Quoniam igitur longo interuallo diſtat actio à fabricatione, fateamur artem non verſari in actionibus, ſed in ijs opificijs, quæ manu fiunt. Poſtremò ijſdem in rebus verſantur ars & fortuna, vt venuſtè dixit Agathon: Ars fortunam amat, [e] & fortuna artem. Eſt igitur ars, vt dixi, habitus quidam vera cum ratione faciendi.

[e] Apud Herodotum lib. 7. rectè dicit rex Perſicus, regnum Perſarũ creuiſſe Deo ducente, ipſis autem regibus promtè ſequentibus. Et in quarto de

to de Legibus inquit: Rectè quidem dicitur Deum & cum Deo occasionem omnia regere. Sed tamen placidius est concedere, & artem oportere adiungi, vt in nauigatione.

CAPVT V.

Argumentum.

INITIO *quærit obiectum prudentiæ. Nam in omni deliberatione videndum est, quæ sint possibilia, & quæ sint impossibilia. Deinde monstrat discrimen scientiæ, artis & prudentiæ. Postremò constituit definitionem prudentiæ.*

TEXTVS.

DE prudentia [*a*] dicturi primùm omnium consideremus, quod sit prudentis [*b*] viri officium, & qualis ipse esse debeat. Est autem prudentis viri proprium, peculiaríſque illa eius commendatio, bene vtiq; vti consulat, nō sibi tantùm, sed & vniuersæ Reipublicæ.

[a] Prudentia est notitia vera, quæ secundum rectam rationē regit deliberationes in electione honestarum actionum & rerum vtilium. Sunt enim gradus bonorū, honestum, vtile, suaue. Hæc si non sint coniuncta, honestum anteferendū est. Cæterùm de speciebus & exemplis prudentiæ infrà capite 8. dicetur.

[b] Semper nobis notiores ſunt prædìti aliquo habitu, quàm ipſe habitus, vt Salomon ſapiens eſt notior, quàm ipſa ſapientia. Euſtratius.

Huius rei ſignum atque indicium eſt, quòd prudentiæ laudem ijs dare atque tribuere ſolemus, qui honeſtum finem bene proſpiciunt, quem ars omnino ignorat. Quocirca in recta conſultatione prudētia locum ſuum obtinet. Nemo autem deliberat de rebus, quæ nō poſſunt ſe aliter habere, aut quæ non ſunt in noſtra poteſtate poſitæ, ſed longè facultates ac vires noſtras ſuperant.

Cæterùm prudentia differt non ſolùm à ſcientia, ſed etiam ab arte. A ſcientia quidem, quia omnis ſcientia demonſtratione conſtat ac certitudine, verſaturque in neceſſarijs, quæ aliter ſe habere nullo modo poſſunt. At conſultationes ipſæ in rebus verſantur dubijs, quarum propter euenta varia inopinata, incerta, vix tenor eſt perpetuus. Ab arte verò, quia faciendi finis extrà eſt conſtitutus, vt textoris finis eſt tela, & ſtatuarij ſtatua, cùm agendi finis ipſamet ſit actio, quæ vbi fuerit honeſta ac laude digna, ipſa quidem virtus erit, ac ſibijpſi finis. Relinquitur ergo prudentiam eſſe habitum, qui vera cum ratione in ijs verſatur agendis, quæ ſunt aut bona homini aut mala. Talis prudentia in Themi-

Themiſtocle, Pericle & ſimilibus fuit, qui ea, quæ & ſibi & alijs vtilia eſſent perſpexerunt, atque in ijs verſati ſunt, quæ homini aut bona eſſent aut mala. Statuimus itaque prudentes propriè appellandos, qui vtilibus tantùm bonis comparandis, conſeruandisque cũ honeſtate ac dignitate occupati ſunt, ijſq; in actionibus exercentur ac rebus, quæ ad vitam ciuilem, cenſumq; domeſticũ tuendum ac locupletandũ pertineant, quiq; ſequantur bona tantùm illa, quæ domeſtica ſunt ac ciuilia. Hinc etiã fit, vt temperantiã prudentibus velut comitē ac cuſtodem adiungamus, cùm ſit prudentiæ conſeruatrix, & honeſtarum opinionũ de moribus quaſi quoddã domicilium. Etſi enim intemperantia non delet ex mente notitiam rerũ contemplabiliũ, vt verbi cauſa, quod Trigonũ [c] habeat tres angulos duobus rectis æquales: tamen intemperans nō iudicat honeſtũ meliꝰ eſſe quàm ſuaue, aut certè voluptatũ laqueis irretitus non ſatis firmiter ſententiam diſcernentē honeſta & turpia amplectitur. Quamobrem neceſſe eſt prudentiam eſſe animi habitum, qui vera cum ratione in ijs verſetur agendis, quæ ducantur eſſe homini bona.

[c] Per 32. propoſitionē primi Euclidis, quę eſt gubernatrix totiꝰ doctrinæ de triangulis planis. Reſpōdet aũt rectus angulꝰ ad centrũ quadranti, ſicut rectus ad circũferentiã ſemicirculo.

Porrò

Porrò in arte ſponte qui delinquit eſt ipſe quidem potior, in vſu verò prudentiæ longè ſecus, quemadmodum & in virtutibus. Artifex enim ipſe hac in parte laudari plærunque ſolet aut certè excuſari. Qui verò volens labitur, ac ſponte errat in actionibus, venia nullo pacto dignus exiſtimatur. Quocirca nullo modo ars habenda eſt prudentia, ſed virtus quædam potius, eáque dux ac magiſtra, non ita tamen vt vna ſit moralibus è virtutibus, cùm actio ipſa honeſta virtus quidem ſit, prudentia verò non ſit ipſa actio, ſed actiones ipſas dirigat, itineriſq; totius viam monſtret, nec ſit ipſa finis, ſed dux ad finem progrediendi, regendiq; curſus totius magiſtra.

CAPVT VI.

Argumentum.

ARISTOTELES *in hoc capite per diuiſionem quærit quid ſit* νοῦς *ſeu intellectus. In mente ſunt ſcientia, ars, prudentia, ſapientia, intellectus. Deinde de ſingulis membris diſſerit, donec remotis cæteris conſtituit, intellectum eſſe notitiam principiorum.*

TEXTVS.

CVM ſcientia in ijs verſetur, quæ vniuerſalia nunc dicuntur, quæque maximè

certa

certa & neceſſaria ſunt, & principia ſint fontes demonſtrationis ac ſcientiæ, nemo arbitretur notitiam principiorum eſſe, vel ſcientiam, vel artem, vel prudentiam. Quod enim ſcitur, id demonſtratione comparatum eſt. Ars verò & prudentia exercent ſuas vires in rebus maximè dubijs ac variantibus, in quibus caſus fortunaque plurimum autoritatis habent, quibus à rebus prorſus aliena eſt ſapientia, cuius proprium eſt habere in promptu multarum rerum demonſtrationes. Cùm igitur nec prudentia, nec ſapientia, nec ſcientia ius ſuum exerceant in cognitione principiorum, perſpicuum eſſe debet, mentem atque intelligentiam in principijs verſari, quæ luce nobiſcum nata agnoſcimus, & firmo aſſenſu amplectimur, naturali iudicio, ſine confirmatione.

ὑπομνήματα.

PRINCIPIA ſunt notitiæ nobiſcum naſcentes, quas Deus velut radios ſuæ lucis & ſapientiæ in nos ſparſit, vt ſint teſtimonia de Deo, & diſcernant nos à beſtijs, & regant vitam, & gignant honeſtas artes, quarum vſus in vita neceſſarius eſt. Sunt autẽ alia ſpeculabilia, alia practica. Speculabilia ſunt propoſitiones natura notæ, quæ non immediatè gubernant

bernant

bernant actiones morales, sed alias artes gignunt, vt notitiæ numerorum, figurarum, & multæ Dialecticæ & Physicę, vt Quodlibet est aut non est. Impossibile est causam esse deteriorem effectu. Principia practica sunt leges naturæ congruentes cum æterna & immota norma mentis diuinæ, insitæ nobis diuinitus, vt sint testimonia quòd sit Deus, & qualis sit, & regant nos, vt congruat obedientia nostra cum voluntate Dei. Harum legum summa recitatur in Decalogo.

CAPVT VII.

Argumentum.

SICVT *gratitudo est partim veritas, partim iustitia, ita sapientia cùm sit notitia principiorum & conclusionum componitur ex intellectu & scientia. Differt autem à prudentia, quia sapientia considerat vniuersalia, perpetua & immota. At prudentia versatur circa singularia, caduca & mobilia. Deinde sapientes magis gaudent cognitione optimarum rerum, quàm commodis huius vitæ, vt Democritus dixit, se pluris facere vnius causæ in natura inuentionem, quàm totum regnum Persicum. At prudentes rei familiaris studiosi sunt, & sapientem oderunt, qui sibi non sapit.*

TEXTVS.

Sapientes [a] verò appellare solemus excellentissimos quosque suo in genere artifices, vt Phidiam [b] & Polycletum.

[a] Sapientia est notitia vera illustris aut mediocris agnoscens res, quas Deus vult aspici & considerari, vt Deut. 4. dicitur, Hæc est sapientia vestra audire præcepta Dei. Est & Physica doctrina particula sapientiæ quæ considerat naturas elementorum & mixtorum corporum. Sic Astronomia est quædam sapientia patefaciens ordinē & motus corporum cœlestium. Sed omnis sapientia humana in hac vita exigua est, vt verissimè Socrates dixit, Homines aut nihil aut pauca sciunt. Appetamus igitur æternam Academiam, in qua Deus erit omnia in omnibus, & suam nobis sapientiam & iustitiam communicabit, & causas omnium operum & consiliorum patefaciet. Nunc vt pueri elementa doctrinæ à Deo traditæ & Philosophiæ initia discamus, & Deo gratias agamus, quòd res maximè necessarias aliquo modo nobis notas esse voluit.

[b] Plinius lib. 34. cap. 8. Ante omnes artifices nobilitatus est Phidias Atheniensis, Ioue Olympio facto ex ebore quidem, sed & ex ære signa fecit. Floruit autem Olympiade 83. circiter, 300. vrbis nostræ anno, quo tempore æmuli eius fuere Polycletus & quidam alii.

Ex quo intelligi potest, sapientiam esse quandam artis præstantiam, de qua multi ne minimam quidem partem sibi decerpunt, vt Homerus de Margite suo dixit, eum nec aratorem

torem nec fossorem à Dijs factum esse. Statuimus itaque sapientiam esse accuratam cognitionem scientiarum, cùm necesse sit sapientem non modò conclusiones ex principijs extructas, sed etiam ipsa principia exploratè percepta & cognita habere. Proinde sapientia vtrunque habitum complectitur, videlicet notitiam principiorum & scientiam eorum, quæ natura ipsa sunt præstantissima, atque vt maximi precij, sic maximè quoque suspicienda. Ac nisi homo cunctis rebus antecellat, nequaquam prudentia seu ciuilis scientia in summo dignitatis gradu locanda est. Quemadmodum autem album & rectum eadem sunt omnibus, sanum verò & bonum quodam discrimine tribuuntur hominibus & piscibus: ita sapientia vna & simplex est, cùm prudentia sit multiplex. Nam prudentiæ munus est singularia quærere, versarique in particularibus. Ideo prudentiæ nomen beluis [c] etiam quibusdam, quòd vitæ suæ perspectissimè consulant, accommodari solet.

[c] Deus sparsit simulachra virtutum & vitiorũ in animantibus, vt essent velut picturæ, quæ nos ad virtutem inuitarent, & dehortarentur à vitiis, vt in formicis prudentiæ simile est, quòd conuehunt & comparcunt, item quòd cauernulas faciunt, quòd grana pluuiis madefacta proferunt, vt siccata non putrescant.

Neq;

Neq; verò prudentes eoſdem eſſe volumus, quos & ſapientes. Si enim ſtatuimus ſapientes propriè appellandos, qui ea ſolùm curant, illiſque duntaxat ſunt intenti, quæ ad vtilitatem ſpectent, multiplex erit ſapientia. Vt enim non vna medendi ratio ſingulis accommodata eſt: ſic varietas bonorum diuerſas ſpecies ſapientiæ deſiderat. Etſi autem homo cunctis animantibus antecellit: tamen alia quædam natura longè præſtantior eſt, quæ hunc mundum & omnes mundi partes conſtituit. Quocirca ſapientiam eſſe ſtatuimus non modò ſcientiam, ſed & intelligentiam rerum maximarum ac præſtantiſsimarum, vt Thales [*d*] Anaxagoras, [*e*] & ſimiles ſapientes quidem & habentur & nominantur, minimè verò prudẽtes. Quanquam enim occupati ſunt ijs, quæ ſcitu digna ſunt, ac plena tum admirationis tũ diuinitatis, tamen parum omnino curant, quæ ad vitã ciuilẽ cenſumque domeſticũ tuẽdum ac locupletandum perti-

[d] Thales vixit Mileti, quæ vrbs fuit maritima Cariæ, colonia Ionum. Hic primus intulit ſtudia de motibus cœleſtibus in Græciã, & oſtendit certum Solis curſum, æquinoctiorũ articulos & interualla. Idem cœleſtibus cauſis monitus patriæ ſuaſit, ne cum Cræſo cõtra Cyrũ arma ſumeret, quo conſilio patriam, quę alioqui peritura fuerat, ſeruauit. Tanta autem huius viri mo-

nent.

nent. Prudentes verò tantùm humana quæ runt, & bene, diligenter, vtiliter, perſpectè, ſibiq; rebuſq; ſuis, & ex toto, & ſingulis è partibus vbique conſulunt.

deſtia fuit, vt dixerit, ſolum Deum eſſe ſapientem, ideoq; conſecrarit Delphico Apollini aureum tripodē á piſcatoribus Mileſiis inuentum.

[e] Anaxagoras præceptor Periclis dixit totum hoc mundi & naturæ opificium ab æterna mente architectatrice ſic diſtributum & conditum eſſe. Hunc ſuæ ætatis homines mentem appellarunt, ſiue quòd eius ſagacitatem in contemplanda cognoſcendaq; rerum natura excellentem & ſingularem admirarentur, ſiue quòd rerum principia non in fortuna ac neceſsitate, ſed in mente diuina locaſſet.

Ad hæc prudentia in ijs ipſis verſatur, quorum finis aliquis ex humanis ac ciuilibus bonis agendo comparandis expetitur. Poſtremò vt ſapientia maximè gaudet communi ea cognitione, quæ vniuerſim colligit res ac comprehendit: ſic prudentiæ induſtria lætatur potiſsimùm particularibus, in ijſdemque eniteſcit. Actiones enim plæræq; omnes rerum ſunt ſingularium. Itaq; ſæpenumero vſuuenit, vt plebeius quiſpiam, atq; ex ijs quos idiotas vocant, prudentius ſeſe, magiſq; pro recta ratione gerat, quàm ſolertiſsimus ille rerum cognitor. Quemadmodum enim medicus vniuerſalia & particularia in promtu habet, vt quòd

quòd leues carnes ſint facillimæ coctionis, & quòd auium carnes propter leuitatem facilè concoqui poſsint: ita prudentiæ munus eſt non tantùm vniuerſalia, ſed multò magis ſingularia quærere, cùm totius vitæ ſit gubernatrix, conſiliaria, magiſtra.

CAPVT VIII.

Argumentum.

RECENSENTVR *in hoc capite ſpecies prudentiæ, & diſcernitur prudentia à ſapientia, ſcientia & intellectu. Omnis enim prudentia aut eſt œconomica, aut legalis, aut politica. Legalis aut eſt Senatoria, aut Forenſis. Politica aut eſt togata, aut militaris. Hæ ſpecies paulò pòſt propoſitis exemplis fient illuſtriores.*

TEXTVS.

QVæ igitur prudentia ſit, quodque eius officium, qui item prudentes & quales, quæque etiam recta ratio, explicatum eſt. Reſtat autem quærendum, vnáne tantùm ac ſimplex prudentia ſit, an plures fortaſſe eius ſpecies. Cùm autem res ipſæ, in quibus prudentia ſeſe exercet, aliæ ſint publicæ, aliæ priuatæ, vtilitates ipſæ commodaq; quorum

curam gerit prudentia, hanc eandem sequentur diuisionem.

Itaque prudentes dicemus alios, quòd rem quidem suam vtiliter ac prudenter tueantur, compendijsque suis bene consulant, & hæc quidem prudentiæ species, à domus cura domestica nominabitur, reique familiaris à studio.

Alios verò quòd Rempublicam ciuiliaque procurent negocia, summa etiam cum industria, communisque boni curam habeant, ciuilis prudentiæ titulo exornabimus, quæ cura, quòd ciuitatis vniuersæ commoditatibus ac bonis intenta est, ciuilis non immeritò vocabitur. Verùm multi in vtroq; prudentiæ genere claruerunt, vt & optimè ijdem senatores, & patres familiarum sint habiti, à prudentia videlicet rerum publicè priuatimq; administrandarum.

Cùm autem inuenti sint, qui vitam suam, cogitationesque suas omnes in instituendis ciuitatibus, populisque gubernandis & contulerint & consumserint, summa cum patriæ caritate, ciuiumque vniuersorum, quales Solon, Lycurgus, hique à statuendis legibus legum sint latores appellati, alij etiam qui legum ipsarum, iuriumq; municipalium maximè fuerint studiosi, summamq; eorum cognitionem ac peritiam habuerint, vnde tum iuris

iuris periti tum prudentes sunt dicti, hinc efficitur, vt tertium quoddam prudentiæ genus adiungendum sit, eaque prudentia legalis vocanda.

Erit igitur triplex omnino prudentiæ genus. In eorum autem quoque qui claruerunt genere, idem erit omnium officium, vt boni sint viri, vt honesta sequantur ac iusta, vt recta ratione duce & priuatas & publicas res administrent, ac publicè priuatimque vtiliter ac bene consulant.

Cæterùm politici videntur multa agere, multa opera moliri, multis denique occupationibus implicati esse. Ideo Euripides dixit, Non video qua ratione prudens appellari possim, cùm mihi liceat remoto [*a*] ab alienis negocijs & tanquam vni ex multis æquam partem obtinere.

[a] *Non curiosè viuere est ingens bonum,*
Si modò nec inter curiosos viuere
Cogaris, & inter factiosos complices.
Sed quando viuis inter beluas malas
Et simias, oportet fieri simiam,
Heu vita quantis miseriis obnoxia est?
ἀπραγμόνως ζῆν ἡδὺ, μακάριος βίος
καὶ σεμνὸς, ἐὰν ᾖ μεθ' ἑταίρων ἀπραγμόνων,
ἐν θηρίοις καὶ πιθήκοις ὄντα δεῖ
εἶναι πίθηκον, ὦ ταλαιπόρου βίου;

Odi enim inquietos & nimis multa mouē-

tes. Quærunt enim sua commoda, ac putant se his deditos esse oportere. Hinc opinio extitit tales prudentia antecellere. Sed nemo rectè consulit suis rebus sine œconomia & sine politia. [*b*]

[b] Sophocles Antigone:
Sed nauis hæc quæ seruet omnes vnica
Sit ciuitas, qua cum vehemur integra
In ipsa amicos quærere florenti licet.
Et Solon in Elegia citata à Demosthene:
Sic partem fert quisque suam, cùm publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum:
Non latebræ quenquã fugientẽ abscondere possunt,
In thalamos penetrant publica damna tuos.

Qua autem via propria negocia administranda sint, obscurum est, & accuratam considerationem requirit. Ac signum quidem nostræ asseuerationis illud est, quòd adolescentes euadunt Geometræ ac Mathematici, & laudem sapientiæ in his studijs consequuntur, prudentes verò ante maturitatem ætatis non fiunt. Nam prudentia floret & dominatur in singularibus, quorum notitia sine experientia obscurior est. Iuuentus autem imperita est, quia seris venit vsus ab annis.

Quæri etiam potest, cur puer Mathematicus quidem fiat, nequaquam verò sapiens aut Physicus. Sed causa in promtu est, quia Mathematicus considerat abstracta, Physicus verò nititur testimonio experientiæ. Ac pueri qui-

quidem recitant illa, sed sine assensione, hæc autem facilè intelligunt.

Præterea errata consiliorum accidunt vel in vniuersalibus, vel in singularibus, vt quòd omnes aquæ ponderosæ sint malæ, & quòd hæc sit ponderosa.

Porrò ingens discrimen esse inter prudentiam & scientiam inde manifestum est, quia prudentia versatur circa vltimum, videlicet circa rem, quam vitæ vsus postulat. Differt etiam ab intellectu, quia intellectus est principiorum & definitionum notitia. Prudentia verò ad vltimum directa est, non quadam scientia, sed sensu, qui non accipiatur de facultate, qua propria obiecta percipiuntur, sed de iudicio, quo intelligimus, in Mathematicis Trigonum esse vltimum, cùm in eo natura resistat. Sed hic magis sensus est quam prudentia, ille species alia.

ὑπομνήματα.

TRES sunt species prudentiæ, œconomica, legalis & politica, & hæc quidem aut togata aut militaris. Togata rursus diuiditur in Senatoriam & forensem. OEconomicæ prudentiæ exemplum recitat Cornelius Nepos in vita Pomponij Attici: Neque verò minus, inquit, ille vir bonus paterfamiliâs est ha

bitus, quàm ciuis. Nam cùm esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. De legali prudentia meminerint studiosi insigne dictum Solonis, Lex sit honesta, possibilis & probabilis. Honesta, id est, non pugnans cum iure naturæ, vt Lacedęmoniorum permissio, quæ concedebat pacisci de alterius vxore cum marito, nequaquam fuit lex, sed horribilis furor, & legis diuinæ euersio. Deinde sit possibilis, quia in societate politica nemo obligatur ad impossibilia. Postremò sit probabilis, id est, congruat præsenti Reipublicæ. Aliæ enim leges alijs Rebuspublicis congruunt, vt lex Moysi de anno Iubileo conueniebat illi paruæ politiæ. Voluit enim Deus conseruari familias, & discrimina familiarum, vt sciri posset, in qua tribu Messias nasciturus esset. Voluit etiam auaris & prodigis frenos inijcere. Auari minus emebant, quia reddere fundos cogebantur. Prodigi difficilius inueniebant emtores. Sed hæc ordinatio Mosaica ad cætera imperia nequaquam transferenda est. Senatoria prudentia versatur circa ius publicum, quod continet præcipua vincula societatis, vt in Romano imperio est Bulla aurea. Forensis versatur circa ius priuatum de distinctione dominiorũ, de hæreditatum distributione, de contractibus, de ordine iudiciorũ, de pœnis scelerum. Militaris prudentiæ exem-

exemplum eſt Philopæmen dux Achæorum, de quo Liuius lib. 5. Dec. 4. Erat, inquit, Philopęmen præcipuæ in ducendo agmine locíſque capiendis ſolertiæ atq; vſus, nec belli tantùm temporibus, ſed etiam in pace ad id maximè animũ exercuerat. Vbi iter quopiam fafaceret, & ad difficilem tranſitu ſaltum veniſſet, contemplatus ab omni parte loci naturã, cùm ſolus iret, ſecũ ipſe agitabat animo, cùm comites haberet, ab ijs quærebat, ſi hoſtis eo loco apparuiſſet, quid ſi à fronte, quid ſi ab latere hoc aut illo, quid ſi à tergo adoriretur, capiendum conſilij foret? Poſſe inſtructos recta acie, poſſe inconditum agmen & tantummodò aptum viæ, occurrere, quem locum ipſe capturus eſſet, cogitando aut quęrendo exequebatur, aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimũ enim intereſſe) vſurus: quò impedimenta, quò ſarcinas, quò turbã inermem reijceret, quanto ea, aut quali præſidio cuſtodiret, & vtrùm pergere qua cœpiſſet ire via, an eam qua veniſſet, repetere melius eſſet, caſtris quoq; quẽ locũ caperet, quantũ munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumq; copia eſſet, qua poſtero die caſtra mouenti tutum maximè iter, quę forma agminis foret. His curis cogitationibuſq; ita ab ineunte ætate animũ agitauerat, vt nulla ei noua in tali re cogitatio eſſet.

CAPVT IX.

Argumentum.

DISCERNIT *in hoc capite bonum consilium à scientia, coniectura & opinione, ac initiò quidem quærit genus boni consilij, quod est rectitudo. Deinde inuestigat differentias addendas generi.*

TEXTVS.

QVærat fortasse hoc in loco aliquis, ipsumne bene consulere an sit scire, bonumque consilium sit scientia, an fortasse bona sit siue coniectura, siue opinio. Ac primùm quidem bonum consilium minimè esse scientiam illud docet, quòd nemo de ijs aut cogitationem suscipit, aut consultat, quorum ipse scientiam habeat. Est enim consultantis quærere, discutere, ratiocinari, quando cõsultatio ipsa quæstio quædam est ac perscrutatio, mentisq; in rebus dubijs agitatio. De certis enim ac cognitis nulla vlterior aut perscrutatio est, aut dubitatio. Quid igitur inter consilium discriminis sit ac scientiam, ex ijs quæ dixi perspicuum est.

Quod verò ad coniecturam attinet, sic existimandum est, consilium quidem ipsum ratione niti, eiusq; inhærere vestigijs, plurimùmque sibi temporis assumere ad cogitandum, quæren-

quærendum, examinandum, illudque potissimum eius esse studium, quò permaturescat & tanquam concoquatur, cùm coniectura ipsa, vísque coniecturalis immatura sit ac repentina, quodamque quasi oblata impetu. Etsi autem bene coniectura vti solertis est ingenij, eaque ipsa vis solertia quædam est: tamen bene consulere prudentis, bonorumque consiliorum directio atq; vsus prudentia dicitur, non autem solertia.

Differt etiam à scientia opinio, ac ne parum quidem, quòd scientia certitudo quædam est, cùm sit opinio persuasio quædam potius atque assensio. Itaque qui opinatur, vix ipse quærit vlterius, aut amplius dubitat, quando ita illud esse sibi persuasum habet.

Aliud quoque esse opinionem à consilio illud docet, quòd qui consultat, bonum quò capiat consilium, & agitat secum plurima, & ratione in quærendo vtitur ac ratiocinando, & cùm vehementer dubitet, nihil tamen sibi persuadet certi, sed plurimum in sciscitando consumit temporis, ne ab opinione, coniecturísve capiatur, & ignorare sese prorsus intelligit. Itaq; opinio ad ea magis pertinet, quæ scire ipsi arbitramur, & quorum tenere vim nobis persuademus. Consilium verò omnino ad consultationem referendum, qui cogitando quærendoq; id maximè agunt, qua

potiſsimùm ratione [a] & via ad eum finem perueniant, quē ſibi conſequendum propoſuerunt, réſq; vt ſuas vtiliter perſpectéque adminiſtrent.

[a] Ex hoc loco ſumant ſtudioſi regulā, quæ eſt gubernatrix totius vitę: Sic curras, vt metam proſpicias, & media eligas ad eam metam rectè ducētia. Hæc regula fit illuſtrior conſideratis exemplis. Scipio in ſuo curſu hunc finem intuetur, vt patria ſit beata, & eligit media, labores militiæ & legitima imperia, non appetit potentiam contra leges, aut vlla extraordinaria commoda. Imò ne turbet patriam, cedit turbulentis ciuibus, & iniurias accipit. Habet eundem finem propoſitum Pericles, vt beata ſit patria, & antecellat reliquas Græciæ. Sed media non rectè eligit, & peccat iniuſta pertinacia, cùm duriora edicta proponit aduerſus Megarenſes, & irritat Lacedæmonios. Alcibiades, Brutus & alij de fine & de medijs errant, ſe volunt ſummos eſſe, non beatam patriam, & multis iniuſtis conſilijs ipſi ſibi exitium accerſunt.

Iam conſideremus exempla in Eccleſia. Ieremiæ, Baptiſtæ, Paulo meta propoſita eſt, vt doctrina purè propagetur, & Deo colligatur æterna Eccleſia, in qua & ipſi ſalui fiant. Ad hunc finē eligunt media, ſuſtinent labores docendi, inuitant bonis exemplis auditores, confirmant dociles, tolerant rudiores, frenant omnes cupiditates, ne aut doctrinā deforment, aut turbent Eccleſiā, aut Deum offendant. Econtra alij, etſi finē propoſitum habent, vt doctrina Euangelij purè propagetur, tamen de medijs ſæpe errant, quia omittunt explicationem neceſſariæ doctrinæ, &

interea

interea de non necessarijs & incertis dimicant, ac sæpe indulgent suis cupiditatibus, iracundiæ, ambitioni, auaritiæ, & alienant auditores, & offendunt Deum. Etsi igitur studium habent rectè faciendi: tamen ad metam non perueniunt. Plus peccant, qui nec finem iustũ intuentur, nec media rectè quærunt, vt Monetarius, Rex Anabaptisticus, Pontifices, qui nõ hoc quærunt, vt doctrina rectè propagetur, aut vt Ecclesia beata sit, sed vt ipsi potentiam & opes parent, aut defendant, aut vt voluptatibus tutò fruantur, & ad multa impia consilia decurrunt. Non igitur cæco impetu curramus sine cogitatione finis, non sine prudentia eligente media salutaria, non inconsulto studio, vt currere his annis multos vidimus non malos homines, sed media non rectè eligentes.

Cùm autem prudentia virtus sit, & præcipua quidem virtus, bonum ea vt sit, ac præclarum etiam bonum prorsus necesse est. Nam & prædones & sicarij rectè quidem consulere, atque è re ipsa flagitijs patrandis consueuere, bene autem consulere nullo modo, sunt enim flagitiosi ac maximè improbi. Nam etsi quod bene, idem rectè, non vbique tamen quod rectè, idem quoque & bene. Itaque peruersis in hominibus, deprauatísque ingenijs ad patrandum flagitium, rectum inesse atq; accommodatum potest consilium. Ideo autem rectum, quod facinus ipsum ad exitum, quem sibi in animum induxerant, recta perducant via, bonum autem quo modo, cùm

finis

finis ipſe ſit maximè turpis, ac ſummum in modum deteſtabilis.

Tria igitur præcipuè conſilium ipſum probant, quod rectum, quod bonum, quod honeſtum. Rectitudinem ratio ipſa ſuppeditat. Nihil enim rectum, niſi ratio illud dirigat, bonitatem virtus. Quæcunque enim ſecundum virtutem ſunt & ipſa quoque bona ſunt, quippe quæ virtutis naturam ſequantur. Honeſtas verò inde manat, quòd vbicunq; ratio habet ac virtus locum, illic etiam & honeſtas. Igitur vt quod examinatè delecteque ſuſceptum eſt negocium, ad finem vſque ſumma etiam cum prudentia dirigatur, hoc ipſum & bonum præſtat conſilium, & omnino efficit.

ὑπομνήματα.

DE IMPEDIMENTIS BONORVM CONSILIORVM.

THVCYDIDES lib. 3. Exiſtimo has duas res maximè contrarias eſſe conſilio, feſtinationem & iram, quorum alterum eſt ſine cogitatione, alterum habet errantes impetus & breuem cogitationem. Cæſar apud Salluſtium in hiſtoria de Coniuratione Catilinæ: Omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant,

ſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt. Liuius lib. 2. Dec. 3. Omnia non properanti clara certaque erunt. Feſtinatio improuida eſt & cæca. Idem lib. 1. Dec. 4. Damocritus prætor Ætolorum dixit, rem magni diſcriminis conſilijs nullam eſſe tam inimicam, quàm celeritatem. Celerem enim pœnitentiam, ſed eandem ſeram atq; inutilem ſequi, cùm præcipitata raptim conſilia neque reuocari, neque in integrum reſtitui poſsint.

DE VITANDA ἰδιοβουλία.

Liuius lib. 4. Dec. 5. Eum qui de ſua vnius ſententia omnia gerit, ſuperbum iudico magis quàm ſapientem.

Marcus Antoninus Imperator, cùm accuſaretur, quòd amicorum conſilijs nimio plus tribueret, Quantò, inquit, æquius eſt, vt ego tot amicorum ac virorum talium ſecutus cõſilia in eorum conquieſcam ſententijs, quàm vt ipſi ad meam vnius ſe comparent voluntatem.

DE FIDELITATE IN DANDO CONSILIO.

Liuius lib. 7. Dec. 4. C. Liuius dixit, neminem fidelius dare poſſe cõſilium quàm eum, qui

qui id alteri ſuaderet, quod ipſe ſi in eodem loco eſſet, facturus fuerit.

DE CALLIDIS ET AVDACIBVS CONSILIIS.

Conſilia callida & audacia prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia ſunt. Liuius lib. 5. Dec. 4.

CAPVT X.

Argumentum.

HOC *caput monſtrat diſcrimen prudentiæ & ſagacitatis. Vt enim prudentia eſt inuentrix optimorum conſiliorum, ita ſagacitas eſt iudicatrix. Neceſſe eſt autem nos aut inuenire ipſos conſilia, aut aliorum inuentis tanquam dictatis vti. Sic Themiſtocles ſuadens, vt ciues relicta vrbe naues ingrediantur, valet prudentia. Cæteri intelligentes hoc conſilium approbant.*

TEXTVS.

SAgacitas [*a*] differt à prudentia, quòd prudentia vitæ quidē inſtitutionem habet, eſtq; munus eius docere, præcipere, dirigere, & quid ſeu ſequendum ſit, ſeu contrà fugiendum, oſtendere,

[a] Σύνεσις poteſt etiam nominari docilitas, cùm ſit ſtudioſa diſcendi experiendiq; vtilia ac bona.

perinde

perinde ac vel vtile quippiam duxerit, vel inutile, cùm ſagacitas promtitudine tantùm contenta ſit ſua, & ad ferendum iudicium, & ad præſentiendum. Commune tamen hoc inter ſe habent, quòd vtraque in ijs verſatur, quæ in conſultationem cadunt, indigentque conſilio. Ac nihilominus ſagaces & habentur & dicuntur prudentes, perinde vt qui rerum cognitioni ac ſcientiæ dant operam, quòd facilè à præceptoribus diſcant, & ſapere dicuntur & ſcire, dum bene diſcunt, dum quæ à præceptoribus inſtitutoribúſque tradita habent, atque ex illorum hauſta fontibus, rectè illis vti videntur, probeq; ea reddere.

CAPVT XI.

Argumentum.

SICVT *differunt ſummum ius & æquitas: ita differunt ſagacitas & ſententia. Verſantur enim inter eadem extrema, & tamē gradibus diſcernuntur. Nam ſagacitas iudicat ſeuerius, ſententia verò lenior & mitior eſt in iudicando. Cleon apud Thucydidem lib.3. ſeueriſsimum decretum propoſuit, vt vrbs Mitylene, quæ defecerat, ciuibus omnibus interfectis, funditus deleretur. Diodorus verò æquiorē dixit ſententiam, ne pœna vagaretur per omnes, ſed vt pauci autores defectionis plecterentur, ciuitas ſeruaretur. Hæc ſententia pro-*

tia probabilem rationem habuit, quia causæ ducum à populi errore discernendæ sunt.

TEXTVS.

QVanquam autem quæ ſententia eſt verti poteſt in conſilium, quodque eſt conſilium in ſententiam: tamen ſententia ipſa ad iudicium omnino ſpectat, vimque decernendi atq; autoritatem, conſilium verò dirigendas ad actiones duntaxat, negociaque moderanda. Illud etiam conſiderandum eſt, intelligentiam primorum eſſe vltimorumque terminorum, nequaquam verò rationem. Vt enim intelligentiæ munus eſt, explorare initiò & inuenire, vltimò iudicare, ac ſententiam ſuam ferre: ita rectæ rationis & prudentiæ, ratiocinari, dirigere actiones ſuſceptas, eâſq; moderari, proprium eſt officium.

Quòd ſi qua decet circumſpectione, quæ nobis à natura inſunt intuebimur, nimirum inueniemus in natura quidem ipſa, fundamenta actionum noſtrarum eſſe poſita, cæterùm laudem earum omnem in vſu conſiſtere, & qui plurima expertus fuerit, plurimam eum laudem prudentiæ ferre. Namque vt à natura ſapiens eſt nemo, tametſi & ſagaces & ſolertes exiſtunt quamplurimi: ſic nullus etiam natura ab ipſa prudens, quando is habitus

habitus exercitatione comparatur, rerumque humanarum vsu. Quo fit vt prudentiæ laus omnis in senibus consistat quàm maximè exercitatis. Quæ res iudicat intelligentiam cum ætate simul proficere, hoc est, diuturnitate & vsu. Atque vt intelligentia ipsa ménsque, mentísque ipsius ratiocinatio principium est & causa actionum quarumcunque nostrarum: sic etiam finis eadem est atque comprobatio. Itaque non dubitans confirmare ausim, oculum esse prudentiæ experientiam, nec minus inhærendum esse eorum, qui in actionibus cum laude [a] cõsenuerint, probatis sententijs dictísque, quàm illorum demõstrationibus, qui procul ab actionibus vixere, ciuilibúsq; negocijs remoti à rerũ vsu.

[a] Certiora sunt iudicia senum, qui diu res easdem cogitarũt, & sursum ac deorsum, vt Plato loquitur, volutarũt, & quasi euolutas intus contemplati sunt, quàm iuuenum, qui velut hospites primùm aspicere eas foris cœperunt. Impediunt iudicium ætas, nouitas, & imperitia. Iuuentus enim per sese minus perspicax & minus intenta est, & vt audacior est, ita iudicium præcipitat. Deinde propter nouitatem suas opiniones admiratur, quarum tamen vix obscura & exigua initia didicit, & nondum earum vim in vsu considerauit. Econtra senectus contentior est, & artifex longo vsu eruditus, collatis multorum iudicijs, veritatem propius videt.

Quare ſicut vulnerati perito medico aſſentiuntur de vulneris curatione: ita iuuentus etſi deguſtauit doctrinarum initia, anteferat tamen ſenum artificum iudicia ſuis recentibus cogitationibus. Hoc præceptum priuatim & publicè vtiliſsimum eſſe, grandiores omnes magno conſenſu teſtantur.

ὑπομνήματα.

EVSTRATIVS hoc modo diſcernit φρόνησιν, εὐβουλίαν, σύνεσιν καὶ γνώμην. Prudentia, inquit, eſt gubernatrix negociorum & certaminum. εὐβουλία eſt comes & ſocia prudentiæ in rebus gerendis. σύνεσις καὶ γνώμη ſunt ſpectatrices & teſtes rerum geſtarum. Iudicant autem diſsimiliter. σύνεσις quidem maiore ſeueritate, γνώμη verò lenius, nec omnia ad calculos exiguè & exiliter vocat.

CAPVT XII.

Argumentum.

IN *poſtremo capite opponit Ariſtoteles eruditam Apologiam iudicijs imperitorum, qui ſapientiam & prudentiam verbis extenuant. Ac primùm quidem vtilitatem vtriuſq; oſtendit. Deinde docet neceſſariam eſſe copulationem prudentiæ & virtutis. Vt enim virtus honeſtum finem conſtituit, ſic prudentia dirigit media ad finem. Ad extremum inſtituit collationem, in qua ſapientiam anteponit prudentiæ.*

TEX-

TEXTVS.

QVærat autem hoc loco aliquis, quam vtilitatem hominum vitæ afferant ſapientia & prudentia, cùm ſapientia nihil omnino conſideret eorum, quæ ad bene beatéque viuendum pertinent. Non enim contemplatur viciſsitudinem generationum & corruptionum. Etſi autem prudentia verſatur circa iuſta, honeſta & bona, quæ quidem agere boni tantùm eſt viri: tamen notitia iuſtorum & honeſtorum nequaquam id præſtat, vt in agendo alijs antecellamus, cùm virtutes ſint habitus. Quemadmodum enim artis medicæ cognitio non efficit ſanos: ita diſcrimen honeſtorum & turpium non efficit viros bonos.

Sed non difficilis eſt ad explicandum hæc quæſtio. Primùm enim per ſe expetendæ ſunt ſapientia & prudentia, etiamſi ad agendum nihil conferant. Sunt enim præcipua ornamenta & decora vtriuſq; partis intelligentis. Deinde, nequaquã ſunt actionis expertes ac vacuæ, ſed beatitudinem non aliter adiuuant, quàm ſanitas bonum corporis ſtatum. Etenim vniuerſæ virtutis partes ſunt atq; membra, quibus illa deſtituta munus ſuum exequi non poteſt. Nam honeſtum officium ſine prudentia & virtute nec inchoatur, nec per-

ficitur. Vt enim virtus rectum ac legitimum finem quasi quendam ſcopum conſtituit, ſic prudentia eligit media, per quæ ad finem contenditur, ea videlicet, quæ viro bono conueniant.

Repetamus autem ſi libet paulò altius explicationem ſententiæ, in qua diximus neminem ad agendum eò magis accommodatum eſſe, quòd intelligat iuſta & honeſta. Quemadmodum igitur iuſta facientibus non ſemper iuſtitiæ laudem tribuimus, cùm fieri poſsit, vt officia legibus ſancita aut inuiti faciant, aut per ignorantiam, aut finem proſpicientes indignum viro bono, qui ciuilium ſit legum, cœtusque communis maximè ſtudioſus: ita ſæpe vſu venit, vt aliquis rectè negocia adminiſtret ſine honeſto propoſito, & ſine medijs, qualia bono viro conueniant. Nam propoſitum ad normam virtutis dirigendum eſt. Media verò per quæ ad finem contenditur, non apparantur à virtute, ſed ab alia quadam facultate, quam δεινότητα, hoc eſt, ingenij celeritatem appellant. Eſt enim δεινότης [a] innata quędam vis, quę recto ad metam nos deducit itinere, nec in dextrum aut ſiniſtrũ declinat latus. Itaq; ſi

[a] Thucydides libro primo, laudans Themiſtoclem illuſtre exemplum δεινότητος proponit: Erat Themiſtocles præcipuè

meta

meta probata atq; honesta est, meretur hominum approbationem & laudem hæc ipsa vis ingenij.

dignus admiratione præ alijs, quia acie mentis suæ præmonitus, nec diu considerans in rebus subitis optima consilia habebat, & de futuris quid euenturum esset, rectisime conijciebat, & quæ in præsentia in manibus habebat, explicare poterat, & quę non norat, non destitit inquirere. In obscuris autem rebus, quid melius aut deterius esset, omnium maximè prospiciebat, & vt in summa dicam, naturæ viribus & celerrima deliberatione id eligebat, quod maximè profuturum erat.

Sin autē meta honesto ciui parum cōgruit, calliditas potius appellanda videtur. Nam si virtutes habitus sunt, aut secundum rectam rationem, aut non absq; illa, prauitatique ac malignitati insitum est delabi à recto, atq; in obliquum suapte natura ferri ac deflectere, vir prauus ac mali studiosus virtutē assequi nullo modo potest, cuius rectus est omnino cursus, isq; recta cum ratione dirigendus. Itaq; vt quas à moribus agnominamus virtutes, eæ existere absq; naturæ beneficio ac viribus nequeunt: (Licet enim vis [*b*] illa à natura insita virtus minimè sit moralis, tamen sine ea virtus existere nequit) sic neq; virtutes absq;

[b] Galenus ex Eupoli Comico recitat dictum Aristidis, qui interrogat⁹, quomodo iustus factus esset, respondit, Plurimum valet natura, sed ego

prudentia, quæ recta quidem ratio est, non tamē vt vnaqueq; virtus recta sit ratio, sed quòd ipsæ sine rectæ rationis esse nequeant beneficio & munere.

studiosè naturam adiuui. Nā ἀρετὴ φυσικὴ est inclinatio in natura hominum à Deo condita, vt sit semen bonarum actionū, id est, congruentiū cum lege Dei. Adiuuatur autē in multis mediocribus hominibus bonitate temperamenti corporū & cordis, quia intentio mentis firmior est, & cor minus citò inceditur errantibus affectibus, vt Cyrus non peccat iracundia, sicut Alexander ebrius.

Quo fit vt virtus nulla sine prudētia sit, ipsáque prudentia absque probitate, integritate, bonitate, nullo modo esse possit, nec prudens aliquis, nisi maximè integer ac bonus. Erunt igitur & prudentissimi quiq; maximè boni, & virtutes ipsæ morales cunctæ à prudentia tanquam duce directæ, quippe quæ & lumen cæteris præferat, & viam præmonstret, qua sit proficiscendū. Secus enim quod cęcis idē continget, vt vehementissimè offendentibus pedibus è vestigio labantur & corruant. Nam & beluę inde dictę sunt ferę, quòd absq; lumine, id est, sine intelligentia ferantur & mente. Et pueri propterea prudētes esse nequeunt, quòd vsum rationis ac mentis in ea ętate, aut omnino nullum habeant, aut perquam exiguum.

Erunt igitur viri prudentes ijdem & boni, eritq;

eritq́; actionum noſtrarum directrix prudentia, & cùm morales virtutes ſint eius egentes, ipſa verò rationis dũtaxat vnius. Deniq; quãuis moralis ipſa virtus non ſit, virtutes tamen morales abſq; ea eſſe minimè poſſunt.

FINIS LIBRI SEXTI Ethicorum.

SEPTIMVS LIBER ETHICORVM.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI.

IN hoc libro Ariſtoteles de continentia & de heroica virtute præclarè philoſophatur. Vt enim heroica virtus longè ſupra communem hominum infirmitatẽ poſita eſt: ſic continentia virtuti quidem ſimilis eſt, nec tamen propriè virtus appellari poteſt. Nã in vera virtute congruunt ratio & appetitiones, vt Hippolytus ſeriò & ſine ſimulatione vitat & fugit nouercæ concubitum: Fabricius ſeriò & ſine ſimulatione reijcit aurũ à Pyrrho miſſum. In ipſa verò continentia manet diſsidium partis intelligentis & appetentis. Etſi enim externa membra vtcunq; frenat: tamen motus cordis nequaquã cum hac gubernatione cõgruunt.

Legendus eſt autem hic liber propter tres vtilitates, quarum prima eſt, quia heroica virtus eſt teſtimonium præſentiæ Dei in genere humano. Ideo dixit Cicero, nullum magnum virum ſine afflatu diuino fuiſſe. Et Plato in fine Menonis: Heroica virtus nec natura hominibus ineſt, nec doctrina comparatur, ſed diuinitus exiſtit in præſtantibus naturis.

Secunda. Hæ diſputationes de continentia & incontinentia ſunt vtiles commonefactiones de humana infirmitate. Etſi enim voluntas ſeriò poteſt honeſtas actiones erga homines velle: tamen hæ actiones ſeriæ & non ſimulatæ rariores & obſcuriores ſunt. Ideo magis iubeamus aſpici gubernationem locomotiuæ, quæ vtcunque eſt rectrix diſciplinæ in pluribus.

Tertia. Erit & hæc conſideratio grata, videre quomodo antecellat doctrina Eccleſię philoſophicis diſputationibus. Nã ſi quæras, vnde in voluntatibus hominũ tanta ſit infirmitas, fontem huius mali non monſtrat philoſophia. Sed cauſa nobis in Eccleſia nota eſt. Naſcimur adferentes morbum originis, qui eſt horribilis deſtructio & infirmitas omniũ virium. Et accedunt inſidię & tyrannis Diaboli, ſicut in Geneſi dictum eſt, Ponam inimicitias inter ſerpentem & ſemen mulieris. Confugiamus autẽ ad filium Dei, & petamus auxilium

lium contra infirmitatem noſtram & contra Diabolum, quia ſcriptum eſt, Filius Dei apparuit, vt deſtruat opera Diaboli: item, vt conculcet caput ſerpentis.

CAPVT I.

Argumentum.

Cvm mala ſint conſpectiora bonis, orditur Ariſtoteles diſputationem de continentia & de heroica virtute à deſcriptione incontinentiæ & immanitatis, vt virtutes his oppoſitæ ex antitheſi fiant illuſtriores. In fine recitat varias opiniones de continentia & incontinentia.

TEXTVS.

DEinceps dicendum eſt principio aliunde ducto, tria eſſe in moribus potiſsimùm vitanda & fugienda, vitium, incontinentiam & immanitatem. Ac duobus quidem quæ ſint oppoſita atq; contraria, perſpicuum eſt. Alterum enim virtutem, alterum continentiam appellamus. Immanitati verò rectè aliquis oppoſuerit incredibilem ac diuinam virtutem; quæ cùm ſuperet vires cõmunes humanæ naturæ Heroica [*a*] nominata eſt, ſicut Homerus fa-

[a] Cicero in oratione pro Cælio heroicũ virum his ver-

cit Priamum [*b*] de Hectore loquentē, Valde bonus est, nec videtur hominis mortalis filius esse, sed Dei.

bis luculētè describit: Ego, si quis, iudices, hoc robore animi atque hac indole virtutis ac cōtinentiæ fuit, vt respueret omnes voluptates, omnemq́; vitæ suæ cursum in labore corporis, atq; in animi contentione conficeret, quem non quies, nō remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent, nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude & cum dignitate coniunctū, hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum atq; ornatum puto.

[b] Ethnici saniores semper senserunt, mundum prouidentia regi. Viderunt enim viros heroicos subitò excitari ad instaurationem & constitutionem imperiorū, vt Herculem, Cyrum, Alexandrum, Augustum, & alios aliâs. Hos vocabant filios Dei, non quòd arbitrarentur ex natura Dei ortos esse, sed quia videbant eos à Deo iuuari ac mirabiliter regi & protegi.

Quare si ex hominibus, vt aiunt, Dij propter virtutis [*c*] præstantiam fiunt, nō obscurum est immanitati rectè opponi heroicam virtutem.

[c] Plutarchus in Aristide: Deus, cui se simillimos efficere magni viri conantur, his tribus maximè p̄stare cęteris omnibus videtur, im̄ortalitate scilicet, potestate atq; virtute, è quibus nihil virtute pulchrius, nihil honestius, nihil diuinius est.

Vt enim in beſtias non cadunt virtutes & vitia, ita nec Deo hæc tribuuntur. Eſt igitur heroica virtus quiddam præſtantius communi virtute, & immanitas longo interuallo alia vitia poſt ſe relinquit. Quoniam verò rara res eſt diuinus vir, ſicut Lacedęmonij, quoties aliquem vehementer admirantur, diuinum virum nuncupare ſolent, non dubium eſt quin etiam immanitatis exempla rara ſint, niſi fortaſſe inter barbaros multos immanes videre liceat. Fiunt autem aliqui immanes aut vi morborum ſuperati, aut propter membrorum læſionem, aut quia alios homines prauitate & malitia vincunt, quibus hanc infamiæ notam inurere ſolemus. Sed de hac affectione infrà rurſus diſſerendum erit.

Et quoniam de vitijs ſuprà ſatis diſputatum eſt, nunc dicendum videtur de incontinentia, de mollicie ac de luxu, [d] itemq; de continentia & de tolerantia. Neq; enim exiſtimandum eſt, aut omnino hos habitus [c] congruere cum virtute & vitio, aut toto genere ab eis diſtare.

[d] Pythagoras quatuor gradus fecit ciuitatum, quę ſunt perituræ. Primùm, in vrbes intrare ait τρυφὴν, id eſt, luxuriã & petulantiã in apparatu conuiuiorum, veſtitu & reliquo vitæ cultu. Deinde, κόρον ſaturitatẽ, faſtidium, ſecuri,

ſecuritatem, impudentiam, contemtum legum & diſciplinæ. Ita enim omnia complectitur hæc vox κόρος. Mox ſequitur, inquit, ὕβρις, id eſt, iniuriæ & contumeliæ, contentiones inter ciues ob res non neceſſarias ſuſceptæ, ſtudium premendi alios per ambitionem, faſtum, ſuperbiam, aut maleuolentiam, odia, ſimultates, motus inteſtini, ſeditiones. Has peſtes proximè comitatur ὄλεθρος, vt ille ait, id eſt, ſequuntur mutationes imperiorum, quæ ſecum trahunt exitium, ruinam & vaſtitatem. Hic enim ordo rerum ſolet eſſe, & hi gradus ad interitum, quos homines ſapientes obſeruarunt.

[e] In argumento huius libri dictum eſt de diſcrimine virtutis & continentiæ. Etenim in virtute eſt conſonantia mentis, voluntatis, cordis & locomotiuæ. In continentia eſt diſſonantia cordis & locomotiuæ. Etſi enim voluntas regit locomotiuam: tamen cor intus ardet cõtrarijs flammis. Conueniunt igitur quatenus vtraque eſt προαιρετή. Differunt autem harmonia & ἀναρμοσία virium in homine.

Primùm autem, ſicut in alijs diſputationibus vſitatum eſt, recitandæ ſunt opiniones atque in dubium vocandæ, vt appareat quæ opinio proximè ad veritatem accedat. Sin aliter, illud certè præſtandum eſt, vt plurimæ & præcipuæ in lucem & aſpectum proferantur. Explicatis enim difficilibus & relictis conſentaneis, ſatis nos demonſtrandi munere functos eſſe arbitrabimur.

Videntur autem continentia & tolerantia verſa-

versari circa res bonas & laudabiles, incontinentia verò & mollicies, circa prauas & vituperatione dignas. Idem quoque esse videtur continens & constanter in sententia permanens, & incontinens atque de sententia leui momento decedens. Ac incontinens quidem sciens praua agit impulsu libidinum voluptatibus obedientium. Continens verò cùm sciat cupiditates à recto aberrare, nequaquã eis obtemperat, sed rationis ductum sequitur. Temperantem quoque esse eundem qui sit continens & tolerans aliqui statuunt, alij secus, & intemperantiæ ac incontinentiæ nomina quidam confundunt, nonnulli distinguunt. Et aliâs quidem dicunt prudentem non posse fieri incontinentem, aliâs verò quosdam prudentes [f] & ingenij celeritate præstantes illecebris voluptatũ captos esse. Dicuntur etiam incontinentes respectu iræ & honoris & lucri. Et hæc quidem est opinionũ varietas.

[f] Sagacitate, hoc est, solertia & consilio vix vlli duces antecelluerunt Philippo & Alexandro. Deinde quæ decreuerant re cogitata, & occasionibus prospectis, celerrimè suscipiebant, quæ virtus in Ducibus plurimũ pollet. Erant autem & in dimicando acerrimi & inuicti. Postremò verò voluptatibus periere, alter venere, alter temulentia. Tales & postea fuerunt Demetrius & posterior Philippus. Nec rarò accidit, vt viri præstantes, cùm in rebus gerendis acerrimi fuissent,

fuiſſent, & nec periculis vllis, nec laboribus ſuc-cubuiſſent, poſtea tamen voluptatibus fracti, calamitoſos & tragicos exitus habuerunt. In Franciſco Sfortia quanta primùm virtus fuit? quãta magnitudo animi? Senex verò quaſi Circes veneris natura eius mutata eſſet, priora decora libidinibus deformauit atque obruit. Sed omitto exempla, quæ lector admonitus conſideret ipſe in communi vita.

ὑπομνήματα.

DE DISCRIMINE INTER HEROICAM VIRTVTEM & Communem.

DIFFERVNT heroica virtus & communis cauſa efficiente, materiali, formali & affectibus.

Nam heroica virtus eſt ſingulare donum Dei, quod non paratur noſtra induſtria, vt fortitudo in Alexandro diuinus impetus erat. Ideo Seneca dixit, Nulla magna virtus ſine Deo. Et Pindarus Oda 4. Pythiorum ſignificans acres ad virtutem ſtimulos diuinitus inſeri, venuſtè inquit de Argonautis: Iuno in omnibus heroibus accẽdit deſiderium nauis, ne quis apud matrem maneret coquens ætatem ſine periculo, ſed vellet inuenire virtutis pharmacum poſt mortem cum ſocijs. Virtus verò communis ſeu diſciplina aliquo modo eſt in

eſt in noſtra poteſtate, quia Deus reliquit in omnibus libertatem in ea parte, quam locomotiuam nominant.

Secundò. Diſciplina ideo appellatur virtus communis, quia omnes homines ſani vtcunque eam efficere & præſtare poſſunt. At heroica virtus non eſt omnium, ſed paucorum per quos Deus artes aut imperia reſtituit.

Tertiò. Heroici motus ſunt excellentes & fauſti impetus, qui ſuperant vires communes humanæ naturæ. Vt in Alexandro erat admiranda naturæ vis, ſapientiſsimos ſenes conſilio vincebat propter ingenij ſagacitatem, qua & dijudicare optima poterat, & proſpicere euentus. Deinde quanta celſitudo animi coniuncta cum amore iuſtitiæ & moderationis deſpiciens pericula & labores?

Quartò. Heroici viri ſunt ſimiles ſagittis contortis valida manu, quæ feriunt omnia & proſternunt quæ petunt. An non Alexander, Cæſar, vt ſagitta ingenti impetu contorta, volitãt per orbem terrarum? Omnia eis cedunt, omnia prona ſunt.

DE DISCRIMINE DAVIDIS ET ACHILLIS.

Ingens diſcrimen eſt inter virtutes in renatis & heroica dona non renatorum. Eſt in Achille, Alexandro, Iulio, fortitudo heroica,

quæ

quæ re ipsa est donum Dei, videlicet robur tale creatum in cordibus, vt minus metuant pericula quàm alij, & fortius ac felicius præliari possint.

Sed illa Achillis fortitudo non regitur luce diuina, vera agnitione & inuocatione Dei, nec directa est ad hunc finẽ, vt ipsius victoria sit testimoniũ de Deo, & prosit ad defensionem veræ Ecclesiæ, nec iudicat Achilles suam dextram regi à vero Deo, nec eum inuocat.

At in Dauide lucet notitia vocis diuinæ. Ita in eo adest Filius Dei ostendens æternum patrem, & adest Spiritus sanctus accendens in corde lætitiam in hac obedientia, & veram inuocationem & addens robur. Et directus est labor ad hunc finem, vt sit de vero Deo testimonium, & vt defendatur Ecclesia.

Hæ antitheses ostendunt discrimina & hominum & actionum, quæ considerari necesse est, ne fiat confusio Ecclesiæ & Ethnicorum.

DE IMMANITATE.

Immanitas, vt definit Pontanus, est habitus quidam hominis ab omni prorsus humanitate ac mediocritate seiunctus, qui versatur circa dolores ac voluptates è feritate prouenientes. Vt autem heroica virtus opus & donum Dei est, quod sibi nemo potest sumere,

nisi

niſi ſit ei datum deſuper iuxta Baptiſtæ dictũ: ſic immanitas non modò ferinus quidam viuendi impetus eſt, ſed etiam furor Diabolicus, vt Selimus imperator Turcicus patrẽ & fratres interfecit. Hos furores à Diabolo oriri certum eſt, quia quęlibet natura, donec naturali luce & affectu regitur, ſui conſeruationem appetit, & amat cognatum ſanguinem tanquam partem ſuæ naturæ. Sed hanc lucem & hos affectus extinguit Diabolus, vt ſcriptum eſt, tenere eum captiuas mentes impiorum. Et de Iuda dicitur, Intrauit in eum Satanas. Exempla verò ἀστοργίας & aliarum ſpecierum immanitatis extant apud Pontanum in libro de immanitate.

CAPVT II.

Argumentum.

NVLLA *res magis perturbat philoſophorum diſputationes, quàm triſtis & lugenda corruptio naturæ noſtræ, in qua diſsidiũ eſt notitiarum & appetitionum. Etſi enim notitiæ diſcernunt recta à prauis, & recta præcipiunt prohibentq́; contraria: tamen pars appetẽs ſæpe ruit contra hoc iudicium, ac fertur equis auriga, neq́; audit currus habenas. Hanc* ζυγομαχίαν *virium hominis deſcribens Paulus inquit, veritatẽ Dei teneri captiuam in iniuſtitia. Breue dictũ eſt, ſed atro-*

cißimam accusationem continet, & duas partes in homine pingit notitias veras, quæ sunt sapientia congruens cum sapientia Dei, videlicet legis notitia. Deinde verò hanc ipsam diuinam sapientiam inquit oppressam esse horribili contumacia naturæ humanæ, id est, etiamsi lucet in parte cognoscente notitia legis & quidem diuinitus insitæ, quæ affirmant quòd sit Deus, quòd sit iudicaturus, & docent qualis sit, videlicet sapiens, bonus, verax, iustus, castus, tamen in cordibus talis est auersio à Deo, vt non verè timeant, non verè diligant Deum, nō verè confidant ei, non verè inuocent, imò plærunq; manifestis furoribus hunc iudicem contemnant.

Cùm igitur philosophi huius tristißimæ confusionis causas ignorent, anxiè quærunt & disputant, Vtrùm sponte aliquis poßit esse malus, & hoc loco Aristoteles, Quomodo poßit aliquis rectè iudicans contrarijs appetitionibus & incendijs obtemperare. Has quæstiones sola Ecclesiæ doctrina explicat, quæ affirmat in lapsu primorum parentum, turbatam esse dulcißimam harmoniam mentis, voluntatis & cordis, & iam sensum carnis esse inimicitiam aduersus Deum.

TEXTVS.

EXistit autem hoc loco quæstio, Quomodo rectè iudicans posſit laxare frenos vitiosis cupiditatibus. Nam scientem negant aliqui hoc facere posse. Sic enim Socrates disserebat, scientiam [a] non cedere contrarijs

[a] Cicero pro Cælio: Atq; scitote, iudiventis,

ventis, nec permittere vt homo instar mancipij in varias partes rapiatur.

ces, eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verumetiam cogitando, possit sustinere.

Sed Socrates hoc modo disputans perinde loquitur, ac si nulla esset incontinentia. Putat enim neminem rectè iudicantem agere aliquid cõtra hoc iudicium, sed homines ignorantia labi. Hæc oratio pugnat cum manifesta experientia. Quærendum est igitur si ab ignorantia oritur hic affectus, quis sit ignorantiæ modus. Quòd enim non iudicet agenda esse quæ agit incontinens, priusquam affectu ardet, perspicuum est. Sunt autem qui hæc partim concedant, partim negent. Fatentur.n. nullam rem esse à qua sciẽtia vinci possit. Neminem verò agere cõtra bonam opinionem, negant. Proinde dicunt incontinentem, quando capitur illecebris voluptatum, non regi scientia, sed opinione. Verùm si opinio duntaxat est, non scientia, eaq; non vehementer, sed languidè voluptati resistit, tanquam in dubitante, venia danda videtur non permanenti in opinione aduersus vehementes

cupiditates. At prauitas, & omnia quæ iustam reprehensionem merentur, nequaquam venia digna sunt.

Dixerit autem fortasse quispiam, prudentiam resistere voluptatum illecebris, cùm sit res potentissima. Sed hoc quoque absurdè dicitur. Vnus enim atque idem esset prudens & incontinens, quod fieri nequit. Deinde non est prudentis consultò agere pessima. Huc accedit, quod suprà demonstratum est, prudentem esse actuosum, cùm circa vltima versetur, & omnium virtutum copulationem habere. Præterea si continens est domitor vehementium & prauarum cupiditatum, nec temperans erit continens, neque vicissim continens erit temperans. Nam quod nimium est, nihil habet commercij cum temperantia, sicut nec prauæ cupiditates. Sed hæc ita esse oportet. Si enim bonæ sunt cupiditates, prauus erit habitus impediens quò minus eas sequamur. Itaq; non omnis continentia honesta erit. Sin autem languidæ sunt nec coniunctæ cum prauitate, nihil præclari habebit. Si denique prauæ & languidæ, non erit magna laude digna.

Porrò si continentia efficit, vt omnem opinionem mordicus retineamus, praua erit. Fieri enim potest vt falsæ opinionis patrocinium suscipiamus. Quòd si incontinentia omnem

mnem opinionem ex animis eijcit, erit quædam honesta incontinentia, vt Sophoclis Neoptolemus [b] in Philoctete laude dignus est non perseuerans in opinione ab Vlysse instillata, quia mēdaciū acerrimè oderat, maximeq́; detestabatur.

[b] Apud Sophoclem Vlysses docet Achillis filiū adolescentem Neoptolemum, mendacijs circūuenire & fallere amicum, & quidē multis argumentis declarat, hoc artificium vsitatissimum esse in vitæ negocijs. Cumq́ adolescens miratur, qua fronte, quo ore mentiri quispiam ausit sciens, respondet Vlysses, nefariè is quidem, sed significans quales sint hominum mores. Vbicunque spes lucri est, pudere non decet. Vtinam verò hæc Vlyssea philosophia tantùm in priuatis & leuibus negocijs exerceretur. Sed experimur eam peruasisse in grauissimas regum deliberationes, in scholas, corrumpere artes, & quod est præcipuè deplorandum, regnare in Ecclesijs, & obruere religionem.

Cæterùm Sophistica ratiocinatio cùm sit falsa, dubitationem parit. Nam multi dum acumen ingenij in refutatione absurdorum ostentant, ita ratiocinantur, vt conclusio relinquat in animis dubitationem. Vincta enim mens est, quia nec conclusionem approbat, nec progredi potest, cùm soluere rationem nequeat. Fieri ergo potest, vt in aliquo casu imprudētia coniuncta cū incontinentia virtus sit. Etenim propter incontinentiā agit

contraria ijs quæ iudicat. Iudicat autem bona esse mala, ideoque non esse agenda. Itaque bona & non mala aget.

Quid, quòd intemperans persuasione motus, & consultò agens ac sequens iucunda antecellere videtur incontinenti? Est enim sanabilior, cùm de sententia deduci poßit. De incontinente verò vsurpari potest prouerbium, Quando aqua fauces suffocat, quorsum attinet bibere? Nam si non persuasione fascinatus ageret, ostensione contrarij permotus desisteret. Iam verò persuasus nihilominus alia agit.

Postremò, si circa omnia versantur incontinentia & continentia, quis simpliciter erit incontinens? Nemo enim habet omnes gradus incontinentiæ. Dicimus autem quosdam simpliciter tales esse. Ac huiusmodi quidem dubitationes existunt, quarum alias tollemus, alias relinquemus. Nam dubitationis solutio inuentio est.

CAPVT III.

Argumentum.

PERTEXIT *Aristoteles telam inchatam de dissidio notitiarum & appetitionum, ac docet non modò notitiam discernentem honesta & turpia obscurari,* *sed*

sed etiam assensionem impediri & languefieri ab incendijs errantium affectuum. Venustè autem comparat homines incontinentes ebrijs ac furiosis. Vt enim ebrietas impedit actiones cerebri: sic caeci ac temerè errantes impetus caliginem offundunt menti rectè iudicanti. Sed haec propositis exemplis fiunt illustriora. Phaedra apud Senecam in Hippolyto inquit:

——— Quae memoras scio
Vera esse nutrix, sed furor cogit sequi
Peiora, vadit animus in praeceps sciens,
Remeatque frustra sana consilia appetens.
Sic cùm grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit, ac regnat furor.

Et Medea apud eundem:

Vt saeua rapidi bella cùm venti gerunt,
Vtrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus feruet, haud aliter meam
Cor fluctuatur, ira pietatem fugat,
Iramque pietas, cede pietati dolor.

Agnoscamus igitur & deploremus infirmitatem nostram, quòd etiam contra iudiciũ partis cognoscentis ruunt voluntas & cor in tetra scelera. Accedit huc etiam, quòd Diaboli & corda impellunt, & mentibus inserunt furores, vt etiam caligo in parte cognoscente iudicium obruat. Sic Alexander iratus Clitum interficit, etsi scit scelus esse interficere innocentẽ, & quidem amicum & bene meritum. Rursus autem con-

gruunt notitia & cor post perpetratum scelus. Nam Alexander in summo mœrore est, postquam fecit cædem. Hinc intelligi potest postrema quæstio Aristotelis in textu, quomodo tollatur ignorantia incontinentis. Etsi enim in hac prauitate cor ante delictũ ardet suis flammis pugnantibus cum recto iudicio, nec formidat scelus: tamen post factum conscientia condemnat delictum, & cor sentit dolorem, qui tanquam carnifex punit & destruit reos. Ita rursus post factum congruunt mens & cor, quia omnis lex obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam.

TEXTVS.

PRimùm igitur considerandum est, vtrùm incontinens sciens an ignorans, aut quomodo sciens agat. Deinde qualia obiecta incontinenti & continenti assignanda sint, hoc est, vtrùm circa omnem voluptatem & dolorem, an verò circa certam speciem versentur. Denique vtrùm eadem sit ratio continentis & tolerantis, an diuersa. De his rebus & quæ sunt eiusdem generis deinceps philosophandum erit.

Initium autem disputationis ab hac quæstione sumatur, vtrùm continens & incontinens obiectis differant, an modo agendi. Deinde vtrùm circa omnia versentur incontinẽtia & continentia, an non. Non enim circa omnia

omnia verſatur ſimpliciter incontinens, ſed circa obiecta intemperantis. Neque ſimplicem reſpectum ad ea habet, alioqui enim non differret ab intemperantia, ſed cum quodam diſcrimine. Nam intemperans agit conſultò exiſtimans ſemper pręſens obiectum, quód habet aliquid ſuauitatis, perſequendum eſſe. Incontinens verò etſi non exiſtimat, tamen voluptatem perſequitur. Quid autem interſit inter ſcientiam & veram opinionem, cuius impulſu incontinens agit, ad inſtitutam diſputationem nihil pertinet. Multi enim opinione faſcinati dubitationis expertes ſunt, & ſe exquiſitam ſcientiam habere arbitrantur. Si igitur quia languidè aſſentiuntur opinantes, magis quàm ſcientia præditi contra iudicium agunt, non longè diſtabit ab opinione ſcientia. Aliqui enim firmius aſſentiuntur ſuis opinionibus, quàm alij ſcientiæ, vt oſtendit exemplum Heracliti, qui fuit autor & patronus abſurdarum opinionum.

Et quoniam [*a*] duobus modis dicitur ſcire (Nam & præditus ſcientia, nec tamen ea vtens, & vtens ſcire dicitur) ingens diſcrimen erit inter eum, qui cùm ſciẽtia inſtru-

[a] Euſtratius enarrans hunc librum diſtribuit caput tertium in quatuor Epicheremata pertinentia ad quæſtionem, Quomodo ſciat incontinens: ac monet lectorem de cognatione & diſcrimine primi &

ctus ſit, non tamen conſiderans agit quæ minimè agenda ſunt, & eum qui habet ſcientiam & contemplatur. Etſi autem hoc poſterius atrox eſt: tamen prius illud minus habet atrocitatis.

tertij. Tertium, inquit, cognatũ eſt primo. Sed illic volens nõ vtitur ſcientia, hîc nolens nõ vtitur. Hac diſtributione conſiderata textus erit & facilior & iucundior.

Deinde cùm duæ ſint ſpecies propoſitionum, nihil obſtat quò minus vtranq; habens præter ſcientiam agat, ſi modò vtatur vniuerſali, non ſingulari. Singula enim ad agendum accommodata ſunt. Eſt & vniuerſalium quædam differentia. Aliud enim in ſeipſo, aliud in re conſiſtit, vt quòd omni homini ſicca conducant, & quòd hic ſit homo, vel quòd ſiccum talem habeat naturam. Sed ſi hoc huiuſmodi eſt, aut non habet, aut non eſt efficax. Ex his igitur modis dici non poteſt, quantum interſit. Itaque ſi videatur ſic ſcire incontinens, nihil abſurdi ſequetur. Sin aliter, res admiratione digna erit.

Tertiò, Poſſunt homines etiam alio modo, quàm ſuprà dictum eſt, habere ſcientiam. Nam in habente nec vtente diuerſum eſſe habitum videmus, vt & habeat & non habeat diuerſo reſpectu, vt qui dormit, qui furijs agitatur, qui vino ſepultus eſt. Iam verò ſatis conſtat his ſimiles eſſe qui affectuum

incen-

incendijs ardēt. Nam ira [b] & appetitio [c] rei venereæ, & quæ sunt ex eodem genere manifestam mutationem corpori afferunt. Quosdam verò de sua mente & sanitate deturbant. Ex quo perspicuũ est incontinentes rectè cum his cõparari. Quòd autem proferũt sermones ex scientia depromtos, id non satis euidenter ostẽdit, eos secundum scientiam agere.

[b] Cùm ira in animum cuiusquam incidit, velut sæua tempestas, tantos excitat fluctus, vt statum mẽtis immutet, ardescãt oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultũ maculet, nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens. Lactantius libro de ira capit. 5.

[c] Seleucus, qui Alexandro mortuo Syriæ præfuit, latéque plurimis imperauit populis, ex Apamea vxore filium susceperat Antiochum. Ea mortua Stratonicen duxit. Cuius amore captus cũ esset Antiochus, tacitus, mœrensq́ hinc pudore, illinc amoris conficiebatur impotentia. Qua è re letalem contraxit morbũ, qui eò erat periculosior, quòd eiusmodi affectus medicis erat incompertus. Erasistratus igitur inter omnes, qui ęgroto astabãt & primus & solertissimus medicus, cùm adolescentis corpus sincerũ videret, nullisq́ illud malignis vexari humoribus, ægritudinis causam ad ægroti animum referre secum cœpit. Decreuit igitur assidere Antiocho, & ad salutationẽ, ingressumq́ singulorũ intra cubiculum illius notare cõmotiunculas. Permultis igitur diuersi generis eum inuisen-

inuiſentibus, cùm in illorum ſiue aditu, ſiue abitu, non oris, non venæ ſpiritalis, ſignum aliquod commotionis appareret, ſed iaceret Antiochus mœſtus, langueſcensq́; ac ſemitorpidus, nec tamen ipſe ab incepto deſiſteret, continuaq́; animaduerſione deprehendit tandem, & dum cubiculum ingrederetur, & dum languenti aſsiſteret Stratonice, intingi rubore Antiocho faciem, venamq́; ſubſilire, ac corpus ipſum vigorem reſumere, confeſtimq́; abeunte illa labaſcere, ſpiritúmque ipſum concidere. Idq́; cùm non ſemel animaduertiſſet, vt erat naturæ ſciens Eraſiſtratus, ſenſit hinc amorem morbi eſſe cauſam, illinc pudorem, ac paterni tori reuerentiam, atque infamiæ metum, hancq́; inter contentionem, affectuúmque concurſationem, tacitum illum languentemq́; tabeſcere, atque occulta cura confici, pudore, metu, amore deſperationeq́; obluctantibus. Reliquam hiſtoriam de Eraſiſtrato legant ſtudioſi apud Pontanum libro quinto de prudentia.

Nam qui talibus ardoribus æſtuant, demonſtrationes & carmina Empedoclis recitant, & qui prima elementa diſcunt, verba quidem connectunt, ſed non intellecta. Oportet enim hęc cum natura coaleſcere, quam ad rem tempore opus eſt. Quare incontinenter viuentes hiſtrionum more verba faciunt.

Poſtremò, licet etiam hac via naturali cauſam exquirere. Nam alia opinio eſt de vniuerſo genere, alia verſatur circa ſingularia, quæ

quæ & ſenſu percipiuntur. Cùm igitur vna ſit ex vtraque, neceſſe eſt vt animus concluſionem vel approbet, vel ſtatim exequatur, vt ſi omne dulce guſtandum eſt, & hoc dulce eſt tanquam ſingulare, neceſſe eſt eum qui poteſt guſtare, nec impeditur, huius actionis executorem eſſe. Quando igitur vniuerſa opinio ineſt, vna quidem prohibens guſtare, altera verò affirmans omne dulce eſſe ſuaue, hoc autem eſt dulce, atque hæc efficax eſt, fortè verò adeſt cupiditas, illa quidem iubet fugere hoc, cupiditas autem ducit: poteſt enim ſingula membra agitare, ideo accidit, vt ex ratione quodammodo & opinione incontinenter aliquis agat, quæ non per ſe, ſed per accidens eſt contraria. Nam cupiditas aduerſa fronte repugnat rectæ rationi, non opinio. Itaque beſtijs non tribuitur incontinentia, quia non habent vniuerſalium notitiam, ſed ſingularium imaginationem & memoriam.

Quomodo autem tollatur ignorantia, & incontinens rurſus fiat ſciens, eadem cauſa eſt & de ebrio, & de dormiente, nec propria eſt huius affectionis, de qua Phyſicorum doctrina audienda eſt. Cùm autem vltima propoſitio, & ſenſibilis rei opinio, & actionum domina atque regina ſit, hanc vel non habet ardens aliquo affectu, vel ſic habet, vt neſciat

ſe eam

se eam habere, & differat sicut ebrius recitans Empedoclis carmina, & propterea quòd vltimus terminus non vniuersus, neque ita vt vniuersus scientiam efficiat. Itaque videtur id contingere, de quo Socrates quærere solebat. Non enim præsente ea, quæ propriè videtur esse scientia, oritur affectus, neque ipsa affectu in varias partes rapitur, sed sentiente. Vtrùm igitur sciens nécne, & quomodo sciens incontinenter aliquis viuere posit, satis dictum est.

CAPVT IIII.

Argumentum.

DISSERIT *in hoc capite de obiecto continentiæ, & duas species incontinentis recenset. Aut enim simpliciter aliquis incontinens est, aut cum appendice.*

TEXTVS.

VTrùm verò aliquis sit simpliciter incontinens, an omnes tantùm ex parte, & si sit, circa qualia versetur, deinceps explicandum est. Quòd igitur circa voluptates & dolores versentur continentes & tolerantes, & incontinentes ac molles, manifestum est. Cùm autem eorum, quæ gignunt voluptatem, alia sint necessaria, alia per se quidem eligen-

eligenda, ſed exceſſu deformata, (Neceſſaria ſunt, quæ ad corpus pertinent, vt victus & venereorum vſus & alia, in quibus temperantiam & intemperantiam collocauimus, Non neceſſaria verò, ſed per ſe eligenda, vt victoria, honor, opulentia, & quæ ſunt ex eodem genere bonorum ac ſuauium) Qui igitur in his modum excedunt contra rectam rationem, eos non ſimpliciter incontinentes appellamus, ſed cum appendice, videlicet pecuniæ, vel lucri, vel honoris, vel iræ. Simpliciter verò minimè tanquam diuerſos & ſimilitudine quadam ſic nuncupatos, vt ſi dicam, homo qui fuit victor in Olympijs, cuius definitio communis etſi à propria parum diſtat, tamen alia eſt. Huius rei ſignum atque indicium eſt, quòd incontinentia quidem vituperatur, non ſolùm vt leue erratum, ſed etiam vt vitium quoddam, ſiue ſimpliciter ſit ſiue ex parte. Horum verò qui cum appendice dicuntur incontinentes, nemo vituperatur.

Porrò eorum, qui ſe corporis voluptatibus dedunt, earumque ſe quaſi miniſtros præbent, quas temperanti & intemperanti aſſignauimus, qui non libera electione iucundorum exceſſus ſectatur, & moleſtias fugit, vt famem, ſitim, calorem, frigus, & ſimilia, quæ guſtu aut tactu ſentiuntur, ſed contra

electio-

electionem & intelligentiam, is incontinens non cum appendice, vt verbi causa, iræ, sed simpliciter ita nominatur. Rem verò ita se habere hoc indicat, quòd intemperantes circa hæc versantur, circa illa verò minimè. Quamobrem in eodem collocamus incontinentem & intemperantem, & continentem atque temperantem, sed non ex illis aliquem, quòd in eisdem quodam modo voluptatibus & doloribus hæreant. Ac hi quidem in eis versantur, sed non eodem modo. Illi enim eligunt, hi non eligunt. Itaque magis intemperantem nominare possumus eum, qui nihil aut languidè expetens sectatur exuperantias, & fugit mediocres dolores, quàm eum, qui vehementi cupiditate ardet. Quid enim ille faceret, si accederet vel iuuenilis ardor, vel propter rerum necessariarum inopiam vehemẽs dolor?

Cùm autem quædam appetitiones & voluptates suo genere sint honestæ & bonæ, (Nã iucundorum alia naturaliter expetuntur, alia his contraria sunt, quædam inter hæc media sunt, sicut suprà hæc distinximus, vt verbi causa, pecunia, lucrum, victoria, honor.) non ideo incurrunt homines in reprehensionem, quòd his rebus afficiantur, eásq; expetant & ament, sed quòd modum [a] & mensurã excedant.

[a] Etsi vult Deus in humano pectore fla-

Quicun-

Quicunq; igitur contra rationem aut vincuntur, aut persequũtur naturalia bona, vt qui magis quàm par est, honorẽ appetunt, aut nimis amant liberos & parentes (Bona enim hæc sunt, & laudantur, qui multum operæ in eis ponunt, sed tamen in his quoque excessus locum habet, vt si quis exemplo Niobes [*b*] pugnaret cum Dijs, aut sicut Satyrus [*c*] Philopator appellatus erga patrem affectus esset, qui ex stulto insanus factus est) nulla quidem in his prauitas reperitur, quia, vt dictũ est, singula naturaliter & per se expetuntur, sed tamen prauæ & fugiendæ sunt eorum exuperantiæ. Idem dici potest de incontinentia, quæ non modò fugienda est, sed etiam meritò vituperatur.

grare στοργὰς φυσικὰς, vt sint vincula humanæ consociationis, & cõmonefactiones de suo amore erga filium & erga nos: tamen vult eas rectè regi, scilicet timore Dei & fide, vt Abrahã, etsi est pater φιλόστοργος, tamen magis amat Deum, quàm Ismaëlem aut Isaac. Sic in Elisabeth & Maria sunt στοργαὶ, quę & placent Deo, & sunt puriores quàm in alijs matronis, quia reguntur fide & dilectione Dei, & ipsis flammis Spiritus sancti. Vt igitur aliæ inclinationes bonæ doctrina iuuãdę sunt: ita etiã doctrina στοργὰς regat & moderetur.

[b] Apud Ouidium libro sexto Metamorphoseos inquit Niobe:

Sum felix, quis enim neget hoc? felixq́ manebo,
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior sum quàm cui poßit fortuna nocere,
Multaq́ vt eripiat, multò mihi plura relinquet.
Exceßere metum mea bona.

Signum autem securturæ ruinæ est insignis insolentia. Quare hæc fœmina vno die omnibus liberis orbata & propter luctum in saxum conuersa, re ipsa comperit vires hominum longè esse minores diuinis, & metuendum esse Deum, qui vindice dextra haud dubiè humanos properat punire furores.

[c] Hic enim captus amore cuiusdam virginis, cùm animaduertisset patrem Sostratum administrum esse suæ libidinis, tanta beneuolentia deinceps patrem complexus est, vt post mortem eius seipsum ex alto præcipitarit, & vita, qua nihil homini charius est, priuarit. Eustratius.

Cæterùm propter affectus similitudiné incontinentiam cum appendice vnicuique tribuunt, vt cùm dicunt, malum medicum & malum histrionem, quem simpliciter nemo appellat malum. Quemadmodum igitur neque hîc quod vnumquodque ipsorum non vitium, sed proportione simile sit, ita etiam illic existimandum est incõtinentiam & continentiam eam duntaxat esse, quæ versatur circa obiecta temperantiæ & intemperantiæ. De ira verò per similitudinem dicimus, ideóque addentes, incontinentem iræ, sicut honoris & lucri dicimus.

CAPVT

CAPVT V.

Argumentum.

IN hoc capite recensentur aliquot exempla immanitatis, quæ sunt commonefactiones de humana infirmitate, quæ non solùm à latronibus Diabolis spoliata est sapientia, iustitia & libertate electionis, sed etiam horribiliter sauciata est in mente, voluntate & corde. Nam in mente magna & tristia mala sunt dubitationes de Deo, de prouidentia, de iudicio Dei, de minis & promissionibus diuinis, de præsentia Dei in conseruatione & sustentatione rerum.

Postea sunt in voluntate & corde auersio à Deo, non habere timorem Dei, non ardere fide & dilectione, & sunt errantes motus innumerabiles, sicut æstus in syrtibus, amores iniusti, odia iniusta, ambitiones, cupiditas vindictæ.

Præterea hæc infirma natura subiecta tyrannidi Diaboli, qui & corporalibus malis conatur perdere homines, & impellit eos ad peccata omnis generis, ad blasphemias, hæreses, cædes, libidines & alia, sicut expressè dictum est, hunc immundum spiritum efficacem esse in filijs incredulitatis, & impios ab eodem captiuos teneri. De hac tyrannide cogitantes petamus à filio Dei gubernationem, qui venit vt destruat opera Diaboli, ne lux iudicij obscuretur in mente, & ne corda impellantur vt ruant contra voluntatem Dei.

TEXTVS.

CVM nonnulla iucunda natura ſint, & horum alia ſimpliciter, alia pro generibus animalium & hominum, quædam verò non ſint, ſed alia quidem à membrorum læſione, alia verò à conſuetudine, alia denique à prauitate naturæ oriantur, in horum ſingulis licet videre ſimiles habitus, loquor autem de ferinis, vt quædã mulier [a] grauidis diſſectis fœtus earum deuorare conſueuit, & barbarorũ circa Pontum alij crudis veſcũtur, alij hominum carnibus delectantur, nonnulli infantes ab alijs mutuantur, vt inſtructioribus epulis ſaturentur. Eodem pertinent, quæ de Phalaride commemorantur. Atque hi quidem ſunt ferini habitus. Alij verò nonnullis ex morbo & inſania contingunt, vt qui matrem in ſacrificio mactauit & comedit, & qui conſerui iecur. Alij porrò morboſi ſunt, vel ex conſuetudine, vt capillorum euulſiones, & vnguium arroſiones, carbonum [b] etiam & terræ, itẽ maſcula venus. Alijs enim natura, alijs cõſuetudine hæc inſunt, vt illis, qui ab ineunte

[a] Lamia fœmina vixit in regione Ponti, quæ proprijs liberis orbata aliarũ mulierum fœtus deuorauit.

[b] In quibus redundat atra bilis, ijs ſuaue eſt edere carbones. Alios verò delectat eſus terræ aut maſſæ fi-

ætate

ætate ad ea adſuefacti ſunt. Quæ igitur ad naturam tanquam ad cauſam principalem referuntur, ea nemini incontinentiæ notam inurunt, vt quòd fœminæ non ducunt, ſed nubunt. Idem iudicandum eſt de ijs, quibus conſuetudo morbum conciliauit. Horum igitur vnumquodque habere, non ijſdem quibus vitium finibus ac terminis continetur, ſicut & immanitas. Habentem verò vincere aut vinci, non eſt ſimplex incontinentia, ſed quadam ſimilitudine, ſicut & ira inflammatus nequaquam incontinens dicitur. Omne enim vitium excedens, & inſipientia, & timiditas, & intemperantia, & acerbitas aut ferina eſt, aut morboſa. Qui enim à natura ſic informatus eſt, vt omnem ſtrepitum pertimeſcat, ferino more timidus eſt. Quidem verò felem ex morbo timebat.

gularis, qui acido humore vexantur. Euſtratius.

Inſipientum autem alij, cùm natura impediantur, quò minus ratiocinari poſsint, & ſenſu duntaxat viuant, ferini ſunt, vt quædam barbaræ gentes procul à nobis remotæ, alij ex morbis, vt comitialibus, aut furore atque amentia morboſi ſunt. Fieri autem poteſt, vt ex his aliqua interdum quiſpiam habeat tantùm, nec tamen eis ſuccumbat, vt ſi Phalaris repreſsiſſet cupiditatem, qua vel

infantem deuoraturus, vel flagitioſis libidinibus ſe contaminaturus erat. Sæpe etiam fit, vt aliquis ſuccumbat, nec ſolùm iſta habeat.

Porrò quemadmodum prauitas, quę in hominem cadit, ſimpliciter prauitas appellatur, alia verò cum appendice, ferina aut morboſa, non autem ſimpliciter: ita & incontinentia aut ferina, aut morboſa eſt, ſimpliciter verò ea tantùm, quæ intemperantiæ humanæ fines non egreditur.

Quòd igitur incontinentia & continentia eadem obiecta habeant, quæ intemperantia & temperantia, & quòd in alijs alia ſit ſpecies incontinentiæ, quæ per tranſlationem dicatur, & non ſimpliciter, manifeſtum eſt.

CAPVT VI.

Argumentum.

INSTITVIT *in hoc capite collationem iræ & appetitionis voluptatum, ac docet plus turpitudinis eſſe in appetitione voluptatum quàm in ira. Vtitur autem ad hanc ſententiam confirmandam quatuor argumentis, quorum ſummas breuiter recitabo.*

Ira, inquit, aliqua ex parte audit rationem recta præcipientem, etiamſi non omnino ei obtemperat, eſtq́; ſimilis miniſtrorum, qui nimiùm properant ad executionem mandatorum, quæ nondũ integrè acceperunt.

Eſt &

Est & caniculæ similis, quæ allatrat dominum, quem nondum vidit. ἐπιθυμία verò ruit in voluptates cæco impetu, neq; audit rationem recta monentem, vt in versibus Cleãthis dicitur, quos citat Galenus in quinto De sententia Hippocratis & Platonis. Sic enim inquit Ratio ad ἐπιθυμίαν: Quid illud est quod vult cupiditas, dicito? ἐπιθυμία: Vt omnia quæ volo faciam: nam id regium est. Ratio. Dic rursus hanc sententiam mihi clarius. ἐπιθυμία. Quæcunq; concupisco, vt fiant omnia. Hi versiculi clarissimè pingunt errantes impetus τῆς ἐπιθυμίας.

Deinde: Ira magis est homini naturalis, quàm ἐπιθυμία. Etsi enim vtraque appetitio nobis cum bestijs communis est: tamen ira quiddam generosius est, cùm ἐπιθυμία sit magis beluina, vt in Polypo tanta libido est, vt extinguatur in concubitu, & noctua piscis tam vorax est, vt non desinat se onerare cibo, donec rumpatur.

Hîc verò lector diligenter meminerit duo exempla pertinentia ad quartum præceptum, & ad regulam, Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Nam verberans patrem vicissim verberatur à filio. Et is qui parentem capillis prehensum vsq; ad ianuam domus traxerat, eadem iniuria à filio afficitur.

Tertiò: Ira aperto marte cum hoste congreditur. ἐπιθυμία verò omnia ex occulto atq; ex insidijs agit, vt Poëta inquit, Furto gaudet amans.

Postremò: Ira non est expers doloris, ac sibi non

minus nocet, quàm ei in quem incurrit. ἐπιθυμία verò fruitur voluptatibus odio dignis ac deteſtandis.

Hæc ferè ſumma eſt quatuor argumentorum, in quibus, vt dixi, duo ſimilia, duo exempla potiſſimùm obſeruanda ſunt.

TEXTVS.

QVòd autem minus turpitudinis habeat incontinentia iræ quàm cupiditatum, conſideremus. Videtur enim ira rationem quidem audire, ſed nòn auſcultare. Quemadmodum enim celeres miniſtri, qui cùm integra mandata nondum auditione acceperint, ſeſe ad curſum incitant, & poſtea actiones corrumpunt, & canes priuſquam amicum ab alieno diſcernant audito ſtrepitu latrare ſolent: ſic ira propter calorem & celeritatem naturæ audiens quidem, ſed non ſatis audiens mandatum ad pœnam properat. Nam ratio vel imaginatio monſtrauit iniuriam aut contemtum. Ira verò quaſi ratiocinans, quòd hoc depellendum ſit, ſtatim incandeſcit. Cupiditas verò, ſi tantùm monſtretur à ratione vel à ſenſu res ſuauis, recto curſu contendit, vt ea frui poſsit. Quamobrem cùm ira obtemperet rationi aliquo modo, nõ autem cupiditas, non dubium eſt, quin hæc turpior ſit. Nam incontinens iræ aliquo modo

modo à ratione superatur. Incontinens verò à cupiditate, non à ratione.

Deinde, maiore venia digni sunt, qui naturalibus appetitionibus obtemperant. Etsi autem cupiditates cum bestijs communes rectè referuntur ad naturales appetitiones: tamen ira magis cognata est homini, quàm excessus cupiditatum, præsertim in rebus non necessarijs, sicut ille qui se excusabat quòd patrem verberasset. Nam & hic, inquit, suum, & ille superiorem, & puerum monstrans, hic etiam me, inquit, vbi virilem ætatem consecutus fuerit. Est enim nobis cognatus. Ille quoque qui trahebatur à filio, ad fores desistere iubebat, nam se quoque patrem eò traxisse.

Tertiò, iniustiores sunt, qui ex occulto atq; ex insidijs agunt. Iam verò constat iracundum non esse insidiatorem, sed apertum. At cupiditas est insidiatrix, sicut de Venere dicunt: Nam fraudes nectentis Cyprigenæ. Item, Zonam de pectore soluit. Et Homerus, Hæc fraus decipere potest quamuis [a] magna sapientia præditos. Quare si iniustior & turpior est hæc incōtinentia, quàm ea quæ iræ indulget, & simpli-

[a] Nullam esse tantam vim animi, quæ nō frāgi ac debilitari blanditijs voluptatis posit, exempla summorū non modò extra Ecclesiam, sed etiam in ipsa Ecclesia de-

citer incōtinentia, & quodam reſpectu vitium eſt.

clarant. Hercules tot domitor monſtrorū Omphales amore captus muliebri veſte in Gynecæo tenuit colum. Themiſtocles poſt victoriam Salaminiam ſibi adeò indulſit, vt aliquando ſedens in vehiculo à quatuor nudis mulieribus in forum traheretur. O petulantiam tanta ingenij præſtantia, tantis rebus geſtis, tanta gloria indigniſsimam.

Pauſanias Spartanus, qui fuit dux ad Plateas, cùm multa feciſſet modeſtè in victoria, poſtea factus ſuperbus & crudelis rapuit filiam præcipui ciuis Byzantij; & hanc nocte in ſubita conſternatione interfecit. Alexander magnus cùm in prælijs acerrimus fuiſſet, & in victoria clemens, temperans, modeſtus, tandem dedens ſeſe voluptatibus, certamina potantium tanta inſtituit, vt aliqui in conuiuijs ſubitò extinguerentur. Sed quid Ethnica exempla commemoramus, cùm in ipſa Eccleſia fœdi lapſus ſint ſummorum hominum, Dauidis, Salomonis, Samſonis & aliorum? Magna & admiranda ſapientia & virtus fuit Dauidis. Sed tamen hic tantus vir voluptati adeò indulſit, vt & coniugem ſanctiſſimi viri raperet, & maritum interfici curaret. Salomon ad voluptates addidit cultum idolorum. Sic Samſon cùm in prælijs inuictus fuiſſet, perijt tanquam pardalis, quæ non capitur ab armatis venatoribus, (ipſorum enim iacula ſua celeritate eludit) ſed ſopita vino & venere.

Quartò, nemo cum dolore alterius pudicitiam tentat. Qui verò iratus agit, dolore afficitur. At libidinoſus voluptate fruitur.

Si igi-

Si igitur ea ſunt iniuſtiora, quibus optimo iure iraſcimur, quis neget incontinentiam laxantem frenos cupiditatibus odio digniſſimam eſſe? Nam in ira nemo indulget voluptati. Quòd igitur turpior ſit incontinentia effundens cupiditatum habenas, quàm ea quæ iræ gratificatur, & quòd continentia atque incontinentia circa cupiditates & voluptates corporis verſentur, perſpicuum eſt.

Harum autem ipſarum differentiæ explicandæ ſunt. Sicut enim ab initio dictum eſt, aliæ ſunt humanæ & naturales, & genere ipſo & magnitudine, aliæ ferinæ, aliæ ortæ ex læſionibus & morbis. Ac in harum primis temperantia & intemperantia ſolùm verſantur. Ideo non tribuimus beſtijs temperantiam aut intemperantiam, niſi per tranſlationem. Etſi enim inter ſe differunt ſalacitate & voracitate, tamen non habent electionem nec ratiocinationem, ſed exceſſerunt ex natura ſicut furentes homines. Feritas autem etſi minor eſt quàm vitium, tamen horribilior eſt. Non enim eſt corrupta, ſicut in homine, optima pars, ſed ea deſtituitur. Si quis igitur feritatem cum vitio comparat, is perinde facit, ac ſi inanimatum cum animato conferat, & in hac collatione quærat, vtrum ſit peius. Semper enim imbecillior eſt

praui-

prauitas eius, quod non habet principium, hoc est, intellectum. Sic igitur se res habet, quasi iniustitiam cum iniusto homine conferas. Est enim vtrunq; peius. Millies enim plura mala homo malus perpetrare potest quàm bestia.

CAPVT VII.

Argumentum.

SICVT *suprà inter se comparauit* θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν, *ita in hoc capite duas collationes instituit, vnam intemperantiæ & incontinentiæ, alteram continentiæ & tolerantiæ. Ac in priori quidem anteponit incontinentiam intemperantiæ. Primùm, quia incontinens pœnitentia ducitur, & facilè sanari potest: intemperans verò nulla pœnitentia ducitur & est insanabilis. Deinde, intemperans quærit voluptates cum electione. Incontinens autem sine electione. Tertiò, intemperans vincitur à paruis voluptatum illecebris, incontinens non nisi à magnis. Postremò, vt alias differentias omittam, intemperantia est similis hydropi aut phthisi, incontinentia est similis morbo comitiali.*

Altera collatio plus habet eruditionis & congruit cum dicto Xenophontis, quod extat in libro octauo de vita & disciplina Cyri: Difficilius mihi esse videtur res secundas rectè ferre, quàm aduersas. Illæ enim in multis superbiam & petulantiam, hæ verò modestiam

in omnibus efficiunt. Quemadmodum enim Pardalides non capiuntur ab armatis venatoribus, sed somno vinoq; sepultæ: ita magni viri nullis laboribus franguntur, sed tandem à blandißimis dominis voluptatibus de statu suo deijciuntur, vt ostendunt exempla Samsonis, Dauidis, Salomonis, Herculis, Themistoclis, Pausaniæ, Alexandri & aliorum innumerabiliũ. Maius ergo decus est moderatio in rebus secundis, quàm tolerantia laborum & ærumnarum.

TEXTVS.

POtest autem aliquis erga voluptates, quæ tactu & gustu percipiuntur, & erga dolores, cupiditates & fugas, quas intemperantiæ & temperantiæ aßignauimus, ita affectus esse, vt vel succumbat ijs, quibus multi sunt superiores, vel vincat ea, quibus plærique cedũt. Ac horum quidem qui in voluptatibus versantur, alter est incontinens, alter continens. Qui verò in doloribus, alter mollis, alter tolerans. Plurimorum autem habitus medij sunt, etiamsi declinant ad deteriores. Cùm autem voluptatum aliæ necessariæ sint, aliæ non & aliquo vsque, excessus verò non sint, nec defectus, eodem modo se res habet de cupiditatibus & doloribus. Nam qui excessus persequitur iucundarum rerum, vel quia excessus sunt, vel libera electione & propter se-

ipsas

ipſas, non propter aliud quod comitatur, intemperans eſt. Neceſſe eſt enim vt hunc non pœniteat. Ideo eſt inſanabilis. Quem enim non pœnitet peccaſſe, huius ſalus deſperanda eſt. Qui verò deficit eſt huic oppoſitus, medius autem temperans. Sic etiam fugiens corporis dolores, non quòd ſit inferior, ſed propter electionem. Eorum verò qui non eligunt, alter ducitur voluptate, alter quia fugit dolorem, qui eſt indiuiduus comes cupiditatis. Quare inter ſe differunt. Omnibus verò deterior eſſe videtur, qui aut nihil omnino, aut languidè expetens, aliquid contra honeſtatem facit, quàm vehementi cupiditate ardens, & qui non iratus verberat, quàm ira inflammatus. Quid enim faceret affectu æſtuans? Ideo intemperans eſt deterior incontinente. Ex dictis verò alia quidem eſt magis ſpecies molliciei, alter eſt intemperans. Opponitur autem incontinenti continens, & molli tolerans. Nam tolerantia eſt in non cedendo, continentia verò in continendo. Aliud eſt autem non cedere, aliud continere, ſicut differunt non vinci & vincere. Quare maius decus eſt continentia quàm tolerantia. Qui verò cedit ijs, quæ plurimi reſiſtendo ſuperant, hic mollis & delicatus habetur: nam deliciæ & mollicies magnam inter ſe cognationem habent. Qui trahit ve-

hit vestem, ne molestia afficiatur si eam attollat, & imitans defatigatum, non putat se miserum esse, cùm misero similis sit. Eadem ratio est continentiæ & incontinentiæ. Si quis enim superatur à vehementibus & immoderatis voluptatibus aut doloribus, is non tam admiratione quàm venia dignus est, si modò eis repugnet, sicut Theodecti Philoctetes [a] à vipera ictus, aut Carcinius Alope Cercyon, [b] & sicut risum cohibere conantes cachinnos effundunt, id quod Xenophanto accidit.

[a]Philoctetes diu quidem dolori repugnauit. Ad extremum verò superat⁹ magnitudine doloris exclamauit, Amputate mihi manum.

[b]Cercyoni fuit filia Alope. Cùm autem intellexisset pater filiam vitiatam esse, interrogauit eam, quis huius sceleris autor esset, & hanc asseuerationem addidit, si autorem mihi indicaueris, omnis doloris expers ero. Postea cùm Alope indicasset facti autorem, tantum abfuit, vt dolorẽ perferre posset, vt etiam vita seipsum priuaret. Eustratius.

Si quis autem ab ijs superatur, quibus plærique possunt resistere, ac nequit repugnare, non quidẽ vitio generis aut morbi, sicut Persarum regibus insita & quasi innata est mollicies, aut vt fœminam à mare sexus discernit, id verò reprehensionem meretur.

Videtur etiam intemperans pronus esse adlu-

ad ludos, & mollis. Nam ludus est quædam recreatio & relaxatio. Qui verò in ludendo modum excedit, lasciuus est. Incontinentia autem partim est temeritas, partim imbecillitas. Nam alij quidem re deliberata non permanent in sententia propter affectum. Alij verò omissa consultatione, impelluntur ab affectu. Nonnulli etiam, quemadmodum qui prius titillarint, non titillantur, cùm præsciant & prospiciant, & prius seipsos ac rationem excitent, non cedunt affectui, siue obiectum suaue sit, siue contrarium. Præcipuè verò celeres & Melancholici temerariæ incontinentiæ obnoxij sunt. Illi enim propter celeritatem, hi propter vehementes impetus rationis imperium non expectant, quia imaginationis ductum & auspicia citò sequuntur.

CAPVT VIII.

Argumentum.

NIHIL *noui instituit, sed repetit priorem sententiam de discrimine intemperantiæ & incontinentiæ.*

TEXTVS.

NVlla igitur, vt dictum est, pœnitentia comitatur intemperantem, quia in proposito

posito suo perseuerat. Incontinentem verò sequitur pœnitentia. Quocirca non ita se res habet, sicut dubitauimus, sed ille quidem insanabilis est, hic verò facilè sanari potest. Illa enim prauitas, si cum morbis comparetur, non dissimilis est aquæ inter cutem aut tabi. Incontinentia verò morbo comitiali. Nam illa improbitas continuata est, hæc autem habet interualla. Ac toto genere differunt incontinentia & vitium, cùm vitium latere possit, incontinentia minimè lateat.

Inter hos etiam meliores sunt, qui facilè de gradu deijciuntur, quàm qui ratione quidem præditi sunt, nec tamen constanter ei obtemperant. Nam à minimo affectu superantur, nec sine deliberatione, vt alteri. Est enim incontinens similis ei, qui & citò inebriatur & pauco vino, & pauciore quàm plæriq;. Quòd igitur incontinentia non sit vitium, manifestum est. Sed fortasse vitio non dissimilis est, cùm partim præter electionem fit, partim comes electionis. Quòd si actiones spectes, verè de ea vsurpari potest dictum Demodoci in Milesios. Vt enim Milesij etsi non erant insipientes, opera tamen insipentum faciebant, sic incontinentes iniusti quidem non sunt, sed tamen iniusta agunt.

Et quoniam alter sine persuasione talis est, vt corporis voluptates modum mensu-

ramque excedentes, & contra rectam rationem persequatur, alter persuasionem habet eas persequendas esse, ille quidem facilè sanari potest, hic verò minimè. Vt enim virtus principium conseruat, sic prauitas corrumpit. In actionibus autem causa finalis est principium, vt in Mathematicis hypotheses. Sicut ergo in eo doctrinæ genere nulla ratione principia docentur, ita neque hoc loco, sed virtus aut insita est, aut asuefactione comparata, vt rectè de principio sentiat. Ac temperans quidem talis est, intemperans verò contrarius.

Est etiam quidam qui affectu incitatus à recta ratione discedit, quem vt non agat ex præscripto rectæ rationis, affectus superat, vt tamen talis sit, qui eiusmodi voluptates effusè sibi esse sectandas persuasum habeat, non superat, hic est incontinens intemperante melior, nec est simpliciter prauus. Nam quod optimum est, videlicet principium, conseruatur. Contrarius autem alius est, qui perseuerat, nec affectu dimouetur. Ex his intelligi potest, alterum habitum bonum esse, alterum malum.

CAP.

CAPVT IX.

Argumentum.

INITIO *huius capitis exilis & arguta quæſtio agitatur, vtrùm continens qualicunq; an vera ratione gubernetur. Deinde, explicatur vtile diſcrimen conſtantiæ & pertinaciæ. Tertiò, extrema continentiæ recenſentur. Poſtremò, de cognitione continentiæ & temperantiæ diſſeritur.*

TEXTVS.

QVæri etiam ſolet, vtrùm continens in qualicunq; ratione & electione permaneat, an verò in recta? & vtrùm incontinens in qualicunque ratione & electione non perſeueret, an verò in falſa ratione & electione non recta, ſicut antea dubitatum eſt, an in qualicunque per accidens, per ſe autem in vera ratione & recta electione, alter quidem maneat, alter verò non maneat? Nam ſi quis illud propter hoc eligit aut perſequitur, per ſe quidem hoc perſequitur atq; eligit, per accidens verò prius. Per ſe autem ſimpliciter dicimus. Quare fit, vt quodam modo in qualicunq; opinione alter maneat, alter dimoueatur, ſimpliciter autem in vera.

Sunt autem nonnulli in opinione perſeuerantes, ſunt etiã quos pertinaces [a] vocant, qui cùm nulla perſuaſione flecti poſsint, eã cognationem & ſimilitudinem habẽt cum continente, quã prodigus cum liberali, & audax cum forti. Sed multũ inter ſe diſtant, longeq́; ſunt diuerſi atque ſeiuncti.

[a] Apud Senecam in libro primo de Ira memorabilis hiſtoria recitatur, quæ declarat pertinaces amare & tueri errorẽ, etiamſi ingeratur oculis veritas. Cn. inquit, Piſo fuit memoria noſtra vir à multis vitijs integer, ſed prauus, & cui placebat pro conſtantia rigor. Is cùm iratus duci iuſsiſſet eũ, qui ex commeatu ſine cõmilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quẽ non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendũ non dedit, damnatus extra vallum deductus eſt, & iam ceruicem porrigebat, cùm ſubitò apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio præpoſitus, cõdere gladium ſpiculatorem iubet, damnatũ ad Piſonem reducit, redditurus Piſoni innocentiam. Nam militẽ fortuna reddiderat. Ingenti concurſu deducuntur, complexi alter alterũ cum magno gaudio caſtrorũ commilitones. Conſcendit tribunal furens Piſo, ac iubet duci vtrumque, & eum militem qui non occidit, & eum qui non perierat. Quid ergo indignius? Quia vnus innocens apparuerat, duo peribant. Piſo adiecit & tertium. Nam illum centurionem, qui damnatum reduxit, duci iuſsit. Conſtituti ſunt in eodem loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quàm ſolers eſt iracundia ad fingendas

caufas

cauſas furoris? Te, inquit duci, iubeo, quia damnatus es, te quia cauſa damnationis commilitoni fuiſti, ne quia iuſſus occidere, imperatori non paruiſti. Excogitauit quomodo tria crimina faceret, qnia nullum inuenerat, & in malè cœptis honeſtior illi pertinacia videbatur quàm pœnitentia.

Nam continens non mutatur ab affectu & cupiditate, ſed mouetur probabili ratione. Pertinaces verò non mouentur reſpectu rationis, ſed & cupiditatum illecebras admittunt, & à voluptatibus ducuntur. Sunt autem pertinaces, qui mordicus ſuam opinionem retinent, & ineruditi & agreſtes. Nam in ſua ſententia permanent propter voluptatem & dolorem. Gaudent enim victoria, ſi non de ſententia decedant, & dolent, ſi ſua quaſi decreta infirma & irrita eſſe intelligant. Itaq; propius ad ſimilitudinem incontinentis accedunt.

Sunt porrò alij, qui à ſua opinione diſcedunt, ſed non propter incontinentiam, vt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus. Etſi enim propter voluptatem non perſeuerauit in propoſito: tamen ea voluptas honeſta fuit. Nam vera dicere ipſi honeſtum erat, cùm quidem ab Vlyſſe didiciſſet mentiri. Non enim omnis agens propter voluptatem intemperans eſt, aut malus, aut incontinens, ſed propter turpem.

Cùm autem ſit quidam etiam talis, vt minus quàm oportet, rebus corporeis lætetur, & non permaneat in ratione, talis inter hunc & incontinentem medius eſt continẽs. Nam incontinens non perſeuerat in ratione propter nimium, hic verò propter parum. At continens perſeuerat, & propter neutrum mutatur. Neceſſe eſt igitur, ſi continentia honeſta eſt, vtrunque contrarium habitum prauum eſſe, ſicut etiam videtur. Sed quoniam alter in paucis & rarò reperitur, videtur continentia ſoli incontinentię opponi, ſicut temperantia intemperantiæ. Et quoniam multa per ſimilitudinẽ dicuntur, continentia quoque temperantiæ adiuncta vel potius cognata eſt. Nam & continens & temperans nihil agit contra rationem propter corporis voluptates, ſed ille habens, hic non habens prauas cupiditates, atque hic eſt talis, vt præter rationem non lætetur, ille vt lætetur quidem, ſed non ducatur. Sic incontinens & intemperans, partim ſimiles, partim diuerſi ſunt. Nam vterque corporea & ſuauia perſequitur, ſed alter oportere etiam exiſtimans, alter non exiſtimans.

CAP.

CAPVT X.

Argumentum.

In hoc capite tres loci obseruentur, quorum primus docet, necessariam esse copulationem prudẽtiæ & continentiæ. De hoc loco in fine libri sexti plura diximus. Alter locus falsè irridet ciuitates, quæ etsi habent optimas & pulcherrimas leges, tamen ijs non vtuntur. Tertius monet, quanta vis sit consuetudinis. Congruit autem cum peruulgato dicto, Consuetudo est altera natura.

TEXTVS.

Nec verò fieri potest, vt idem simul sit prudens & incontinens. Suprà enim demonstratum est, eundem simul & prudentem & bonum virum esse. Deinde prudentis laus non in sola cognitione, sed in actione consistit. Incontinens verò ad agendum minimè accommodatus est. Cæterùm nihil impedit neq; obstat, quò minus celeri ingenio prę- ditus sit incontinens. Ideo quidam videntur interdum prudentes esse, qui sunt incontinentes. Sed quid intersit inter hanc ingenij celeritatem & prudentiam, suprà satis explicatum est. Etsi enim ratione congruunt: tamen electione differunt. Non igitur vt sciens

&contemplans, sed vt dormiens aut ebrius, ac volens quidem, cùm aliquo modo sciat, quid & cuius causa agat, non tamen prauus. Nam electio bona est. Itaq; semiprauus est & non iniustus. Non enim insidiatur, sed alter ex ipsis non perseuerat in ijs quæ decreuit. Melancholicus verò nullam omnino deliberationem instituit. Ac similis quidem videtur incontinens Reip. quæ iusta decreta facit, & leges optimas habet, nec tamen ijs vtitur, vt Anaxandrides iocatus est. Decernebat vrbs, cui leges non erant curæ, prauus verò vtenti legibus, sed malis.

Versatur autem incontinẽtia & continentia in eo, quod multitudinis habitum excedit. Nã alter magis perseuerat, alter minus quàm pro multitudinis facultate. Facilius autem sanari potest ea species incontinentiæ, cui Melancholici obnoxij sunt, quàm illorum, qui consultant quidem, sed non præstant constantiam, & qui ex asuefactione incontinentes sunt, quàm qui ex natura. Est enim facilius consuetudinem mutare quàm naturam. Ideo enim difficile est ipsam consuetudinem mutare, quia naturæ similis est, sicut etiam Euenus dixit: Affirmo diuturnam consuetudinem progressu temporis fieri hominibus alteram naturam.

Quid igitur sit continentia & incontinentia,

tia, quid item tolerantia ac mollicies, & quem respectum hi habitus inter se habeant, dictum est.

CAPVT XI.

Argumentum.

SVPRA *libro 2. cap. 3. dictum est, obiecta communia virtutum esse voluptates & dolores. Nam circa hæc moderanda versatur virtus. Est autem voluptas congruentia actionis cum aliqua parte hominis, cum neruis, corde, aut voluntate, estq́; vel delectatio, vel lætitia, vt frigido corpore voluptas est calefieri, quia calor conuenit neruis malè affectis ex frigore. Dolor verò est contraria actio potentiæ, quæ molitur ei destructionem, vt immodicum frigus nocet neruis, tristitia extinguit cor. Porrò omnes actiones voluntatis & sensus comitatur voluptas aut dolor, id est, extremi motus sunt delectatio, lætitia, dolor seu mœstitia. Sed alia alijs partibus voluptatem aut dolorem afferunt.*

Recenset autem Aristoteles in hoc capite tres opiniones de voluptate, quarum facilis dijudicatio est considerato ordine bonorum. Summa bona sunt Dei agnitio, celebratio, & obedientia quam postulat. Minus principale bonum est lætitia, quæ sequitur sapientiam agnoscentem Deum & iustitiam.

TEXTVS.

COnſideratio voluptatis & doloris pertinet ad Philoſophum diſſerentem de ciuili ſcientia. Hic enim eſt gubernator finis, quem intuentes, ſingula vel bona, vel mala ſimpliciter appellamus. Eſt & neceſſaria horum conſideratio. Diximus enim virtutem moralem & vitium circa voluptates & dolores verſari, & plurimi dicunt beatitudinem cum voluptate coniunctam eſſe. Ideo & beati nomen à lætitia duxerunt. Alijs igitur nulla voluptas rationem boni habere videtur, nec per ſe, nec per accidens. Non enim idem ſunt bonum & voluptas. Alijs verò quædam videntur eſſe bonæ, multæ prauæ. Sunt præterea nonnulli, qui etſi boni rationem omnibus tribuunt, tamen negant voluptatem eſſe ſummum bonum.

Quòd autem ab omni ratione boni voluptas ſeiuncta ſit, primùm illud docet, quia omnis voluptas eſt generatio naturæ ad ſentiendum accommodata. Nulla autem generatio finibus eſt cognata, vt nulla ædificatio domus eſt. Deinde temperans fugit voluptates, & prudens non ſuauem vitam, ſed doloris expertem perſequitur. Sunt enim voluptates prudentiæ impedimenta, & quantò maiorem lætitiam afferunt, hoc magis prudentiam

dentiam

dentiam impediunt, vt verbi causa, vsus veneris. Nemo enim in regno voluptatis rectè iudicare potest. Præterea nulla ars voluptatis ministra est. Omne autem opus artis bonum est. Postremò, puerorum & bestiarum est persequi voluptates.

Quòd verò non omnes voluptates bonæ sint, res ipsa ostendit, quia multæ sunt turpes, & probri vice obijciuntur, & pestem perniciemque afferunt. Quædam enim suauia sunt causæ morborum. Denique voluptatem non esse summum bonum hinc intelligi potest, quia non finis, sed generatio est. Hæ igitur sunt opiniones de voluptate.

CAPVT XII.

Argumentum.

REFVTAT *primam opinionem, quæ contendit voluptatem non esse bonum, & ad singula argumenta recitata in proximo capite ordine respondet. Est autem memoria digna voluptatis definitio ab Aristotele tradita: Voluptas est actio habitus secundum naturam minimè impedita.*

TEXTVS.

NOn autem rectè extrui hanc consequentiam ex superioribus argumentis, quòd videli-

videlicet voluptas nec bonum nec ſummum bonum ſit, hinc perſpicuum eſt.

Primùm enim, quia bonum duplex eſt, vnum ſimpliciter, alterum alicui, & naturæ & habitus ſequentur, ideoque & agitationes & generationes ſequentur. Et quæ prauæ videntur ſimpliciter ſunt prauæ, & non cuidam, ſed huic eligendæ ſunt. Aliæ verò ne huic quidem ſed aliquando & exiguo tempore, non ſunt autem eligendæ. Quædam verò ne voluptates quidem ſunt, ſed videntur, quotquot cum dolore ſunt, & medicinæ cauſa, cuiuſmodi ægrotantium ſunt.

Deinde cùm bonorum aliud ſit actio, aliud habitus, quæ reſtituunt in naturalem habitum per accidens, ſuaues ſunt. Actio autem eſt in cupiditatibus dolentis habitus & naturæ. Nam & ſine dolore & cupiditate exiſtunt voluptates, vt contemplationes, cùm naturæ nihil deeſt. Huius rei illuſtre argumentum eſt, quòd non eadem ſuauitate delectantur, dum natura abundat atque affluit, & dum rectè conſtituta eſt. Nam rectè conſtituta ijs, quæ ſimpliciter ſuauia ſunt, affluens verò ſatietate etiam contrarijs. Etenim acidis & amaris delectantur, quorum nullum neque natura ſuaue eſt, neq; ſimpliciter ſuaue. Quare neque voluptates. Quam enim rationem inter

interſe habent ſuauia eandem etiam habent voluptates ab his ortæ.

Præterea non neceſſe eſt aliud quiddam melius eſſe voluptate, vt aliqui dicunt finem generationis. Nam voluptates non ſunt generationes, nec omnes cum generatione coniunctæ, ſed actiones & finis, nec naſcentibus, ſed vtentibus contingunt. Nec verò finis omnium quiddã diuerſum eſt, ſed eorum quæ ad naturæ perfectionem deducuntur. Quare non eſt probanda oratio eorum, qui dicunt voluptatem eſſe generationem ad ſentiendum accommodatam, ſed potius dicendum eſt, actionem eſſe habitus ſecundum naturam, non quidem ad ſentiendum accommodatam, ſed minimè impeditam. Ideo autem videtur generatio quædam eſſe, quia propriè bonum eſt. Nam actionem putant eſſe generationem, cùm longè aliud ſit. Quòd verò prauæ ſint, quia quædam ſuauia morborum cauſæ ſunt, id perinde dicitur, ac ſi quis contendat quædam ſalubria mala eſſe, quòd nihil ad incrementum pecuniæ conferant. Hac igitur ratione vtraque mala ſunt, ſed non mala ſecundum hoc, cùm & contemplatio interdum obſit bonæ valetudini.

Nec verò aut prudentiam aut vllum habitum impedit propria & quaſi domeſtica voluptas, ſed aliena. Nam quæ oritur ex contempla-

templatione & ſtudijs doctrinæ ea contemplandi ac diſcendi diligentiam auget.

Nullam quoq; voluptatem artis eſſe opus, meritò accidit. Neq; enim alterius actionis vllius ars eſt, ſed facultatis, tametſi & vnguentaria & coquendi ars voluptari ſeruire videntur.

Quòd autem temperans fugiat, & prudens perſequatur doloris expertem vitam, quòd item pueri & beſtiæ voluptates aucupentur, hæc omnia eodem modo ſoluuntur. Nam quia dictum eſt, quomodo bonæ ſimpliciter, & quomodo non bonæ omnes voluptates ſint, tales pueri & beſtiæ perſequuntur, harumq; indolentiam prudens ſectatur, quæ cum cupiditate & dolore, & corporeæ ſunt. Huiuſmodi enim ſunt hæ. Harum item exceſſus, ex quibus intemperans exiſtit. Ideo temperans has fugit, cùm etiam temperantis voluptates ſint.

CAPVT XIII.

Argumentum.

IN *hoc capite multæ ſunt inſignes & memorabiles ſententiæ. Primùm enim docet, florentem fortunam ingens ornamentum eſſe virtutis, vt longè antecellit Huniades Sigiſmundo Imperatori, & nemo non*

magis

magis expetit curriculum Ioseph quàm Ieremiæ. Deinde, rectè affirmat bona corporis & fortunæ esse adminicula beatitudinis. Etsi enim virtus reliquis gradibus bonorum anteferenda est: tamen & cæteros gradus suo loco expetere rectum est, quia vtilia & suauia sunt res bonæ à Deo nobis donatæ & promissæ. Cùm enim quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, administratio Reip. ordo gerendorum negociorum, officia vitæ, ipsum deniq; illud honestum, in quo vno vultis esse omnia, deserendū est, vt Cicero in quarto de Finibus præclarè dixit. Tertiò, sapienter monet mediocritatem fortunæ esse optimam, iuxta illud: Fortuna magna non caret formidine. Item: Fortuna quæ nimium fouet stultum facit. Quartò, citat versus Hesiodi de fama:

Publica non prorsus volat irrita fama per (auras,
Namq; est iudicij diuini nuncia sæpe.

Sic Iurisconsulti dicunt, Fama habet semiplenam probationem. Postremò grauissimè inquit, in singulis naturæ partibus esse quiddam diuinum, id est, vestigia sapientiæ, bonitatis & potentiæ Dei.

TEXTVS.

CVM autem dolor sit malum, constat etiam fugiendum esse. Nam alius simpliciter malum est, alius quatenus impedimentum est. Fugiendo autem cōtrarium est, quatenus fugiendum ac malum, bonum. Necesse est

ſe eſt igitur voluptatem bonum quoddam eſſe. Nihil enim valet ſolutio Speuſippi, qui dicebat, tanquam maius minori & æquali contrarium eſſe. Non enim idem quod malum quippiam voluptatem eſſe dixerit. Summum verò bonum eſſe nihil prohibet voluptatem quandam, etiamſi nonnullæ voluptates prauæ ſint, ſicut etiam ſcientiam aliquam, licet prauæ quædam ſint. Fortaſſe etiam neceſſarium eſt. Si enim vniuſcuiuſq; habitus actiones non impeditæ ſunt, ſiue omnium actio ſit beatitudo, ſiue vnius tantùm remoto impedimento, profectò confitendum eſt, eam eſſe maximè expetendam. Hoc autem eſt voluptas. Quare quædam voluptas ſummum bonum eſſe poteſt, etiamſi plurimæ voluptates ſimpliciter prauæ ſint.

Ideo omnes in hanc opinionem diſcedunt, vt exiſtiment beatam vitam plenam eſſe ſuauitatis. Et quidem voluptas probabili ratione beatitudini implicatur. Nulla enim actio, cui impedimentum obijcitur, perfecta eſt. Iam verò conſtat, beatitudinem eſſe quandam perfectionem. Itaque beatus indiget & corporis, & externis bonis, & fortunæ fauore, ne hæc impediantur. Qui verò illigatum in machina, & maximis calamitatibus oppreſſum pronunciant beatum eſſe, ſi modò bonus ſit, hi aut volentes aut nolentes nihil dicunt.

Quia enim adiumenta fortunę desiderat, quidam existimãt idem esse felicitatẽ quod beatitudinem, quod longè secus est. Nam & felicitas modum excedens impedimentum affert, & forsitan non rectè felicitas appellatur. Etenim ad beatitudinem terminus ipsius refertur.

Porrò quòd omnes bestiæ & homines voluptatem persequuntur, id magno argumento est, ipsam esse summũ bonum. Nec enim publica prorsus volat irrita fama per auras.

Sed quia non eadem neq; natura, neq; habitus optimus est, neque videtur, non omnes eandem voluptatem persequuntur, voluptatem tamen omnes. Fortasse etiam eam persequuntur, quam non putant, neque quam sibi proponunt, sed eandem. In omnibus enim naturæ partibus est quiddam diuinum. Sed nominis possessionẽ quasi hæreditariam obtinuerunt voluptates corporis, quia homines scopulis earum plærunque adhærescunt, & omnes earundem sunt participes. Itaque quoniam solæ notæ sunt, solas has esse opinantur. Illud etiam manifestum est, nisi voluptas sit bonum & actio, non posse beatum suauiter viuere. Cuius enim causa opus esset ipsa, si non est bonum, sed etiam molestè viuere potest? Nam neq; malum, neque bonum est dolor, si neq; voluptas. Cur igitur fugeret dolo-

rem? Quare vita boni viri non erit iucundior, nisi etiam actiones ipsius sint.

CAPVT XIIII.

Argumentum.

VNVS est huius capitis insignis locus, videlicet admonitio de necessitate Antitheseos in docendo. Nam contrariorum collatione multæ partes doctrinæ illustrantur, vt cùm ostẽdere volumus, quàm bona & dulcis res sit pax, econtra dicimus, quantum horribilium malorum comitetur bellum, incendia, vastationes, orbitates, interitus literarum, religionis, disciplinæ, &c. Ita cùm detrahitur fucus falsis persuasionibus, veritas fit illustrior, & assensio in animis confirmatur.

TEXTVS.

DE corporeis autem voluptatibus cogitatio suscipienda est ab illis, qui affirmant, aliquas voluptates vehementer eligendas esse, vt quę honestæ sunt, sed non corporeę, & in quibus versatur intemperans. Cur igitur contrarij dolores praui sunt? Nam malo bonum est contrarium. An ita bonæ sunt, quę sunt necessariæ, quia etiam, quod non malum est, bonum est? an intra certas metas bonæ sunt? Qui enim habit⁹ & motus nõ transeunt fines melioris, etiã in vsu voluptatis modũ adhibent. Qui verò excedunt in meliori, non plus moderadera-

derationis in voluptate præſtant. Habet autē exceſſus locum in bonis corporis & prauus eſt, qui hunc exceſſum perſequitur, ſed nō qui neceſſarias. Omnes enim lætantur cibo, vino & vſu veneris, ſed non vt oportet. De dolore verò res aliter ſe habent. Non enim fugiunt homines exceſſum, ſed omnino à dolore abhorrent. Non enim exceſſui dolor contrarius eſt, ſed ei qui exceſſum perſequitur.

Cùm autem non ſatis ſit veritatem explicare, ſed etiam cauſa erroris monſtranda ſit, (id enim ad fidem faciendam plurimum conducit. Nam ſi probabilis fuerit ratio, cur verum videatur, quod non eſt verum, mens aſſentiens veritati valde confirmatur) ideo dicendum eſt, cur voluptates corporis magnopere eligendæ ſint. Primùm igitur, quia expellit dolorem, & propter doloris exceſſum quaſi in medicatione, voluptatem perſequũtur excedentem, & quidem corpoream. Nam medicationes ſunt vehementes. Itaq; eas etiam perſequuntur, quia ex contrario apparent. Bonum autem voluptas non videtur propter hæc duo, de quibus dictum eſt. quoniam aliæ prauæ naturæ actiones ſunt, ſiue ab ortu, vt beſtiæ, ſiue ex conſuetudine, vt prauorum hominum. Aliæ ſunt medicationes, quia ſunt indigentes, meliúſque eſt habere quàm fieri. Aliæ accidunt ijs quæ perficiuntur. Per acci-

dens igitur bonæ ſunt. Præterea quia vehementes ſunt, eas perſequuntur, qui lætari alijs nequeunt. Nam ipſi quaſi quandam ſitim ſibi accerſunt, quæ ſi innoxia eſt, nullam reprehenſionem meretur. Sin autem noxia, praua eſt. Neq; enim habent alia quibus lætentur, & neutrum habere plęriſq; moleſtum eſt propter naturam. Semper enim laborat animal, vt Phyſicæ diſputationes teſtantur, quæ affirmant, viſionem & auditionem non ſine moleſtia fieri, ſed propter conſuetudinem eam moleſtiam non ſentiri. Sic etiam in iuuentute propter accretionem perinde ac temulenti efficiuntur, & iuuentus iucunda res eſt. Qui verò Melancholicum habent temperamentum, ſemper remedijs indigent. Etenim corpus eorum propter temperationem aſsiduas vellicationes ſentit, ſemperq; vehementes habent appetitiones. Expellit autem voluptas dolorem, & contraria, & quæuis, ſi ſit vehemens. Ac propterea intemperantes & praui fiunt. Quæ autem ſine dolore ſunt, exceſſum non habent. Atque hæ naturalem habent ſuauitatem, non per accidens. Voco autem per accidens ſuauia, quæ medentur. Nam quia accidit, vt dum remedium applicatur, pars ſana aliquid agat, ideo eſſe iucundum videtur. Natura verò ſuauia, quæ talis naturæ actionem efficiunt.

Non

Non autem ſemper eadem res ſuauis eſt, quia natura noſtra nō eſt ſimplex, [a] ſed ex diuerſis cōflata, eamq́ue ob cauſam morti obnoxia. Quare ſi alterum agit aliquid, id alteri naturæ eſt præter naturam. Cùm verò ęquantur, neq; moleſtum videtur, neque iucundum id quod agitur. Quòd ſi natura alicuius ſimplex eſſet, ei ſemper eadem actio ſuauiſsima eſſet. Ideo Deus ſemper vna & ſimplici gaudet voluptate. Neque enim motionis tantùm actio eſt, ſed etiam immobilitatis, & voluptas magis collocāda eſt in quiete, quàm in agitatione. At verò mutatio omnium res ſuauiſsima eſt, ſecūdum poëtam, propter prauitatem quandam. Sicut enim homo prauus facilè mutatur, ſic etiam natura indigens mutatione. Non enim eſt ſimplex, neq; proba.

[a] Hippocrates citante Galeno in libro de elementis dixit: Si corpora noſtra ex vno tantùm elemēto conflata eſſent, nequaquã morbis & morti obnoxia eſſent. Nam omnis mutatio fit à cōtrario. Nihil autem ſibiipſi contrarium eſt.

De continentia igitur & incontinentia, & de voluptate ac dolore dictum eſt, & quid ſit vnumquodq;, & quomodo alia quidem horum bona, alia verò mala ſint. Deinceps verò de amicitia dicendum eſt.

Finis libri VII.

LIBER OCTAVVS ETHICORVM.

ARGVMENTVM.

AMICITIA non solùm pars est vniuersalis iustitiæ, sed etiam species particularis iustitiæ, quia amicitia non potest conseruari sine æqualitate, vt testantur verba Platonis in sexto de Legibus, Rectè & concinnè dictum est, amicitiam æqualitate effici. Cùm autē tria sint obiecta, propter quæ alij ab alijs diliguntur, videlicet honestum, suaue & vtile, non frustra nec temerè Aristoteles tres amicitiæ species constituit. Ac duo quidem priores gradus bonorum expetuntur tanquam fines, tertius verò tanquam medium ducens ad finem. Differit ergo de amicitia & eius speciebus in hoc libro Aristoteles, & has quæstiones ordine explicat, Quid sit amicitia, in quibus & circa quæ versetur. Quod enim ad primam quęstionem attinet, disertè respondet, amicitiam esse virtutem, aut certè cum virtute coniunctam. Versatur enim virtus circa actiones & affectus. Sunt autem actiones quædam inter amicos, & ipsum amare est affectus. Præterea amicitiæ duo sunt extrema, quorum alterum est adulatio, alterum ἀφιλία seu μισανθρωπία seu

δυσκολία. Deinde amicitia est inter similes, videlicet inter bonos, vt inter Ciceronem & Atticum, aut est inter dissimiles, quo ex genere sunt amicitiæ, quę vtilitatis aut suauitatis causa coluntur. Postremò obiecta amicitiæ sunt ea, quæ paulò antè recensui. Hæc igitur & alia multa, quæ ad disputationẽ de amicitia pertinent, Aristoteles luculentè in hoc libro explicat.

CAPVT I.

Argumentum.

OSTENDIT *amicitiam esse bonum partim necessarium, quo hæc vita carere nequit, partim honestum & laude dignum. Ac necessitatem inductione confirmat inquiens, eam necessariam esse diuitibus, pauperibus, iuuenibus, senibus, deniq; omnium ordinũ & ætatum hominibus. In fine recitat diuersas opiniones de causis amicitiæ. Alij enim dicunt similitudinem esse conciliatricem amicitiæ, alij dissimilitudinem.*

TEXTVS.

SEquitur vt de amicitia differamus. Est enim virtus, aut certè cum virtute coniuncta. Est etiã res omnium maximè necessaria [*a*] in vita. Nam sine [*b*] amicis nemo

[a] Plutarchus in libello de discrimine amici & adultoris: Verè dicitur amicum

vult viuere, etiāsi circūfluat omnibus copijs, atq; in omnium bonorum abundantia viuat.

magis necessariū esse quàm ignē aut aquā. καθὸ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερός ἐστι.

[b] Salustius de bello Iugurthino: Non exercitus neque thesauri pręsidia sunt, verùm amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur.

Ac ijs quidem qui maximis opibus fortunisq; florent, & ad gubernacula Reip. sedent, nihil optabilius videtur quàm amici. Quæ enim vtilitas esset tantæ felicitatis remota beneficentia, quæ cum maxima laude erga amicos exercetur? Nec verò fieri potest, vt hæc felicitas sine amicis sit ad diuturnitatem stabilis. Quantò enim amplior [c] est, tantò magis ad omnes casus subitorum periculorū exposita est.

[c] Extat apud Stobæum insignis laudatio mediocritatis, cuius autor est Apollodorus:

Fortuna magna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo,
Et quicquid altum est, haud tutum diu manet,
Vt quod ruat vel inuidia, vel tempore.
Felicitatis ad arcem quando accesseris,
Mediocritas vbique res tutissima est.
Namque hæc nimis nec arduam in mentem cadit,
Nec stratam humi, nimisq́ depressam colit.
Quicunque nam minus cadit procaciter,
Hic vulnere ictus læditur sanabili,

Sed ma-

Sed magna moles magno intercidit impetu.
Laborat inuidia quodcunq; splendidum est,
Et mergit hos fortuna quos prius extulit.

In paupertate verò & in alijs ærumnis nullum perfugium melius aut paratius esse quàm amicos, rectè existimatur. Ac vt iuuenibus [*d*] prodest amicitia ad diligentiã vitandi peccata: ita senectuti obsequium præstare. Deinde vt manũ porrigit ijs, qui propter ætatis infirmitatem suas actiones perficere nequeunt: sic adiuuat præclaras actiones illorum, quorum ætas est in medio virium robore, iuxta Homeri dictum, Duobus simul euntibus. Duo enim & ad intelligendum & ad agendum magis accommodati sunt.

[d] Cicero in Lælio: Serpit nescio quomodo per omniũ vitam amicitia, nec vllam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui.

Videtur etiam naturalis copulatio esse inter parentes & sobolem, non solùm in hominum genere, sed etiam in volucribus & plærisq; animalibus, & ijs quæ eiusdem nationis sunt: ac hominibus maximè. Ideo hominum [*e*] amãtes laudamus. Licet etiam videre in erroribus, quàm homo homini coniuncta & chara res sit.

[e] Plutarchus in vita Numæ: θεὸς ἐ φίλιππος, ἐδὲ φίλορνις, ἀλλὰ φιλάνθρωπός ἐστι. Deus non est equorũ,

Videtur etiam Respublicas cõtinere amicitia, cùm legislatores, [f] magis in ea elaborent quàm in iustitia. Nam concordia maximam cognationem & similitudinẽ cum amicitia habet. Hanc verò maximè appetunt, & seditionem inimicam imperijs & Rebuspublicis acerrimè oderunt, maximeq; detestantur. Si enim ciues inter se sunt amici, iustitia nihil opus est. Sin autem iusti sunt, nihilominus amicis indigent. Videtur etiam amicitia esse præcipua iustitiæ species. Neque verò solùm necessaria est, sed etiam præclara. Nam constantes in amicitia laudare solemus, & hęc constantia videtur res esse omnium præclarissima. Quid, quòd aliqui putant eosdem esse viros bonos & amicos?

aut auuium, sed hominum amator.

[f] Plato in quinto de Legibus: Hæc est legum nostrarum hypothesis, vt ciues sint quàm beatissimi, & quàm maximè inter se amici.

Sed variæ sunt & discrepantes opiniones doctissimorum hominum de amicitia. Alij enim censent eam esse quandam similitudinem, & similes amicos. Hinc sunt illa dicta: Semper Deus similem adiungit simili. Item: Graculus assidet graculo, & quæ sunt eiusdem generis. Alij contrà figulos omnes inter se tales esse dicunt, & de his ipsis quædam paulò altius repetunt, & causas in natura quærunt

runt. Euripides quidem inquit: Terram ſiccitate continua exhauſtam amare imbrem,& cœlum imbre grauidum nihil magis appetere quàm terræ complexum. Heraclitus verò contrarium ait vtile eſſe, & ex varijs atq; diuerſis optimam fieri harmoniam, & omnia ex lite naſci. Contrariam autem ſententiam cum alij tum Empedocles [g] defendit.

Simile enim appetens [h] eſſe ſimilium. Sed hæ phyſicæ controuerſiæ omittantur. Nõ enim propriè pertinent ad hanc conſiderationem. Quę verò ſunt humana, & referuntur ad mores & affectus, ea conſideremus, vt verbi cauſa, vtrùm in omnibus exiſtat amicitia, an verò praui non poſsint inter ſe amicitiam colere, & vtrùm vna ſit amicitiæ ſpecies an plures. Qui enim vnam duntaxat ſpeciem conſtituunt, propterea quòd ſint gradus inten-

[g] Cicero in Lælio: Agrigentinum doctum quendã virum carminib⁹ Græcis vaticinatũ ferunt, quæ in rerum natura totóq; mundo conſtarent, quæq; mouerentur, ea contrahere amicitiam, diſsipare diſcordiam, atq; hoc quidem omnes mortales & intelligunt & reprobant.

[h] In tota natura facilè iunguntur ſimilia. Calidæ res citò calorem aduenientẽ accipiunt, vt ſulphur citius accipit flammam quàm lapis. Ideo Cicero venuſtiſsimè dixit: Nihil rapacius eſt ſimiliũ, quàm natura.

ſiores

ſiores & remiſsiores in amicitia, non ſatis firmo argumento nituntur. Nam magis & minus recipiunt etiam ſpecie diuerſa. Sed de his antea dictum eſt.

CAPVT II.

Argumentum.

INITIO *diſcernit gradus bonorum, circa quos amicitia verſatur. Deinde monſtrat diſcrimen amicitiæ & amoris. Poſtremò docet poſſe inter ignotos beneuolentiam eſſe, ſed non amicitiam, quæ eſt beneuolentia mutua minimè latens.*

TEXTVS.

FOrtaſſe autem hæc magis perſpicua erunt cognito eo, quod amabile vocatur. Videtur enim non omnis res amari, ſed tantùm amabilis. Ea verò eſt aut bona, aut ſuauis, aut vtilis. Illud autem vtile eſt, quo comparatur bonum aut voluptas. Itaq; amabilia ſunt bonum & ſuaue tanquam fines. Vtrùm igitur amant bonum per ſe & ſuo genere, an ſibi bonum? Interdum enim hæc diſcrepant. Eodem modo iudicandum eſt de ſuaui. Videtur autem vnuſquiſque amare, quod ſibi bonum eſt, & eſſe quidem ſimpliciter bonum amabile, cuiq;

le, cuiq; verò quod cuique est. Amat enim quisq; non quod sibi bonum est, sed quod apparet. Nihil autem interest. Nam erit amabile quod apparet.

Cùm autem tria sint, quæ amare solemus, in amore rerum inanimatarum non collocamus amicitiam. Non enim in amore respondent, nec quisquam eis vult bene esse. Esset enim ridiculum vino optare bona, nisi quis id conseruari velit, vt eo fruatur. Amico autem, vt aiunt, debemus bene velle ipsius caussa, & quorum voluntas sic affecta est, eos beneuolos nominamus, si non idem ab illo prę-stetur. Beneuolentiam enim si ex altera parte respondeat amicitiam esse putant. Sed fortasse addendum est, si non lateat. Nam multi beneuolentia complectuntur eos, quos nũquam viderunt, quia existimant probos esse aut vtiles. Hoc eodem modo dici potest, si quis illorum erga hunc ita affectus sit. Ac beneuoli quidem hi inter se videntur. Amicos autem quomodo quis dicat, cùm nemo sciat qualis sit eorum mutua affectio, Necesse est igitur, vt mutuam inter se beneuolentiam præstent, & velint bona nihil occultantes, nihil dissimulantes propter vnum aliquid eorum, quæ exposita sunt.

CAP.

CAPVT III.

Argumentum.

RECENSET *tres ſpecies amicitiæ, quarum prima virtute conciliatur, altera ſuauitate conſtituitur, tertia vtilitate conglutinatur. Etſi autem hæc diuiſio ab obiectis ſumta eſt: tamen non eſt generis in ſpecies diſtributio, ſed diſtinctio nominis multa ſignificantis in ſua ſignificata. Cùm enim amicitia, quæ virtutis cauſa colitur, ſit perfecta & per ſe, reliquæ verò amicitiæ, quæ ad vtilitatem vel ad ſuauitatem referuntur, imperfectæ ſint & per accidens; facile intelligi poteſt, non eſſe vnum genus perfecti & imperfecti: Item, eius quod eſt per ſe, & eius quod eſt per accidens.*

TEXTVS.

EA verò inter ſe ſpecie differunt. Ergo & amores & amicitiæ. Tres enim ſunt ſpecies amicitiæ numero congruentes cum rebus amabilibus. Nam in vnaquaq; ſpecie eſt mutuus amor non ignotus. Qui verò amant inter ſe, bene volunt alijs propter cauſam, quæ amorem conciliat. Qui igitur vtilitatis [a] cauſa amicitiam colunt, nō per ſe amant, ſed quatenus aliquid boni à ſe inuicem expectant.

[a] Cic. 1. de Nat. deo. Charū ipſum verbū eſt amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt di-

pectant. Idem dici potest de amantib. propter voluptatem. Non enim amant vrbanos, quòd tales sint, sed quòd sibi suaues sint. ctũ, quã si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commodum quẽ diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum. Prata & arua & pecudum greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex eis capiuntur, hominum caritas & amicitia gratuita est.

Nam & qui spe vtilitatis amant, propter bonum sibi profuturum diligunt, & qui respectu voluptatis mouentur, propter suas suauitates amant, & non quòd amore dignus sit, sed quòd vtilis aut suauis. Per accidens autem videntur hæ amicitiæ constitui. Non enim quatenus amore dignus est, quicunque sanè is est, amatur, sed quatenus bonum aut voluptatem impertit. Tales verò amicitiæ facilè dissoluuntur, [b] cùm non semper sibiipsis similes sint. Si enim non amplius suaues aut vtiles sunt, cessat amor. Vtile autem non manet in vno & eodem statu, sed aliàs aliter se habet.

[b] Cicero in Lælio: Quas amicitias vtilitas cõglutinat, easdem commutata dissoluit. Et in 2. de Finibus. Si vtilitas amicitiam constituet, eadem tollet.

Commutata igitur causa, quæ amicitiam conglutinauit, ipsa quoque amicitia dissociatur, quæ illa radice defixa erat.

Maxi-

Maximè autem in ſenibus hæc ſpecies amicitiæ locum habere videtur. Non enim grandes natu ſuauitatem ſectantur, ſed vtilitatem. Exiſtit etiam in medio virium robore, & in iuuenibus, qui magnam vtilitatis rationem habent. Tales autem non valde delectantur quotidiano conuictu, cùm interdum non ſint ſuaues, neque indigent conuerſatione niſi vtiles ſint. Eatenus enim ſuaues ſunt, quatenus bonum aliquod expectant. Inter has ſpecies etiam hoſpitalem collocant.

Iuuenum verò amicitia à voluptate oriri videtur. Hi enim quocunq; trahunt affectus proni ſequuntur, & ſuauitatem præcipuè expetunt & quidem præſentem. Mutata autem ætate, etiam ſuauia mutantur. Ideo citò fiunt amici, & citò eſſe deſinunt, quia cum ſuauitate ſtat & cadit amicitia. Talis autem voluptatis celerrima eſt mutatio. Iuuenes etiam ad amores procliues ſunt. Magna enim amorum pars regitur affectu & voluptate. Itaque amant & citò deſiſtunt, ſæpe eodem die mutantes. Simul verò toto die verſari & vnà viuere hi volunt. Sic enim amicitia ipſorum conſtituta eſt.

Perfecta autem amicitia inter bonos eſt, & ſimilitudine virtutis coniunctos. Hi enim mutuò ſibi bona ſimiliter volunt, quatenus ſunt boni. Sunt autem boni per ſe. Qui autem

tem

tem volunt bona amicis illorum cauſa, maximè ſunt amici. Nam per ſe ita habent & non per accidens. Horum igitur amicitia firma & ſtabilis eſt, quoad boni fuerint. Virtus verò conſtans & perpetuum bonum eſt, ac vterq; & ſimpliciter bonus eſt & amicus. Etenim boni non modò ſimpliciter boni, ſed etiam ſibi mutuò vtiles ſunt, & iucundi ſimiliter. Nam boni & ſimpliciter ſuaues ſunt & ſibi inuicem. Suæ enim cuiuſque propriæ actiones & tales, voluptatem afferunt. At bonorum tales ſunt vel ſimiles. Talis igitur amicitia iure ac meritò ad diuturnitatem ſtabilis eſt. Habet enim copulationem omnium, quæ in amicis eſſe debent. Omnis enim amicitia exiſtit propter bonum, aut propter voluptatem, vel ſimpliciter, vel amanti, & per ſimilitudinem quandam. Hæc verò omnia, vt dixi, in ijs per ſe inſunt. Huic enim ſimilia etiam reliqua, & ſimpliciter bonum, & ſuaue ſimpliciter ineſt. Hæc autem maximè amorem conciliant. Amare etiam, & quæ maximè eſt amicitia atque optima in his eſt.

Conſentaneum eſt autem, tales amicitias raras eſſe. Pauci enim tales ſunt. Opus eſt etiam tempore & conſuetudine. Nam, iuxta prouerbium, fieri non poteſt, vt ſit mutua in-

ter amicos agnitio, nisi modium [c] salis absumserint. Neque.n. prius in amicitiam recipiendi sunt, quàm alter alteri videatur amabilis, & credatur.

[c] Cic. Lælio: Verum illud est, quod vulgò dicitur, multos modios salis simul edendos esse, vt amicitiæ munus expletum sit.

Qui verò nimis celeriter amicitiæ officia inter se præstant, volunt quidem esse amici, sed non sunt, nisi & amabiles sint, & id exploratè perceptum & cognitum habeant. Simulatio igitur amicitiæ in celeritate posita est, amicitia verò nequaquam. Hæc igitur tempore & reliquis perfecta est, & ex his omnibus existit, ac similis vtrinque est, quod inesse amicis necesse est.

CAPVT IIII.

Argumentum.

REPETIT *eandem sententiam quam in proximo capite exposuit. Est autem insigne dictum in hoc capite, quod docet veram amicitiam esse ἀδιάβλητον, id est, candidam, & procul segregatam à suspicionibus & calumnijs. Nā candor est virtus vicina veritati propter probabilem rationem approbans alienas voluntates, & non gignens vanas suspiciones maleuolentia, quædam etiam ambigua in meliorem partem flectens,*

ac bene

ac bene quidem ſperans, ſed tamen vt de rebus mutabilibus, cogitans poſſe mutari voluntates humanas, & poſſe hominem errare de voluntate alterius, cùm non penitus introſpiciātur latebræ humani pectoris, vt Dauid bene ſentit de Ionatha, quia habet probabilem rationem, quare illius voluntatem ſperet firmā eſſe, quia ſcit eum timere Deum, & ornatum eſſe teſtimonio diuino. Sic igitur intelligatur dictum 1. Cor. 13. Dilectio credit omnia, id eſt, eſt candida, non ſuſpicax, non malè ſentit de alio ſine probabili & graui ratione.

TEXTVS.

QVæ autem à ſuauitate oritur, magnam cum hac ſimilitudinem habet. Nam boni ſibinuicem ſuaues ſunt. Sic etiam quos vtilitas coniunxit. Nam & hi inter ſe boni ſunt. Maximè autem amicitiæ inter hos conſtant, quando vtrinq; æqualitas ſeruatur, vt voluptas, & non ſolùm hoc modo, ſed etiam ab eodem, vt vrbanis, & non vt amatori & amato. Non enim ijſdem rebus gaudent & delectantur, ſed alter amore illius, alter obſequijs amatoris. Ac euaneſcente ætatis flore, interdum & amicitia euaneſcit. Alteri enim facies deſijt eſſe aſpectu iucunda, alteri obſequium præſtatur. Multi autem in amicitia conſtantes ſunt, ſi ex conſuetudine mores dilexerunt, & ſimilibus moribus ornati

fuerint. Qui verò non ſuauitatem, ſed vtilitatem in amoribus rependunt, & minus amici ſunt & permanent. Qui denique vtilitatis cauſa amici ſunt, ſublata vtilitate amici eſſe deſinunt. Non enim inter ſe amicitiam colunt, ſed vtilitatem: Itaque propter voluptatem, & propter vtilitatis fructum etiam mali inter ſe amici eſſe poſſunt, & probi malis, & neuter cuilibet. Per ſe autem manifeſtum eſt bonos duntaxat amicitiam colere. Nam mali non acquieſcunt in mutuo amore, niſi vtilitas aliqua propoſita ſit. Sola igitur bonorum amicitia candida eſt. Non enim facile eſt credere alicui de eo, qui longo tempore exploratus eſt, & fides eſt in his, & nunquam iniuria alij alios afficiunt, & quæcunque in vera amicitia requiruntur. In alijs verò nihil obſtat quò minus hæc fiant. Nam cùm homines eos etiam appellare ſoleant amicos, quos vtilitas coniunxit, velut vrbes (vidētur enim fœdera vrbiū conſtitui vtilitatis cauſa) & eos, qui propter voluptatem ſe mutuò diligunt, vt pueros, fortaſſe & nobis licebit tales nominare amicos. Cùm igitur amicitiæ plures ſint ſpecies, prima quidem ac propriè dicta eſt bonorum, quatenus boni ſunt, aliæ verò per ſimilitudinem. Quatenus enim boni & ſimiles ſunt, eatenus amici ſunt. Nam & ſuaue rationem boni habet apud eos, quos

ſuauia

ſuauia delectant. Sed non admodum hæc cohærent, neque ijdem fiunt amici propter vtilitatem & ſuauitatem. Non enim firmum nodum vinculumq́ue habent, quæ per accidens fiunt. Quare cùm in has ſpecies amicitia diſtributa ſit, mali quidem erunt amici propter voluptatem vel vtilitatem, cùm hac re ſimiles ſint, boni verò per ſe amici. Quia enim boni ſunt, ſimpliciter amici ſunt. Illi verò per accidens, & quia cum his habent ſimilitudinem.

CAPVT V.

Argumentum.

VSITATO *more diſcernit habitum & actionem, & addit, habitum quidem amicitiæ etiam inter abſentes conſtare, ſed* ἐνέργειαν *magna ex parte impediri. Nam locorum interuallis diſiuncti non poſſunt frui ſuauitate conuictus & ſermonis, qui vel maximè amicitias & conciliat & conſeruat. In fine repetit diſcrimen amicitiæ & amoris, comparans amicitiam habitui, amorem affectui.*

TEXTVS.

QVemadmodum autem in virtutibus, alij habitu, alij actione boni dicuntur,

 ita

ita etiam in amicitia. Nam alij vnà viuentes sese mutuis officijs exhilarant, & bona inter se communicant. Alij verò dormientes, aut locis disiuncti non quidem actuosi sunt, sed tamen ita constituti, vt posint amicitiæ munus explere. Ac loca quidem non dissoluunt amicitias simpliciter, sed actionem. Sin autem diuturna fuerit absentia, videtur memoriam amicitiæ obliuione delere, sicut dicitur, Multas amicitias silentium dissoluit.

Neque verò videntur vel senes, vel austeri, ad amicitiam accommodati esse. Nam breuis in ipsis voluptas est. Nemo autem vult eius conuersatione vti, qui vel molestiam exhibet, vel in quo nihil est suauitatis. Natura enim videtur maximè fugere molestiam, & expetere suauitatem. Qui verò alios complectuntur, nec tamen vnà viuunt, beneuolis quàm amicis similiores sunt. Nihil enim magis proprium est amicorum, quàm vnà viuere. Adiumenta enim indigentes desiderant. Simul autem versari etiam beati optant. Minimè enim solitaria vita his conuenit. Simul verò vitam agere non licet, qui nec ipsi suaues sunt, nec suauibus rebus delectantur, id quod habere sociabilis amicitia videtur. Maximè igitur amicitia est bonorum, vt aliquoties diximus. Videtur enim amabile atque eligendum, quod simpliciter bonum, quatenus

nus

nus iucundum eſt. Vnicuique verò quod ſibi eſt tale. Bonus autem bono propter vtrunque.

Videtur autem amor affectui, amicitia habitui ſimilis eſſe. Amore enim etiam inanimata complectimur. Cum electione verò redamant. Electio autem oritur ab habitu, & bona volunt ijs quos diligunt illorum cauſa, non ex affectu, ſed ex habitu, & amantes amicum, quod ſibijpſis bonum eſt, amant. Nam bonus ſimul atque amicus factus eſt, bonum fit amico. Quamobrem vterque amat ſibi bonum, & æquale retribuit voluntate & ſuauitate. Amicitia enim dicitur æqualitas. Præcipuè verò bonorum amicitiæ hæc congruunt.

CAPVT VI.

Argumentum.

INITIO *repetit ſententiam ſuprà traditam de ſenibus & moroſis, quos ait non eſſe idoneos ad amicitiam, quia tales non amant congreſſus & colloquia, ſed magis amant ſolitudinem & taciturnitatem. Eſt aūt* ὁμιλία *non modò artium, ſed etiam coniunctionū inter homines dulcis nutricula. Deinde addit, perfectam amicitiā inter paucos verſari, cùm ad eam conſtituendam longi temporis conuerſatione &* δοκιμασίᾳ *opus*

 ſit.

ſit. Hæc verò inter plures locum habere nequit, quia pectora noſtra non admittunt duas curas. Tertiò, comparat inter ſe ſpecies amicitiæ, & diſertè inquit, amicitiam ſuauem propius accedere ad imaginem perfectæ amicitiæ, quàm alteram, quæ eſt mercatura propriarũ vtilitatũ. Eſt enim appetitio ſuauitatis liberalior quàm vtilitatis. Quartò, diſcernit gradus perſonarũ in aulis. Alij, inquit, ſunt ſuaues, vt moriones & aſſentatores, alij inutiles in rebus gerendis, vt in aula Alexandri Hephæſtion eſt φιλαλέξανδρος, *Craterus vir fortis eſt* φιλοβασιλεύς. *Magis autem diliguntur hi, qui norunt ad affectus dominorum alludere, quàm vtiliter ſeruientes Reip. Ac tales qui præclaram operam nauant Reip. non conſequuntur iuſta præmia, niſi principes ipſi virtute antecellant. Sed quoniam excellens virtus in gubernatoribus rara eſt, ideo nemo mi retur, maiori gratia apud principes valere paraſitos aulicos & ſycophantas, quàm viros bonos & arduam militiam militantes. Poſtremò, repetit notam ſententiam, quòd videlicet amicitia ſit æqualitas.*

TEXTVS.

IN auſteris verò & ſenibus tantò minus exiſtit amicitia, quantò moroſiores ſunt, & minus colloquijs gaudent. Hæc enim propria amicorum eſſe videntur, & plurimum ad amicitiam conciliandam valent.

Ideo iuuenes citò fiunt amici, ſenes verò nõ item. Non enim fiunt amici ijs, quibus non delecta-

delectantur, ſicut nec auſteri, ſed tales beneuoli quidem ſunt inter ſe (volunt enim bona & præſtant officia, quoties vſus poſtulat) ſed non valde amici ſunt, quia congreſſus fugiunt, neque mutuò ſe oblectant, quæ maximè amicabilia ſunt. Multis autem eſſe amicum in perfecto amicitiæ genere, nõ accidit, ſicut nec ſimul multos amare. Hoc enim exuperantiæ ſimile eſt. Quod autem eſt huiuſmodi, erga vnum fieri conſueuit. Multos verò eidem valde placere non facile eſt, fortaſſe etiam neque bonum eſſe. Opus eſt autem vt periculum feceris, & conſuetudine vſus fueris, quod eſt perdifficile. Propter vtilitatem verò & ſuauitatem fieri poteſt, vt aliquis multis placeat. Multi enim tales ſunt, & exiguo tempore ſuppeditantur.

Ex his autem ea ſimilis eſt amicitiæ, quæ ad ſuauitatem refertur, cùm eadem vtrinq; præſtantur, & ſeſe mutuò vel iiſdem oblectant, quales ſunt iuuenum amicitiæ. Magis enim in his decus liberalitatis conſpicitur. Amicitia verò quam vtilitas conſtituit, vulgaris eſt. Ac beati quidem non indigent vtilibus, ſed tamen ſuauia deſiderant. Volunt enim cum alijs quibuſdam viuere. Etſi autem moleſtiam ad breue exiguumq; tempus tolerant, tamen aſsiduè perferre nemo poteſt, ne bonum quidem ipſum, ſi ipſi moleſtum eſſet. Ideo ami-

cos ſuaues quærunt, quales etiam oportet eſſe bonos & ſibijpſis. Sic enim in eis lucebunt, quæ in amicis requiruntur.

Cæterùm qui ad gubernacula Reip. ſedent, diſtinctis amicorum gradibus videntur vti. Alij enim ipſis ſunt vtiles, alij ſuaues. Vt autem vtrique ijdem ſint, id verò rarum eſt. Neque enim ſuaues virtute ornatus quærunt, neque vtiles ad negocia honeſta, ſed alios vrbanos ſuauitatis cauſa expetunt, alios ſolertes ad exequenda mandata. Hæc autem rarò in vnam perſonam cadunt. Quòd autem bonus vir ſimul ſuauis & vtilis ſit, dictum eſt. Sed excellenti non fit talis amicus, niſi & virtute ſuperetur. Sin minus, non eſt æqualis proportione ſuperatus. Rarò autem tales fieri conſueuerunt.

Conſiſtunt igitur amicitiæ hactenus commemoratæ in æqualitate. Eadem enim vtrinque præſtant, & optant inter ſe, aut alterum pro altero rependunt, vt voluptatem pro vtilitate. Has verò minus & eſſe amicitias & manere, dictum eſt. Videntur autem & propter ſimilitudinem & propter diſsimilitudinem eiuſdem & eſſe & non eſſe amicitię. Nam quia habent ſimilitudinem cum ea quam virtus conglutinat, videntur eſſe amicitiæ. Altera enim ſuauitatem habet, altera vtilitatem. Hæc autem illi etiam inſunt. Quia verò illa candi-

candida eſt & ſtabilis, cùm hæ mutentur, & multis alijs rebus differunt, non videntur amicitiæ propter diſsimilitudinem cum illa.

CAPVT VII.

Argumentum.

DISSERIT *de amicitia quæ eſt inter ſuperiores & inferiores, vt inter patrem & filium, gubernatorem & ſubditum, maritum & vxorem. Eſt autem dulciſsima ſententia, in qua dicit, analogiam continere amicitias. Vt enim in actionibus naturalibus neceſſaria eſt proportio inter agens & patiens: ſic inter amicos florere & dominari debet analogia Geometrica.*

TEXTVS.

EST autem alia amicitiæ ſpecies, quæ in excellentia verſatur, vt inter patrem & filium, & inter ſeniorem & iuniorem, inter maritum & vxorem, denique inter gubernatorem & ſubditum. Sed hæ inter ſe quoque differunt. Non enim eadem eſt inter parentes & liberos, quæ inter gubernatores & ſubditos. Imò ne patri quidem erga filium, & filio erga patrem, neque marito erga vxorem, & vxori erga maritum. Singulis enim perſonis ſua

nis sua virtus & suum opus [a] aſsignatum eſt. Suntetiam diuerſæ cauſæ propter quas amant. Diſsimiles igitur ſunt & amores & amicitię. Eadem enim nec præſtantur alteri ab altero, neque peti atque expectari debent. Sed cùm parentibus liberi ea tribuunt, quæ gentoribus conueniunt, & viciſſim parentes filijs, quę ſoboli tribuenda ſunt, ſtabilis & bona erit inter tales amicitia.

[a] Xenophon Athenienſis eo lib. qui Oeconomicus inſcribitur, prodidit, maritale coniugium ſic comparatum eſſe natura, vt non ſolùm iucundiſsima, verùm etiam vtiliſsima vitæ ſocietas iniretur, quod iãpridem etiam Cicero ait, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum fœmina eſſe coniunctum, deinde vt ex hac eadem ſocietate mortalibus adiutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præpararentur, tum etiam cùm victus, & cultus humanus non vti feris in propatulo, ac ſylueſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurãdus erat, neceſſarium fuit alterutrum, foris & ſub dio eſſe, qui labore & induſtria compararet, intus qui tectis reconderet atque cuſtodiret, ſiquidem vel ruſticari, vel nauigare, vel etiam alio genere negotiari neceſſe erat, vt aliquas facultates acquireremus. Cùm verò paratę res ſub tectum eſſent congeſtæ, alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & cætera conficeret opera, quæ domi deberent adminiſtrari. Nam & fruges & cætera alimenta terreſtria indigebant tecto, & ouium cætera-

cæterarumq́; pecudum fœtus, atq́; fructus clauſo cuſtodienda erant, nec minus reliqua vtenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cùm & operam & diligentiam, ea quæ propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret, iure, vt dixi, à natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem, & extraneam. Itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera & labores pacis ac belli, id eſt, ruſticationis & militarium ſtipendiorum diſtribuit. Mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negocia curãda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſsignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quàm virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quòd autem neceſſe erat foris, & in aperto victum quęrentibus nonnunquam iniuriam propulſare, idcirco virum quàm mulierem fecit audaciorem. Quia verò partis opibus æquè fuit opus memoria & diligentia, non minorem fœminæ, quàm viro earum rerum tribuit poſſeſsionem. Tum etiam quòd ſimplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam quod alteri deeſt, præſtò plerunque eſt alteri.

Hæc in OEconomico Xenophon, & deinde Cicero, qui eum Latinæ conſuetudini tradidit, non inutiliter diſſeruerunt.

Seruata autem proportione in omnibus amicitijs, in quibus excellentia locum habet,

amor

amor exiſtere debet, vt meliorem amari magis, quàm amare par eſt, & vtiliorem, & aliorum vnumquenque ſimiliter. Quando enim pro dignitate amor exiſtit, tunc aliquo modo fit æqualitas, quæ amicitiæ congruit. Sed non idem ordo eſſe videtur æqualitatis in iuſtitia & in amicitia. Nam in iuſtitia æqualitas pro dignitate primùm conſideratur, deinde pro quantitate. At in amicitia æqualitatis pro quantitate prior, poſterior verò dignitatis ratio habetur. Id autem perſpicuum eſt, ſi longum interuallum interiectum ſit aut virtutis, aut vitij, aut opulentiæ, aut alterius rei. Non enim amplius ſunt amici, ac ne quidem eſſe volunt. Sed hoc omnium maximè apparet in natura deorum. Hi enim omnibus bonis plurimùm antecellunt. Perſpicuum eſt etiam in regibus. Neque enim horum amicitiam expetunt longè inferiores, neq; optimorum aut ſapientiſsimorum, qui nihil dignitatis habent. In his igitur non poteſt accurata diligentia terminus conſtitui, quouſque ſint amici. Etſi enim multa auferantur, tamen ſemper aliquid manet. Si autem multum receſſerit, vt Deus non amplius. Ideo etiam dubitari ſolet, num amici amicis maxima bona optare debeant, vt diuinitatem. Non enim amplius erunt ipſis amici, neque etiam erunt bona. Nam amici ſunt

bona.

bona. Si igitur rectè dictum est, amicum amico velle bona illius causa, manere eum qualis est oportet. Humanam verò naturam retinenti velle debet maxima bona, sed fortasse non omnia. Sibi enim quisque maximè vult bona.

CAPVT VIII.

Argumentum.

DVO sunt insignes loci huius capitis. Vnus, qui admonet lectorem, quanta vis sit materni amoris erga sobolem. Hic locus diligenter notandus est propter dictum Esaiæ 49. Num mater potest obliuisci infantem suum? Alter locus à Cicerone splendidè explicatur in Lælio, quòd videlicet amici causa nihil turpe faciendum.

TEXTVS.

SVnt autem multi, qui ambitione quadam magis amari quàm amare velle videntur. Ideo plurimi sunt amantes assentatorum. Nam assentator est amicus, qui vel superatur, vel se superari simulat, & magis amare quàm amari cupit. Amari autem & honore affici cognata sunt. Multi verò honorem appetunt non propter se, sed per accidens. Gaudent enim vehementerque lætantur, si à magi-

magiſtratibus honore afficiantur, propter ſpem. Putant enim ſe ab ijs accepturos eſſe res huic vitæ neceſſarias. Itaque honore tanquam ſigno beneficij accipiendi lætantur. Qui verò honore affici cupiunt atque exoptant à bonis viris & rectè iudicantibus, confirmare conantur illorum de ſe honeſtam opinionem, & lætantur approbatione ſuæ virtutis. At amari per ſe gaudent. Quamobrem videri poteſt, id melius eſſe quàm honorari, & amicitia per ſe expetenda eſſe. Id autem videtur magis conſiſtere in eo, quod amat aliquis, quàm quod amatur. Huius rei ſignum à materno amore ſumi poteſt. Quædam enim matres liberos ſuos nutricijs tradunt, & ſcientes quidem eoſdem amant, redamari verò non poſtulant, ſi vtrumque fieri nequeat, ſed in hac re acquieſcunt, ſi videant ipſis bene eſſe, amantque ipſos, etiamſi illi non poſsint matri conuenientia retribuere propter ignorantiam.

Cùm autem amicitia magis in amando conſiſtat, & amicorum amantes laudentur, amicorum virtus eſſe videtur ipſum amare. Itaque in quibus hoc exiſtit pro dignitate, hi ſunt conſtantes amici, & talium amicitia perpetua eſt. Hoc autem modo etiam inæquales maximè fiunt amici, quia exæquantur. Æqualitas autem & ſimilitudo amicitia eſt, & præ-

& præcipuè ea, quam virtus efficit. Cùm enim stabiles per se ipsi sint, etiam inter se constantiam præstant, & neq; rogant rem [a] turpe, nec ministri sunt turpitudinis. Imò diligenter cauent, ne vel ipsi peccent, vel amicis se ad peccandum ministros præbeant.

[a] Hæc prima lex in amicitia sanciatur, vt neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Cicero in Lælio.

Praui autem nihil firmitatis habent, (non enim sibijpsis similes manent) sed ad breue tempus sunt amici mutua prauitate sese oblectantes. Qui verò vtiles & suaues sunt, diutius permanent, donec videlicet voluptates & vtilitates inter se communicant.

Ex contrarijs autem maximè videtur oriri amicitia, quam vtilitas conglutinat, vt pauper adiungit se diuiti, & imperitus docto. Quod enim consequitur aliquis inopia laborans, illud appetens retribuit aliud. Huc etiam pertinent amator & amatus, formosus item ac deformis. Itaque inepti sunt amatores, qui interdum petunt se amari, sicut ipsi amant, cùm potius optandum videatur, vt similiter amabiles sint. Nihil verò tale habentes ridiculum est huiusmodi vota facere. Fortasse etiam contrarium non est appetens contrarij per se, sed per accidens. Appetitio enim medij est. Id enim bonum est, vt sicco bonum est,

non quidem humidum fieri, sed ad medium venire. Idem dici potest de calido & de alijs. Sed hæc relinquantur, cùm à proposito longius remota sint.

CAPVT IX.

Argumentum.

PRINCIPIO *docet amicitiam esse cognatam iustitiæ. Est enim virtus pro vera beneuolentia reddens veram beneuolentiam, & præstans mutua quædam officia pro modo facultatum, liberali pectore, virtutis causa. Deinde affirmat, politicam societatem, cuius neruus est amicitia, & initiò constitutam esse, & deinceps manere propter vtilitatem. Hæc sententia indiget correctione. Nam politica societas Dei sapientia & iustitia ordinata est, eiusdemq; bonitate conseruatur, vt alij alios de Deo, rebusq; diuinis doceant, & voce doctrinæ colligatur Filio Dei æterna Ecclesia. Item, vt politica officia sint occasiones exercendæ fidei, inuocationis & confeßionis. Postremò vt politicis officijs singuli proximo dilectionem declarent.*

TEXTVS.

VIdentur autem, sicut initiò dictum est, circa eadem & in ijsdem versari amicitia & iustitia. Nam in omni consociatione videtur

detur

detur & iustum esse & amicitia. Itaq; socij [*a*] eiusdem nauigationis & militiæ compellari se tanquam amicos volunt. Idem etiam de alijs societatibus dici potest. Quatenus autem inter se communicant, eatenus est amicitia. Nam & ius & prouerbium, res amicorum communes [*b*] esse, rectè se habet.

[a] Amicitia constituitur vel natura, vel lege, vel vsu. Natura cum Deo, parentibus, coniugibus. Lege cum patria, Rep. Ecclesia. Vsu cum ciuibus, collegis, vicinis, socijs periculorum. Chrysostomus hoc modo diuidit amicitiam: φιλία, inquit, aut est πνευματικὴ, aut σαρκικὴ. Hæc verò rursus est aut φυσικὴ, aut βιωτικὴ.

[b] Amicorũ omnia sunt communia, scilicet virtute, non obligatione ciuili. Cùm autem dicitur virtute, intelligitur voluntaria communicatio rerum communicabilium, cùm habet probabilem causam seu officij rationem, sine mutatione politici ordinis.

Nam in cõmunicatione consistit amicitia. Fratribus autem & socijs omnia communia sunt. Alijs verò segregata, atque quibusdam plura, nonnullis pauciora. Etenim amicitiæ recipiunt magis & minus. Differunt autem iusta. Non enim eadem sunt parentibus erga liberos & fratribus inter se, neq; eadem socijs & ciuibus. Similiter etiam in reliquis amicitijs. Diuersæ igitur etiam iniuriæ erga horum

vnumquenque ſunt, & incrementum accipiunt pro gradu amicitiæ, vt longè atrocius ſcelus eſt ſocium ſpoliare pecunia, quàm ciuem, & non opem ferre fratri quàm alieno, & verberare patrem quàm alium quemcunque. Solet autem ſimul cum amicitia ius augeri, quia & in eiſdem verſantur, & ad eandem metam contendunt. Omnes verò conſociationes videntur eſſe quædam particulæ Reip. Conſtituuntur enim propter certam vtilitatem, & conferunt aliquid ad vitam. Iam verò conſtat, politicam ſocietatem vtilitatis cauſa & initiò conſtitutam eſſe, & deinceps conſeruari. Nam legiſlatorum conſilia huc ſpectant, & iuſtum eſſe dicunt, quod eſt vtile [*c*] Reip. Ac cæteræ quidem ſocietates particulam rerum vtilium expetunt, vt ſocij nauigationis eam, quę ex nauigatione percipitur, vel pecuniæ collectionem, commilitones in bello ſiue pecuniam, ſiue victoriam, ſiue vrbem expetunt. Similiter quoq; tribules [*d*] & populares. Quædam porrò ſocietates voluptatis cauſa exiſtere videntur, vt thiaſi [*e*] ſodalium, & ſymbolum conferen-

[c] Cicero 3. de Legibus: Salus populi ſuprema lex eſto.

[d] φυλαὶ Romæ fuerunt tribus, apud nos die viertheil. δῆμοι Romæ Curiæ, apud nos die zunfft / id eſt, eiuſdē ordinis ſeu contium.

tium. Hæ enim ſacrificij & conuictus cauſa fiunt. Omnes autem hæ ſub politica ſocietate eſſe videntur.

ditionis collegia. Aeſchines contra Cteſiphontem: Sunt magiſtratus, quos tribus aut curiæ eligunt ad publicas pecunias tractandas.

[e] Thiaſotæ fuerunt ſacrificuli Bacchi. ἔρανοι verò teſte Athenæo lib. 8. εἰσὶν αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγαὶ ἀπὸ τοῦ συνερᾶν καὶ συμφέρειν ἕκαστον. Erani dicuntur ſumtus qui ad commune conuiuium conferuntur. Habent autem nomen ab amore & collatione.

Non enim præſentem vtilitatem Reſpublica ſpectat, ſed in omne tempus [f] ciuibus conſulit, & poſteritatē ad ſe putat pertinere. Qui verò ſacrificant in publicis congreſsibus, & Dijs honores tribuunt, & ſibijpſis cum voluptate interuallū ad quietem concedunt.

[f] Cicero 2. de Oratore: Barbarorum eſt in diem viuere. Noſtra conſilia in ſempiternū tempus ſpectare debent. Et in prima Tuſculana: Itaq; non deterret ſapientem mors, quę propter incertos caſus quotidie imminet, & propter breuitatem vitę nunquam longè poteſt abeſſe, quò minus in omne tempus Reip. ſuíſque conſulat, & poſteritatem ipſam, cuius ſenſum habiturus non ſit, ad ſe putet pertinere.

Nam vetera ſacrificia & congreſſus facti videntur poſt fructuum collectionē quaſi pri-

mitiæ quædam. Tali enim tempore potissimùm requiescebant, curamque animi remittebant. Omnes igitur consociationes partes quædam videntur ciuilis societatis. Sequentur autem tales amicitiæ tales consociationes.

CAPVT X.

Argumentum.

VENVSTISSIME *comparat species amicitiæ cum formis Rerumpublicarum, de quibus in tertio politicorum cap.5. prolixè philosophatur. Confert igitur paternam amicitiam regno, coniugalem aristocratiæ, fraternam politiæ, sociorum coniunctionem democratiæ. Monstrat etiam discrimen boni principis & tyranni, de quo aliâs sæpe dicitur.*

TEXTVS.

REipublicæ verò tres sunt species, ac totidem earum corruptelæ. Ac prima quidem forma seu species est regnum, altera, optimatum status, tertia quæ à censu est, quam censuum potestatem vocare non ineptum videtur. Plærique verò politiam eam appellare solent. Harum verò optima est regnum, pessima timocratia. Corruptela autem regni est tyrannis. Etsi enim vtrunque vnius princi-

principatus eſt: tamen plurimum differunt. Nam tyrannus ſua commoda quærit, rex verò ſubditorum. Non enim rex eſt, niſi ſeipſo contentus ſit, & circumfluat omnibus copijs, atq; in omnium bonorum abundantia viuat. Qui autem talis eſt, nulla re indiget. Quare non ſuæ vtilitati, ſed commodis ſubditorum conſulet. Qui enim non eſt talis, ſorte ad regnum electus eſt.

Tyrannis verò huic contraria eſt. Sua enim commoda aucupatur, nec obſcurum eſt eam eſſe peſsimam. Nam optimo opponitur peſſimum. Degenerat autem regnum in tyrannidem. Nam monarchiæ corruptela eſt tyrannis, quia malus rex fit tyrannus.

Ex optimatum verò ſtatu fit oligarchia vitio gubernatorum, qui res ciuitatis diſtribuunt præter dignitatem, & omnia aut plæraque bona ſibijpſis, & magiſtratus ſemper ijſdem nihil pluris facientes quàm opulentiam. Pauci igitur imperant & mali pro optimis.

Ex timocratia quoque fit popularis ſtatus. Sunt enim hæ formæ finitimæ. Vult enim & timocratia in multitudine verſari, & æquales omnes, qui in cenſu ſunt. Minimè verò malus eſt popularis ſtatus. Parum enim deflectit à forma politiæ. Hoc igitur modo præcipuè mutantur Reſpublicæ. Ita enim ad mini-

mum & facillimè tranſeunt, quarum imagines & quaſi exempla à re familiari [a] ſumi poſſunt. Nam conſociatio inter patrem & filios regni formam habet, quia pater cura liberorum afficitur. Ideo & Homerus Iouem patrem appellat. Patria enim poteſtas vult regnum eſſe. Apud Perſas verò eadẽ poteſtas eſt tyrannica. Vtuntur enim liberis tanquam mancipijs. Eſt etiam tyrannica domini erga ſeruos. Nam domini commodum in ea quæritur. Atque hæc quidem recta videtur, Perſica verò non recta, quia diuerſis diuerſæ formæ gubernationis congruunt.

[a] Vnaquæque domus, parua quædam eſt ciuitas, vel potius vnaquęq; ciuitas, magna quædam domus. Cùm enim homo naſcatur ad ſocietatem, & prima ſocietas ſit legitima coniunctio maris & fœminæ, ex hac ſocietate domus oritur, in qua ſunt parentes, liberi & ſerui. In ſocietate verò multorũ neceſſe eſt alios præeſſe, alios parere. Quare ad familiæ imaginem ciuitas conſtituitur.

Mariti autem & vxoris ſocietas ariſtocratica videtur. Etenim pro dignitate imperat vir, præſertim in ijs, quæ viro conueniunt. Quę autem ad fœminã pertinent illi aſsignat. Omnibus verò imperans maritus fit oligarchicus. Pręter dignitatẽ enim hoc facit, & non quatenus melior eſt. Interdum verò dominantur

nantur

nantur mulieres propter amplam [*b*] dotem. Itaque non fiunt pro virtute imperia, ſed pro diuitijs & potentia, ſicut in oligarchia.

[b] Plautus in Aulularia:

Nam quæ indotata eſt, in poteſtate eſt viri,
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Idem in Menæchmis:

Ita iſtæ ſolent, quæ viros ſubſeruire
Sibi poſtulant, dote fretæ feroces.

Et à Plutarcho in vita Demetrij citatur verſus Euripidis: ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον. Vbicunq; ſpes lucri eſt, præter naturam ſeruiendum eſt.

Timocratiæ porrò ſimilis eſt fratrum coniunctio. Sunt enim æquales, niſi ætate inter ſe diſtent. Quòd ſi longo ætatis interuallo diſiuncti fuerint, non amplius fit fraterna amicitia. Popularis autem ſtatus maximè locum habet in domicilijs, quæ domino carent, (ibi enim omnes exęquantur) & in quibus rector infirmus eſt, & cuique quod libet licet.

CAPVT XI.

Argumentum.

DVÆ *ſunt huius capitis dulciſſimæ ſententiæ, Vna de officio boni principis, quem comparat bono & fideli paſtori, cuius officia ſunt paſcere, gubernare &*

defendere gregem. Ideo Homerus appellat Agamemnonem pastorem populorum.

Altera est de communi fœdere omnium hominum inter se. Etsi enim necesse est gradus personarum distinctos esse: tamen omnes homines habẽt quoddam commune fœdus inter se, vt quanquam Samaritanus nihil debet viatori spoliato & vulnerato, ciuili obligatione: tamen naturaliter cum eo copulatus est, & obligatus ad eum iuuandum, tutandum & conseruandum pro modo facultatũ. Præclarè ergo Augustinus epistola 121. Nemo est, inquit, in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua charitate, pro ipsa tamen communis naturæ societate debeatur.

TEXTVS.

IN singulis autem formis Reip. amicitia conspicitur pro modo iuris & iustitiæ. Ac rex quidem eos, quibus cum imperio præest, amplitudine [a] beneficiorum superat. Bene enim de subditis meretur, & si bonus est, nihil magis curat, quàm vt floreant perinde ac ouiũ pastor. Ideo etiã Homerus Agamemnonem pastorẽ populorum appellat. Talis est

[a] Plutarchus in vita Thesei: ἄναξ generale nomen erat omniũ regũ, quòd custodirent summa cura & diligentia salutẽ eorum, quibus præessent. Et Aristoteles scribẽs ad Alexandrũ hortatur eum, vt cogitet, à Deo regnum ipsi datum esse ad benefa-

etiam

etiam paterna amicitia, nisi quod à regia differt magnitudine beneficiorum. Est enim principium & fons non solùm vitæ, qua homini nihil maius aut melius videtur, sed etiam nutritionis & disciplinæ, quæ maioribus rectè attribuuntur. Natura igitur præest pater filijs, & maiores posteris, & rex subditis. Hæ autem amicitiæ in excellentia sunt. Ideo etiam parentes honore afficiuntur, & ius est inter hos non idem, sed pro dignitate. Sic etiam fit amicitia.

ciendũ generi humano, πρὸς εὐεργεσίαν, καὶ πρὸς ὕβριν.

Inter maritum verò & vxorem talis amicitia est, qualis solet esse in aristocratia. Nam virtus eam moderatur, quæ meliori plus boni tribuit, & vnicuiq; conuenientia assignat. Id enim ratio iustitiæ postulat.

At verò fratrum amicitia sociali similis est. Sunt enim æquales & ætate coniuncti. Tales autem paria studia, & pares mores sequuntur. Proximè igitur accedit ad similitudinem timocratiæ, in qua ciues volunt æquales esse & boni, ideoque per vices imperare seruata æqualitate. Eadem quoque ratio amicitiæ est.

In corruptelis autem sicut iustitiæ non multum loci relinquitur, ita etiam amicitia exigua est, & omnium minima in pessima. In

ma. In tyrãnide enim aut nulla, aut langui-da [*b*] amicitia eſt. Vbi enim nihil commune eſt ſuperiori & inferiori, ibi nihil loci habet amicitia, aut iuſtitia, ſed talis affectio eſt, qualis opificis erga inſtrumentum, aut animæ erga corpus, aut domini erga ſeruum. Proſunt autem hæc ijs, à quibus vſurpantur. Sed neque amicitia eſt inanimata, neq; iuſtitia vt erga equum aut bouem. Imò ne quidem erga ſeruum, quatenus eſt ſeruili conditione. Nihil enim commune habet, quia ſeruus eſt animatum inſtrumentum, ſicut inſtrumentum eſt quaſi inanimatus ſeruus. Quatenus igitur ſeruus eſt, non eſt erga eum amicitia, ſed quatenus homo. Videtur enim omnibus hominibus ius quoddam eſſe erga alios homines, qui legis ac pacti participes eſſe poſſunt. Ergo & amicitia quatenus homo eſt. Parum vero amicitiæ & iuris in tyrannico ſtatu reperitur. In populari autem ſtatu plurimum. Cùm enim ſint æquales, multa habent communia.

[b] Plato venuſtiſſimè dixit, ſibi cum Dionyſio non veram amicitiam, ſed μικροφιλίαν eſſe.

CAP.

CAPVT XII.

Argumentum.

VT CICERO *in primo de Legibus sapientissimè dixit, Primam esse homini cum Deo societatem: sic Aristoteles hoc loco inquit, amicitiam esse inter Deum & homines talem, qualis est inter parentes & liberos. Accipiunt autem liberi à Deo & parentibus hæc maxima beneficia, scilicet generationem, educationem, & institutionē, quæ complectitur doctrinam & disciplinam. Postea de fine coniugij addit, coniugium non tantùm procreationis causa, sed etiam propter alios vitæ vsus necessarium esse. Nos in Ecclesia alios fines principales coniugij constituimus, ac dicimus coniugium à Deo ordinatum esse, vt agnoscamus ipsum esse mentem castam, & ei in castitate seruiamus, & vt hoc modo propagato genere humano colligatur Deo æterna Ecclesia. Est enim societas in coniugio principium & quasi seminarium Ecclesiæ & Reipublicæ.*

TEXTVS.

IN communicatione igitur omnis amicitia consistit, sicut sæpe dictum est. Rectè autem discernitur cognatio à societate. Nam ciuium, & tribulum, & sociorum nauigationis amicitiæ, & quæ sunt ex eodem genere similiores

liores ſunt ijs, quæ in communione verſantur. Conſenſu enim contrahi videntur. Ad hanc claſſem etiam hoſpitalis amicitia referenda eſt.

Cognatorum verò amicitia videtur non vnius modi eſſe & ſimplex, ſed varia & multiplex, & tamẽ tota pendere ex paterna. Nam parentes naturali [a] beneuolentia complectuntur natos tanquam partem ſuæ naturæ.

[a] στοργαὶ ſunt boni affectus per ſe, etiamſi propter naturæ deprauationẽ aliquid habent contagij. Nam Deus ita condidit corda humana, vt mirabili quodam & naturali incendio ament cognatos tanquam ſuæ naturæ partem. Quare Deus hos affectus in nobis approbat, & vult vt maritus amet coniugem, parentes ament natos, frater fratrem, affectus beneficio benefactorem, vult homines talibus vinculis inter ſeſe coniunctos & conſociatos eſſe. Vt enim dici ſolet, Bonum natura ſui conſeruatiuum & congregatiuum & communicatiuum eſſe: Ita Deus & verè amans eſt congregationis & communicationis beneficiorum. Vult homines inter ſe multis vinculis copulatos eſſe, coniugio, amore erga natos, tanquam erga partem propriæ naturæ, cura educandi natos, communicatione beneficiorum, intellectu iuſtitiæ, quæ pro beneficijs iubet viciſsim beneficia reddere. Et his vinculis & hac communicatione vult conſeruari naturam. Ita cauſa conſpicitur, cur impreſſæ ſint hominibus στοργαί.

Nati verò amant parentes, quia ab illis orti

&

& propagati sunt. Sed tamen parentes magis norunt filios ex se procreatos esse, quàm filij se ab illis originem ducere, & arctior copulatio est gignentis cum genito, quàm geniti cũ gignente. Quod enim ab altero oritur, proximum est ei ex quo est, vt dens vel pilus, aut quiduis habenti. Illorum verò nulli id ex quo est vel minus, idq; etiam progressu longi temporis. Hi enim liberos simul atq; in lucem editi sunt, diligunt. Illi verò progressu temporis parentes, postquam intelligentiam aut sensum adepti sunt. Hinc quoq; perspicuum est, cur matres ardentius diligant liberos. Parentes igitur liberos amant tanquam seipsos. Qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi & tamen separati. Filij verò parentes tanquam ab illis procreati.

Cæterùm inter fratres mutuus amor est, quia ex eisdem nati sunt. Nam quia illis cohærent, etiam inter se cohærent. Ideo dicere solemus, fratres esse eundem sanguinē & radicem, & quæ in eandem sententiam dicuntur. Sunt igitur idem quodam modo in distinctis.

Multum verò prodest ad amicitiam educationis & ætatis coniunctio. Æqualis enim æqualem delectat, & conuersatio parit societatem. Ideo etiam fraterna sociali valde similis est. Patrueles item & reliqui cognati necessitudine inter se deuincti sunt, quia ab ijsdem

ijſdem principium ortus ſui habent. Quò autem propius vel longius abſunt à prima ſtirpe, eò plus vel minus coniunctionis inter ſe habent.

Eſt verò liberis amicitia erga parentes, & hominibus erga Deos tanquam erga bonum, & quidem excellens. Maxima enim beneficia liberis præſtant. Sunt enim liberis cauſæ generationis, & nutritionis & inſtitutionis. Habet autem talis amicitia tantò maiorem ſuauitatem & vtilitatem, quàm alienorum, quantò vita inter ipſos communior eſt.

Sunt item in fraterna ea, quæ & in ſociali, & magis inter probos & omnino ſimiles. Ac quantò coniunctiores ſunt inde vſq; à natiuitate, tantò maior vis eſt amoris, quam quidem auget ſimilitudo morum & educationis atque diſciplinæ. Deniq; exploratio quæ fit per tempus, maxima & firmiſsima eſt. Eadem quoque ratio in amore aliorum cognatorum valet.

Porrò inter maritum & vxorem amicitia videtur ab ipſa natura conſtituta eſſe. Homo enim propenſior eſt ad coniugium quàm ad politicam ſocietatem, quia prior & magis neceſſaria eſt domus quàm ciuitas, & ſobolis procreatio omnibus animalibus communis eſt. Ac cæteris quidem animalibus huic vnicum fructum vtriuſq; ſexus copulatio affert. Homi-

Homines verò non tantùm procreandæ ſobolis cauſa coniunguntur, ſed etiam propter multa officia in vita, quæ quidem ita à natura diſtributa ſunt, vt alia maſculino ſexui, alia fœmineo congruant. Tradunt ergo inter ſe mutuas operas, quando in commune ſua conferunt. Quare & vtilitas & ſuauitas in hac amicitia locum habere videtur. Colitur etiam virtutis cauſa, ſi probi ſint, (Eſt enim ſua cuique virtus attributa) & magna inde lætitia percipitur. Videntur autem liberi arctiſsimum vinculum eſſe amicitiæ coniugalis. Itaque qui nullos liberos ſuſcipiunt, facilius diſtrahuntur. Nam liberi ſunt commune bonum vtrique. Connectit autem commune. Quærere autem qua ratione & coniuges & cęteri amici vnà viuere debeant, perinde eſt ac ſi quæras, quæ ſit inter eos iuſtitiæ ratio. Non enim eadem videtur amico erga amicum, quæ eſt erga alienum & ſocium & condiſcipulum.

CAPVT XIII.

Argumentum.

TRADITVR *in hoc capite diſtinctio plena eruditionis de obligationibus. Alia eſt naturalis obligatio, quam ipſe nominat* ἠθικὴν, *alia ciuilis ſeu* νομικὴ.

 Natura-

Naturalis est, ad cuius officia præstanda Magistratus suis pœnis non cogit hominem, vt is qui accepit beneficium, vicißim debet animi gratitudinem obligatione naturali. Sed Magistratus non nisi in paucis gradibus punit ingratos. Alia est obligatio ciuilis, propter quam & magistratus cogit homines facere externas operas, aut dare res externas, pecuniã aut merces, iuxta præceptum, Non furtum facies. Differunt autem hæ species obligationis. Etsi enim vtraq; diuina est, tamen ciuilis obligatio cessat persoluto debito. Sed obligatio naturalis semper manet, quia præceptum de dilectione proximi æternum est.

TEXTVS.

CVm ergo triplex sit amicitia, sicut initiò dictum est, & in vnaquaque alij sint æquales, alij excellentes, (Nam & similiter boni fiũt amici, & melior deteriori, similiter etiam iucundi, & amici vtilitatis vel commoda pari mensura retribuunt vel impari) æqualibus quidem seruata æqualitate amor & reliqua officia tribuenda sunt, inæqualibus verò danda pars congruens ipsorum excellentiæ. Existunt autem accusationes & querelæ in amicitia, quam vtilitas constituit, vel sola, vel maximè propter probabilem rationem. Qui enim virtutis causa amicitiam colunt, ad exercendam inter se beneficentiam promti atq; expe-

expediti ſunt. Id enim virtutis & amicitiæ proprium eſt. Qui verò ad hunc finem contendunt, inter hos nihil loci habet accuſatio vel rixa. Nemo enim amanti & benefacienti iraſcitur, ſed ſi eſt vrbanus, gratiam referre ſtudet. Qui verò excedens rem optatam conſequitur, non ſolet accuſare amicum. Nam vterq; bonum appetit. Neq; verò in amicitijs, quas voluptas conciliat, querelæ vſitatæ ſunt. Simul enim ambobus præſtatur quod cupiunt, ſi conuictu gaudent. Eſſet enim ridiculus accuſans non delectantem, cùm liceat ei abſtinere à conuerſatione.

Quæ verò vtilitatem aucupatur, plena eſt accuſationum. Cùm enim emolumenti cauſa conſociati ſint, ſemper pluribus indigent, cumque minus ſe habere quàm par erat, exiſtiment, incipiunt eſſe queruli, quòd non tanta conſequantur, quanta vel indigentia ipſorum vel dignitas poſtulat. Qui verò benefaciunt, non poſſunt tot & tantas res ſuppeditare, quot & quantis hi, qui beneficium accipiunt, indigent.

Videtur autem, ſicut ius eſt duplex (aliud enim non ſcriptum eſt, aliud legibus ſancitũ) amicitia quoq; quæ vtilitatis comes eſt, aut moralis eſſe, aut legalis. Tunc igitur accuſationes potiſsimùm exiſtunt, cùm non ſecundum eandem contraxerunt & diſſoluunt. Eſt

autem legalis, quæ certis legibus definitur, altera quidem forensis de manu in manum, altera verò liberalior ad certum tempus, cum pacto, vt aliquid pro aliquo reddatur. In hac specie debitum manifestum est, & nullam parit controuersiam, & tamen amicam dilationem habet. Ideo apud quosdam de his non disceptatur coram iudice, sed acquiescendum putant in contractibus [a] bonæ fidei.

[a] Omnibus hominibus familiarissimè notum sit discrimen cõtractuum ex naturæ fontibus ortum, videlicet contractus alios dici bonæ fidei, alios stricti iuris. Contractus bonæ fidei sunt in quibus aliqua non nuncupata lingua, tamen propter æqualitatem debentur. Vnde hæc honestissima forma verborum apud veteres vsurpata est, Inter bonos bene agier, id est, præstet homo honestus ea, quæ communis ratio iudicat æqualia esse. Et sunt contractus benæ fidei, emtio, venditio, locatio, conductio, depositum, societas, pignus, commodatum.

Sed stricti iuris contractus dicuntur, in quibus tantùm nuncupata lingua debentur, vt in mutuo. Quia dans mutuò, cùm potuerit hoc officium omittere, nequaquam plus intelligitur velle & debere recipere, quàm quantum dedit, & sicut pactus est, nisi fuerit damno affectus.

Moralis verò non habet certas leges, sed quasi amico donat, aut quiduis alij, se tamen dignum iudicat, qui recipiat æquale aut plus, quasi non donarit, sed mutuum dederit. Si autem

autem ſolutio non ſit pro modo contractus, expoſtulabit. Hoc autem vſu venit, quia volunt quidem omnes, aut certè plæriq; honeſta, ſed tamen his anteponunt vtilia. Eſt enim honeſtum benefacere ſine ſpe compenſationis, vtile verò beneficium accipere. Qui igitur poteſt, rependat pro dignitate eorum quæ accepit, idque libenter (Nemo enim inuitus in amicitiam cooptandus eſt) quaſi hallucinatus ſit in principio, & acceperit ab eo, à quo minimè conueniebat. Non enim ab amico, atq; ab eo, qui propter ipſum id faceret. Quare ita ſoluendum erit, vt ſi iuxta certas leges beneficio affectus eſſet, & expreſſo pacto ſe obligaſſet ad poſsibilem retributionem. Ab eo autem qui non poteſt, benefactor nihil repoſcit. Itaq; reſtitutio neceſſaria eſt, ſi tamen [*b*] poſsibilis ſit.

[b] Alludit ad humaniſsimum Heſiodi præceptum, quod iubet vincere datum beneficium, ſi tamen poſsis. Sunt enim plurima, quæ compenſari non poſſunt externis officijs. Ibi maior animi beneuolentia & maius ſtudium reddi debet, vt Deo, parentibus, præceptoribus, Eccleſiæ, patriæ, & ijs qui de Rep. bene merentur.

Initiò autem conſiderandum eſt, à quo & cur aliquis beneficio afficiatur, vt in his perſeueret aut non. Exiſtit autem hoc loco dubitatio, vtrùm vtilitas eius qui accepit, debeat

esse mensura retributionis, an verò beneficium eius qui contulit. Qui enim acceperũt dicũt se talia à benefactoribus accepisse, quæ illis parua erant, & ab alijs accipere licebat, & hac oratione benefacta extenuãt. Illi verò contrà, quæ maxima erant apud se, & quæ ab alijs conferri non poterant, & quidem in periculis vel ad vsus necessarios. Cùm igitur amicitia vtilitatis respectu constituta sit, quæri solet, an commodum eius, qui beneficio affectus est, debeat esse mensura? Hic enim est is, qui indiget, & huic opitulatur tanquam recepturus æqualem compensationem. Tantum igitur fuit auxilium, quantum ei profuit. Ideo reddendum est ei, quantum consecutus est, vel etiam amplius. Id enim honestum est. In amicitijs autem virtute constitutis nihil loci habent accusationes, cùm eius electio, qui beneficium contulit, mensura sit. Nam virtutis ac morum præcipuum decus in electione consistit.

CAPVT XIIII.

Argumentum.

VNVM *est huius capitis dictum consideratione dignum. Etsi nemo potest parem gratiam Deo & parentibus referre pro maximis meritis, tamen laudanda est*

da est voluntas, quæ studet pro modo facultatum gratitudinis significationem ostendere.

TEXTVS.

DIssident etiam in amicitijs, quæ in excellentia sunt. Vult enim vterque plus habere. Quoties autem hoc fit, dissoluitur amicitia. Putat enim præstantior sibi plus conuenire, cùm bono plus tribuendum sit. Eodem modo etiam affectus est vtilior. Inutilem enim negant oportere æqua parte frui. Ministerium enim, non amicitiam esse, si non respondeant dignitati factorum, quæ ab amicitia proficiscuntur. Sicut enim in societate, in qua pecuniæ communicantur, plura accipiunt, qui plura contulerunt: ita existimant in amicitia faciendum esse. Indigens verò & inferior aliter sentit, videlicet, boni amici officium esse opitulari indigentibus. Quid enim, inquiunt, mihi prodesset amicitia boni viri aut potentis, si nullum ex ea fructum caperem? Videtur autem vtriusque postulatio æqua esse, & vtrique iure amicitiæ plus deberi, non tamen idem, sed excellenti quidem plus honoris, indigenti autem plus lucri. Nam virtutis & beneficētiæ præmium est honos. Indigentiæ verò præsidium est lucrum. Eadem quoq; in Rebuspublicis fieri videmus. Non enim honore afficitur, qui nihil boni

ad ornandam Remp. confert. Nam quod publicum eſt, datur ei qui de Rep. bene meretur. Eſt autem honor quiddam publicum. Non enim fieri poteſt, vt aliquis ſimul & lucrum & honorem ex Reip. adminiſtratione capiat. Nemo enim vult alijs cedere de omnium rerum poſſeſsione. Qui igitur minus habet pecuniæ, huic honorem tribuunt, amanti verò dona dant pecuniam. Quod enim pro dignitate fit, exæquat & conſeruat amicitiam, ſicut dictum eſt. Sic igitur etiam cum inæqualibus verſandum eſt, vt is qui pecunia vel virtute auctus eſt, honorem reddat pro modo facultatum. Quod enim fieri poteſt amicitia requirit, non quod dignitas. Neque enim in omnibus digna compenſatio locum habet, vt in honore qui Deo & parentibus habetur. Nemo enim referre his dignam gratiam poteſt. Qui autem tantum eis cultum adhibet, quantum ſcit & poteſt, is probus videtur. Ideo perſuaſum habent omnes, filio non licere patrem abdicare, patri verò filium licere. Qui enim debet, ad ſolutionem obligatus eſt. Nihil autem facere poteſt filius, quod paterna officia compenſet. Itaq; ſemper debet. Quibus autem debetur ſolutio, ijs integrum eſt aliquid de ſumma remittere. Igitur & patri. Quid, quòd nemo fortaſſe vnquam diſceſſurus ſit niſi ab eò, cuius immodica eſt prauitas?

uitas? Nam præter naturalem amicitiam subsidium non detrectare humanum est. Ei verò qui prauus est, nequaquam opitulandum est. Etsi enim plærique volunt beneficio affici, tamen beneficentiam tanquam inutilem fugiunt. Sed de his quidem hactenus dictum sit.

FINIS LIBRI OCTAVI Ethicorum.

LIBER NONVS ETHICORVM.

ARGVMENTVM.

PERTEXIT in hoc libro diſputationem de amicitia, & multas quæſtiones explicat pertinentes ad locum dulciſsimum de amicitia.

CAPVT I.

Argumentum.

HOC *caput magna ex parte repetitio eſt earum rerum, quas in libro octauo prolixè expoſuit. Vt autem ſuprà dixit, maiora eſſe in nos Dei & parentum merita, quàm vt compenſari poſsint: ita hoc loco verè amplificat præceptorum beneficia, quæ ait omnibus opibus antecellere. Nullum enim maius bonum eſt, vt Socrates apud Platonem inquit, quàm veræ & neceſſariæ doctrinæ communicatio.*

TEXTVS.

IN OMNIBVS amicitijs, quæ ſpecie diſsimiles ſunt, proportio exæquat & conſeruat amicitiam, vt dictum eſt. Sic etiam in ciuili ſocietate ſutori pro calceis compenſatio fit pro digni-

dignitate, itemque textori ac reliquis. Atque in his quidem contractibus comparata est communis mensura, videlicet nummus, ad quem omnia referuntur, & quo mensurantur. In amoribus verò interdum amator queritur, se amore ardentem non redamari, cùm fieri possit, vt nihil habeat amabile, sæpe item amatus hac querela vtitur, omnia sibi promissa esse, sed re ipsa nihil præstari. Talia autem accidunt, quando alter voluptatis causa diligit amatum, alter amatorem propter vtilitatem. Hæc verò ambobus non adsunt. Quare cùm propter hæc amicitia cõstituta sit, fit dissolutio, quoties non præstantur, quorum causa amabant. Non enim se amabant, sed instabilia, quæ in promptu erant. Ideo etiam tales sunt amicitiæ.

At morum amicitia, cùm per se sit, permanet, vt dictum est. Dissentiunt autem, cùm euentus appetitioni ipsorum nõ respondent. Perinde enim est ac si nihil fiat, quando aliquis rem optatam non consequitur, Vt cùm Citharœdo quidam promisisset, quantò melius caneret, tantò plura, & manè Citharœdus promissa repeteret, respondit promissor, se voluptatem pro voluptate reddidisse. Si igitur vterq; id voluisset, satisfactum promissioni fuisset. Si verò alter quæsiuit delectationem, alter lucrum, & ille quidem habet, hic

verò

verò non habet, communicatio violata eſt. Quibus enim indiget aliquis, in ea præcipuè intentus eſt, atque illius cauſa hæc dabit. Sed dignitatem æſtimare vtrius eſt? Eiúſne qui prius contulit, an eius qui prius accepit? Ille enim qui confert, ei videtur permittere, id quod aiunt Protagoram facere. Cùm enim doctrinam qualemcunque tradidiſſet, iuſsit diſcipulum æſtimatorem eſſe eorum quæ didiciſſet, & iuxta hanc æſtimationem præmium accepit. In talibus autem nonnunquam ſatis eſt illud, Merces detur viro. Qui verò prius accipiunt pecuniam, ac poſtea nihil præſtant eorum quæ polliciti ſunt, propter immodicas promiſsiones meritò accuſantur. Non enim promiſſa bona fide ſeruant. Atque hoc fortaſſe Sophiſtæ facere coguntur, quia nemo eis daret pecuniam, propter artes quas profitentur. Hi igitur cùm ea, pro quibus mercedem acceperunt, non faciant, in reprehenſionem iuſtam incurrunt. Vbi verò nulla fit pactio miniſterij, illos qui per ſe prius dant, à ſcelere liberatos eſſe dictum eſt, (huius enim amicitiæ virtus conciliatrix eſt.) & retributio ſecundum electionem facienda eſt. Ea enim amici & virtutis propria eſt.

Nec verò aliter de doctoribus philoſophiæ ſentiendum eſt. Non enim pecunia dignitas eorum æſtimatur, nec vnquam eis gratia

referri

referri poteſt, quanta debetur. Sed fortaſſe ſatis eſt, ſicut etiam erga Deos & parentes, ſi habeatur, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Quòd ſi donatio non talis fuerit, ſed propter aliquam rem, ea retributio facienda eſt, quæ vtrique parti ſatis digna eſſe videtur. Sin autem non contingit, non modò neceſsitas, ſed etiam ordo iuſtitiæ poſtulat, vt is ſit æſtimatot, qui prius habet. Quantam enim vtilitatem is ceperit, aut cuius loco voluptatem elegerit, ſi tantum ille receperit, dignam ab eo remunerationem habebit. Nam etiam in venalibus rebus ità fieri apparet. Apud quoſdam enim ſunt leges, quæ prohibent exerceri iudicia de contractibus voluntarijs, quòd oporteat, cui credidit, ita cum eo tranſigere, vt ſocietas inita eſt. Cui enim permiſſum eſt, iuſtius eſſe putat, vt is æſtimet, quàm qui permiſit. Multa enim non æquali precio æſtimant qui habent, & qui accipere volunt. Sua enim, & quæ dant ſingulis, digna multo precio videntur. Sed retributio tamen tanti fit, quantum ſtatuerunt accipientes. Oportet autem fortaſſe non tanti æſtimare, quanti æſtimandum alicui qui habet videtur, ſed quanti antequam haberet, æſtimabat.

CAPVT

CAPVT II.

Argumentum.

AGITAT *in hoc capite quæſtionem dignam conſideratione de metis obedientiæ filialis erga parentes. Complectitur autem Deus in quarto præcepto omnia officia liberorum erga parentes vna voce honoris, quã Siracides cap. 3. his verbis explicat: Qui timet Dominum honorat parentes, à quibus procreatus eſt, ſermone, opere, ac patientia. Meta verò obedientiæ obſeruetur ordinata in hac regula Prouerb. 24. Time Dominum fili mi, & Regem. Oportet enim Deo magis obedire quàm hominibus. Quare cùm mandata vel magiſtratuum vel parentum cum Decalogo pugnant, nequaquam eis obtemperandum eſt, vt præclarè Lycortas dux Achæorum apud Liuium lib. 9. Dec. 4. inquit: Veremur quidem vos Romani, & ſi ita vultis etiam timemus. Sed plus & veremur & timemus Deos immortales. Et Valentinianus imperator dixit: Debeo affectum parenti, ſed magis obſequium debeo ſalutis autori.*

TEXTVS

VOcantur autem & hæc in dubitationem, vtrùm patri omnia danda atque tribuenda ſint, & ſine exceptione ei obediendum ſit, an verò ægrotans medico debeat obtemperare, & imperator bellicæ rei peritus eligendus

gendus ſit. Item an amico magis quàm bono viro ſeruiendum ſit, & an benefactori potius referenda ſit gratia, quàm ſocio donandum, ſi vtriſque non liceat ſimul gratificari? Hæc igitur omnia accurratè explicare non eſt facile. Multas enim & varias habent differentias, ſiue magnitudinem & paruitatem, ſiue honeſtatem & neceſsitatem ſpectes. Non autem omnia vni tribuenda eſſe, perſpicuum eſt. Plærunque etiam beneficia potius compenſanda ſunt, quàm ſocijs gratificandum, & tanquam debitum creditori magis ſoluendum, quàm ſocio dandum. Fortaſſe autem non ſemper hoc faciendum eſt. Vt ſi quis redemtus à latronibus fuerit, vtrùm liberatorem [a] viciſſim redimere debeat, quicunque is tandem ſit, aut non capto quidem, ſed repetēti precium perſoluendum, an verò pater [b] redimendus ſit? Videtur enim patris liberationi potius quā noſtræ conſulendū eſſe.

[a] Narratur Marci cuiuſdam, qui præturam geſſerat, & Bruti partes ſecutus fuerat, inſignis gratitudo. Hic Marcus cùm poſt pugnam factam in campis Philippicis captus eſſet, ac inter ſeruos vēditus, emtus eſt à quodam Barbula, qui fuit amicus Antonij. Etſi autem Marcus erat ignotus Barbulæ, tamē ingenij vis, prudentia, moderatio morum digna viro nobili eluce-

elucebat. Quare eum Barbula in comitatu secum duxit, non vt seruum, sed vt amicum. Fortè igitur, cùm tandem Romam eum secum duxisset, ibi agnoscitur Marcus. Agnitum Barbula propter virtutem seruare cupit. Quare ei per Agrippam ab Augusto veniam impetrat, qua impetrata non solùm libertatem ei reddit, sed ipsum quoque restituit Reip. & honoribus. Venit enim Marcus in Augusti notitiam & familiaritatem.

Post Actiacam verò pugnam superato Antonio, mirabili casu Barbula inter victos venditus, emitur à Marci procuratore. Cùm autem aliquantò pòst ad Marcum adductus esset, mox agnoscitur. Memor igitur Marcus accepti beneficij, exponit Augusto quid acciderit, ac ostendit se necessariò deprecari pro Barbula, à quo antea seruatus sit. Laudat Augustus Marci officium, & propter virtutis admirationem dat veniam Barbulæ. Iam Marcus vicissim libertatem reddit Barbulæ, eúmque Reip. & honoribus restituit. Rara sunt hæc exempla, & multò plures sunt ingrati. Nec rarò accidit hoc, quod in Tragœdia quispiam queritur,

Men' seruasse, vt essent qui me perderent.

[b] Polemarchum captum ab hostibus redemit Antisthenes. Postea ab ijsdem hostibus capti sunt pater Polemarchi & Antisthenes. Quæro igitur, vter à Polemarcho potius redimẽdus sit? Respondeo, pater, iuxta versum Hesiodi, Nunquam facias amicum parem fratri. Eustratius.

Quod igitur dictum est debitum reddendum esse, id generalem habet sententiam. Sed si do-

ſi donatio aut honeſtate, aut neceſsitate excedat, ad hæc eſt declinandum. Interdum enim non poſtulat æqualitatis ratio, vt beneficium ab altero acceptum compenſemus. Nam ille in eum, quem probum eſſe norat, beneficium contulit. Qui verò ad retributionem obligatus eſt, benefactorem prauum eſſe exiſtimat. Sic etiam non omni, qui mutuum dedit, viciſsim mutuo dandum eſt. Ille enim ſperans ſe ſortem recepturum eſſe, mutuum dedit bono viro. Hic verò nihil ſperat ſe à prauo accepturum eſſe. Si igitur verè res ita ſe habet, non æqualis eſt dignitas. Sin autem aliter ſe res habet, & tamen ſic exiſtimant, nihil abſurdi facere videntur. Quod igitur ſæpe dictum eſt, diſputationes [c] de affectibus & de actionibus talem habent certitudinẽ, qualem res admittunt, in quibus verſantur. Quòd autem non eadẽ omnibus danda ſint, ac ne patri quidẽ, ſicut nec Ioui omnes res conſecrantur, minimè obſcurum eſt. Quia verò alia parentibus, & fratribus, & ſocijs, & benefactoribus ſingulis vi-

[c] Doctrina de moribus nõ aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinanda eſt. Vtilis eſt igitur regula, In Moralibus materijs ſufficit certitudo moralis, hoc eſt, nõ eſt exactiſſima ratio vbiq; quærenda. Sed de hac ſententia plura dicta ſunt lib.1.Ethic.cap.3.

delicet accommodata & congruentia tribuenda sunt, ita etiam facere videntur. Etenim ad nuptias vitant cognatos. His in enim commune genus est, ideoq; in tali negocio communes sunt actiones. Et ad sponsalia maximè putant conuenire debere cognatos propter eandem causam.

Sumus etiam obligati ad alendos [*d*] parentes, si victus quotidiani inopia laborent, & quidem honestius est, ijs à quibus orti sumus, quàm nobisipsis opitulari. Honor quoque habendus est parentibus sicut, & Dijs, non tamen omnis.

[d] Aristophanes in Auibus:

Sed est & nobis auibus hæc antiqua lex
Descripta in legum tabulis, quas Ciconiæ
Habent. paruas nam cùm pater Ciconias
Nutriuit, & iam factæ sunt volatiles,
Oportet natos hanc referre gratiam
Parentibus, vt senes vicißim nutriant.

Neq; enim patri & matri eum habemus, qui conuenit sapiẽti & duci, sed paternum & maternum. Omni item seniori honos [*e*] debetur pro ætate assurgendo & loco cedendo, & similibus signis externis. Socijs item & fratribus cõcedenda est linguæ libertas

[e] Honor est notitia approbans aliquid propter mandatum Dei, & diligere illud iuxta ordinem à Deo sancitum. Hæc notitia & approbatio in mente, & in voluntate dilectio & subiectio & omni-

ſunt propriè honos. Deinde, ſigna externa honoris quæ ſint, notum eſt, vt flectere genua, ſignificat ſubiectionem ſui in voluntate.

& omnium rerum cō-munio. Danda eſt etiam opera, vt cognatis & tribulibus, & ciuibus, & reliquis omnibus conuenientia aſſignemus, & iudicemus, quæ in vnoquoque inſit vel coniunctio, vel virtus, vel vſus. Ac facile quidem iudicium eſt de ijs, qui agnatione tenentur. Difficilius verò eſt de alijs. Neque tamen difficultas nos deterrere debet, quò minus hæc, quantum fieri poteſt, explicemus.

CAPVT III.

Argumentum.

QVÆRIT *Ariſtoteles, an & cur amicitiæ diſſoluendæ ſint? De hac quæſtione reſpondet per diſtinctionem. Amicitiæ quarum nerui atq; artus ſunt vtilitates aut ſuauitates, poſſunt ſine reprehēſione diſſolui ceſſantibus cauſis propter quas coluntur, iuxta regulam: Remota cauſa remouetur effectus. Amicitiæ verò* ἠθικαὶ *in duobus duntaxat caſibus honeſtè diſſoluũtur, aut cùm altera perſona degenerat, aut cùm inter gradus virtutis non manet proportio. De priori caſu verum eſt dictum, Simile ſimili amicũ eſt. Nulla eſt autem ſimilitudo inter virtutem & malitiam. De altero valet regula: Inter agens & patiens oportet eſſe æqua-*

litatem. Malè enim inæquales veniunt ad aratra iuuenci. Et senex apud Plautum in Aulularia negat, se asinum rectè iungi posse boui, & addit, Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid diuortij fiat. Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boues transcendere.

Porrò nihil in hoc capite dulcius est quàm sententia de pœna perfidiæ in amicitia. Monetam deprauare capitale scelus est. Ergo multò magis debebat capitale esse fallere per amici nomen, quia amicitia est res sancta.

TEXTVS.

EXistit etiam dubitatio de amicitijs dissoluendis aut non, cum ijs qui non permanent, an cum ijs qui vtilitatis vel suauitatis causa amici sunt, cùm non amplius ea habent, dissolui absurdum nihil est? Illorum enim erant amici, quibus deficientibus, consentaneum est vt non ament. Iustè autem reprehenditur, qui cùm fuerit amicus vtilitatis aut suauitatis, tamen simulauit se amicitiam virtutis causa coluisse. Quod enim initiò diximus, multæ dissensiones inter amicos existunt, quoties opinio de amicitia à re ipsa atque à veritate distat. Si igitur deceptus fuerit existimans se propter mores diligi, cùm ille nihil tale faciat, seipsum accuset. Sin autem illius simulatione deceptus fuerit, impostor accusatione dignus est, & quidē magis quàm depra-

deprauans monetam, quantò in re præstantiore maleficium est.

At si receperit vt bonum, fiat autem prauus, aut videatur, num deinceps amandus est? An fieri non potest, quia non omnis res est amabilis, sed tantùm bona? Neque verò res praua amanda est. Non enim decet praui amantem esse, neque prauo fieri similem. Dictum est autem, simile [a] simili amicum esse. Nunquid verò statim dissolutio facienda est? An verò non cum omnibus, sed cum ijs duntaxat, quorum malitia insanabilis est. Quorum autem prauitas corrigi atque emendari potest, horum mores magis subleuandi sunt quàm facultates. Id enim præstabilus est & amicitiæ accommodatius. Videtur autem dissoluens [b] amicitiam nihil absurdi facere. Nō enim huic aut tali amicus erat. Quare cùm mutatum non possit seruare, ab eo discedit.

[a] Cicero in Lælio: Nihil est appetentius similium sui, nihil rapacius, quàm natura.

[b] Cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defecerit. Item, Dispares mores disparia studia sequuntur, quorū dissimilitudo dissociat amicitias. Cic. in Lælio.

At verò si alter in eodem statu maneat, alter verò melior euaserit, & longè præstet virtute,

vtrùm eius amicitia vtendum erit, an id fieri nequit? Longo autem interuallo interiecto id magis perſpicuum eſt, vt in amicitijs, quæ ab ineunte ætate conſtitutæ ſunt. Si enim alter maneat ingenio puer, alter ſit vir præſtantiſsimus, quomodo poſſunt inter ſe eſſe amici, cùm ijſdem rebus nec delectentur, neque gaudeant & doleant? Neque enim hæc inter ipſos mutua erunt. Sine his verò amici eſſe nequeunt, ac ne ſimul quidem viuere. Sed de his dictum eſt. Num autem nihilo alienius ſe gerere debet erga ipſum, ac ſi nunquam fuiſſet amicus? An priſtinæ conſuetudinis memoria conſeruanda eſt? Et quemadmodum amicis magis quàm externis gratificandum eſſe exiſtimamus, ita etiam veteribus amicis aliquid dandum eſt propter vetuſtatem amicitię, pręſertim ſi non propter immoderatam prauitatem hoc fœdus diſſolutum ſit.

CAPVT IIII.

Argumentum.

AGITAT *hoc loco Ariſtoteles quæſtionem, qui fines & quaſi termini diligendi in amicitia conſtituẽdi ſint? Etſi autem Cicero in Lælio non probat hanc ſententiam, vt quemadmodum in ſe quiſq; ſic in amicum ſit animatus: tamen ego Ariſtoteli prorſus aſſentior, quia lex diuina dicit, Dilige proximum ſicut teipſum*

ipsum. Et primus quidem ordo hominis ad Deum refertur, alter ad nosipsos, tertius ad proximum.

Hac principali quæstione considerata, postea flosculi quidã fragrantes ex hoc capite decerpantur, vt amici descriptiones, & dictum insigne de virtute, quã ait esse optimam mensurã omnium actionum. Non enim possunt de singulis casibus præcepta tradi, sed satis est consilia & actiones dirigi ad normam virtutis. Item, Bonum est virtute præditum viuere. Hoc dictum opponatur Sileni responso, Optimum est homini non nasci, aut quàm celerrimè mori. At nos quidem in Ecclesia de vasis iræ Dei probamus Sileni dictum. Talium enim natiuitas mala est, vita peior, mors pessima, vt ait Bernardus. Sed de vasis misericordiæ illud Psalmi vsurpamus, Non morior, sed viuam, & narrabo opera Domini. Est enim hæc vita à Deo petenda, non vt fruamur voluptatibus, sed primùm vt discamus Deum verè agnoscere & inuocare. Deinde, vt inter ærumnas vitæ exerceatur inuocatio. Postremò, vt nostra voce & literis ad posteros pura Euangelij doctrina fideliter transmittatur & propagetur. Item, Is est amicus, qui est tanquam alter idem. Item, Quòd nullus malus sibijpsi amicus sit, sed potius hostis atq; inimicus. Nam multa appetit pestifera sibi atq; alijs exitialia, & vel ignauia vel timiditate multa omittit salutaria publicè & priuatim. Cùm autem dolores conscientiæ incipit sentire, seipsum odit ac detestatur, ac interdum vt Iudas necem sibi consciscit. Quare cùm mali nihil in se habeant amabile, non possunt seipsos diligere.

Comparat præterea dißidium mentis & appetitionum seditioni & spasmo seu neruorum conuulsioni. Vt enim nerui conuulsi præter naturam mouentur, & agitationes habent inuoluntarias, sic furores appetitionum secum rapiunt voluntatem, & de suo gradu deijciunt. In fine additur παραίνεσις *de fugienda malitia & appetenda virtute.*

TEXTVS.

OFficia verò erga amicos, & fines ac termini amicitiæ æstimantur ex ijs, quæ vnusquisque sibi præstat. Ita enim censent, itáque differunt, eum esse amicum, qui velit & agat bona, aut quæ apparent illius causa, aut qui velit esse & viuere amicum ipsius causa. Quare matres erga filios afficiuntur, & ex amicis ij qui offensi sunt. Alij verò affirmant eum esse amicum, qui vnà versetur & eadem eligat, aut socius [a] sit ægritudinis & lætitiæ amici. Maximè verò hoc in matribus conspici potest. Ideo ex horum aliquo definitionem amicitiæ sumunt. Erga se verò horum vnumquodque probo inest. Cæteris autem quatenus tales se esse existimant. Videtur enim, vt dictum est, mensura vnicuique virtus & probitas esse.

[a] Cicero 1. de Finibus: Nam & lætamur amicorũ lætitia æquè atq; nostra, & pariter dolemus angoribus.

Hic

Hic enim ſecum ipſe conſentit, & eadem appetit omnibus animæ viribus, & vult ſibijpſi bona & apparentia, eademq; agit. Eſt enim boni bonum perficere, & quidem ſuijpſius cauſa, vel vt verius dicam, mentis cauſa, quæ eſſe vnuſquiſq; videtur. Vult etiam ſe viuere & incolumem manere, & maximè id quo ſapit. Eſt enim bonum, vt probus ſit ſuperſtes. Vnuſquiſque autem ſibi vult bona. Factus verò alius, nemo vult illud quod factum eſt, omnes habere. Habet enim etiam nunc Deus bonum, & tamen manet in ſua natura, qualiſcunq; eſt. Vnuſquiſq; verò id quod intelligit, eſſe videtur vel maximè. Ac talis ſecum degere vult, cùm id ſuauiter faciat. Nam & factorum ſuaues ſunt recordationes, [*b*] & bonæ ſpes de futuris.

[b] Si conſcientia optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu & ſumma cum honeſtate viueremus. Cicero pro Cluentio. Teneatur etiam dulciſsimum dictum Nazianzeni: Nihil exhilarat nos ita, vt conſcientia pura, & ſpes bona.

Tales autem ſunt iucundæ. Præterea mens ipſius abundat contemplationum varietate & copia, & maximè ſentit ſuos dolores & lætitias. Idem enim ſemper moleſtum & iucundum eſt, & non aliàs aliud. Eſt enim expers pœnitentiæ, vt ita dicam. Cùm igitur erga

ſeipſum vnumquodq; horum inſit probo, & non aliter erga amicum, quàm erga ſeipſum affectus ſit, (Eſt enim amicus tanquam alter idem) amicitia quoque horum aliquid eſſe videtur, & amici quibus inſunt. Vtrùm verò erga ſeipſum amicitia ſit an non, in præſentia relinquatur. Videtur autem eatenus eſſe amicitia, quatenus duo vel plura ſunt ex ijs, quæ dicta ſunt, & quia exceſſus amicitiæ ſimilis eſt ei, quæ erga ſeipſum eſt. Videntur etiam dicta multis ineſſe, quamuis praui ſint. Nunquid tamen quatenus ſibi placent, proboſque ſe eſſe exiſtimant, eatenus participes illorum ſunt? Nam eorum, qui ſunt in quarto actu improbitatis & conſceleratorum nemini hæc inſunt, ac ne quidem ineſſe apparent, fortaſſe etiam nec prauis inſunt. Diſsident enim à ſeipſis, & alia quidem appetunt, alia autem volunt, ſicut incontinentes. Nam pro ijs, quæ ſibi bona eſſe videntur, eligunt ſuauia cum pernicie coniuncta. Alij verò timiditate & ignauia omittunt actiones, quas putant ſibi optimas eſſe. Qui verò ſe multis flagitijs contaminarunt, non ſolùm propter improbitatem in odio ſunt, ſed etiam fugiunt [c] vitam, & ſibi necem cõſciſcunt. Ac quærunt improbi quibus cum vitam

[c] Suetonius de Nerone cap. 34. Neq; tamen ſceleris conſcientiam, quanquam & tranſi-

transfigant, & seipsos fugiunt. Recordantur enim multorum & atrocium, & alia huiusmodi sperant, cùm soli sunt, sed cum alijs versantes obliuiscuntur. Quare cùm nihil amabile in se habeât, amicè erga seipsos nullo modo afficiuntur, neque tales secum vel lætantur vel dolent. Nam animus ipsorum seditione agitatur, ac pars quidem vna propter prauitatemdolet, abstinens à quibusdam, altera verò delectatur, & illa huc, hæc illuc trahit, tanquam in neruorum cõuulsione. Et quoniam fieri nequit, vt aliquis simul & doleat & lætetur, paulò pòst dolet, quia lætatus est, ac vellet ea sibi non fuisse lætitiæ. Improbi enim pœnitentia pleni sunt. Quamobrem prauus videtur ne quidem erga seipsum amicè affici, cùm nihil in se amabile habeat. Quòd si ita constitutum esse summa miseria est, omni contentione prauitas fugienda est, & opera dãda, vt probi simus. Ita enim fiet, vt & erga nosipsos amicè afficiamur, & aliorum amici esse possimus.

militum & Senatus & populi gratulationib. cõfirmaretur, aut statim aut vnquã postea ferre potuit, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tędis ardẽtibus. Quin & facto per magos sacrò euocare manes & exorare tentauit.

CAP.

CAPVT V.

Argumentum.

DISCERNIT *beneuolentiam ab amicitia, amore & gratitudine. Ac primum discrimen inter beneuolentiam & amicitiam quod à notitia sumitur, suprà aliquoties repetitum est, quòd videlicet amicitia tantùm versetur inter homines notos, beneuolentia verò eos etiam complectamur, quos nunquam vidimus.*

Alterum discrimen amicitiæ & amoris breuiter comprehendi potest. Primùm enim amicitia nec intẽditur nec remittitur. Amor autem crescit & decrescit, vt Ouidius inquit,

Intrat amor mentes vsu, dediscitur vsu.

Deinde amor oritur ex conuersatione certi temporis. Beneuolentia interdum subitò in animis existit. Tertiò beneuolentia etsi non est ipsa amicitia, tamen principium & fons est amicitiæ. Vt enim amor ex visu oritur, sic amicitia ex fonte beneuolentiæ hauritur. Ac vt phlegma tandem fit sanguis, sic beneuolentia diuturnitate temporis vertitur in amicitiam, & eam quidem quæ inter bonos versatur sine respectu vtilitatis aut voluptatis. Postremò, differt beneuolentia à gratitudine, quia gratitudo est species iustitiæ reddens pro accepto beneficio gratiam. At beneuolentia virtutisc ausa bene vult alteri.

TEX-

TEXTVS.

ETſi autem beneuolentia quandam habet ſimilitudinem & cognationem cum amicitia, tamen non eſt amicitia. Exiſtit enim beneuolentia etiam erga ignotos, & latere poteſt. Amicitia verò minimè, ſicut ſuprà dictum eſt. Sed neque amor eſt. Non enim habet incrementa, nec appetitionem. Hæc autem amorem comitari ſolent. Ac amor quidem oritur ex conſuetudine, beneuolentia verò interdum ſubitò exiſtit, vt in ſocijs certaminum videre licet. Complectuntur enim ſe mutua beneuolentia, & voluntatibus coniuncti ſunt. Si enim abſque hoc eſſet, nihil ſimul agerent. Sed vt dixi, ſubitò fiunt beneuoli, & leuius diligunt. Videtur autem principium amicitiæ eſſe, ſicut amoris voluptas quæ ex aſpectu percipitur. Nemo enim amat niſi formæ ſpectator fuerit. Qui verò forma delectatur, non ſtatim amat, ſed quando & abſentem deſiderat, & præſentiam expetit. Sic etiam amici eſſe non poſſunt, niſi prius iacto fundamento beneuolentiæ. Beneuoli verò non propterea amant. Etſi enim volunt bene eſſe ijs, quos beneuolentia complectuntur, tamen non ſunt ſocij actionum, nec moleſtias pro ipſis ſuſtinent. Quare per tranſlationem appellari poteſt ignaua amicitia, quæ ſi longi

longi temporis consuetudine confirmata fuerit, fit amicitia, non propter vtilitatem, nec propter suauitatem. Neque enim beneuolentia ex his causis oritur. Nam qui beneficio est affectus, pro ijs quæ accepit reddens beneuolentiam, iustè facit. Qui autem vult aliquem florere, expectans ab eo vtilitatem, non videtur illi, sed potius sibi bene velle, sicut nec amicus esse, si colit ipsum propter aliquod commodum. Omnino autem beneuolentiæ virtus & probitas conciliatrix est, cùm honestus aliquis apparuerit, aut fortis, aut tale aliquid, sicut & de socijs certaminum diximus.

CAPVT VI.

Argumentum.

CONCORDIA *est cognata amicitiæ, & tamen differt à congruentia opinionum. Nam & hostes & ignoti possunt consentientes habere opiniones de rebus cœlestibus & alijs. Sunt igitur obiecta concordiæ non speculabilia, sed practica, & quidem cōmoda magna, quibus vniuersæ Reip. salus continetur. Quamobrem non ineptè aliquis concordiam appellabit politicam amicitiam. Differunt etiam concordia & opinionum congruentia subiectis, quia concordia tantùm cadit in bonos, quorum voluntates sunt constantes. Inter malos*

malos verò qui sunt Euripo similes, nulla potest esse cõcordia, quia & secum & cum alijs pugnant, iuxta illud, Bonum est conseruatiuum & congregatiuum. Malum aũt destructiuum & dißipatiuum sui & aliorum.

TEXTVS.

Concordia etiam amicitiæ cognata esse videtur, quæ tamen non est opinionum congruentia. Hæc enim etiam inter ignotos locum habet. Neq; verò quarumcunq; rerum consensio concordia appellanda est, vt verbi causa, rerum cœlestium, (Non enim consensus de his rebus amicitiam conciliat) sed ciuitates concordes esse putant, quoties de rebus vtilibus intèr se consentiunt, & eadem eligunt, & publica decreta exequuntur. De rebus igitur agendis consentiunt, & quidem magnis, & quæ possunt vtrisque inesse vel omnibus, vt quando omnibus ciuitatibus placet, magistratus eligendos esse, aut iungendam societatem cum Lacedæmonijs, aut præesse cum imperio Pittacum, si modò & ipse velit. Cùm autem vterque seipsum vult, vt in Phœnißis, [a] seditiones existunt. Cõsentire autem non est idem in animo habere vtrunq;, quicquid tã-

[a] Phœnissæ tragœdia Euripidis, in qua filij OEdipi de regno inter se dimicant.

dem

dem illud ſit, ſed in eadem re ſententias coniungere, vt cùm & populus & probi volunt optimos imperare. Sic enim omnes conſequuntur, quod appetunt. Videtur autem ciuilis amicitia eſſe concordia, ſicut etiam appellatur. Verſatur enim circa res vtiles & ad vitam pertinentes. Eſt autem talis concordia inter probos viros, qui & ſecum conſentiunt, & cum alijs, quia ſemper in eodem ſunt, vt ita dicam. Talium enim voluntates conſtantes ſunt, nec Euripi [*b*] fluxum imitantur. Volunt autem iuſta & vtilia, & hæc Reip. cauſa appetunt.

[b] Liuius lib. 8. Dec. 3. Fretum ipſius Euripi, nõ ſepties die, ſicut fama fert, tẽporibus ſtatis reciprocat, ſed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verſo mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur. Ita nec nocte nec die quies nauibus datur. Et AEſchines in oratione contra Cteſiphontem dicit de tyranno Eubœæ Cillia, fuiſſe eum mutabiliorem Euripo, cui vicinus fuit.

Nec verò fieri poteſt, vt praui ſint concordes, niſi ad breue & exiguum tempus, ſicut etiam amici eſſe nequeunt, cùm in rebus vtilibus plus quàm par eſt appetant, in laboribus ac miniſterijs ſint ignaui. Cùm autem vnuſquiſque hoc vult, proximum accerrimè contemplatur & impetit. Niſi enim tueantur quod commune eſt, perit. Accidit igitur

vt ſe-

vt ſeditionibus concutiantur, cùm alij alijs neceſsitatem imponant, ipſi verò iuſta facere recuſent.

CAPVT VII.

Argumentum.

QVÆSTIO hoc loco agitatur, cur benefactores magis diligant eos, qui beneficio affecti ſunt quàm contrà. De hac quæſtione Epicharmus reſpondet, propoſita ſimilitudine de creditore & debitore. Vt enim debitor fugit ac reformidat eum cui debet, ſic is qui beneficium accepit, cùm intelligat ſe ad referendam gratiam obligatum eſſe, negligit benefactorem. Eſt autem prior pars huius imaginis diligenter conſideranda propter accommodationem ad hiſtoriam, quæ extat Lucæ 7. Vt enim in debitore naturalis fuga eſt creditoris: ita in nobis non poteſt exiſtere dilectio Dei, niſi prius accepta remiſsione debitorum ſeu peccatorum.

Sed Ariſtoteles alias cauſas affert, cur benefactor magis amet beneficio affectum, quàm cōtrà. Prior eſt: Quia omnis cauſa magis amat effectum, quàm effectus cauſam, vt oſtendunt exempla artificū & poëtarum, qui opera ſua tanquam filiolas oſculantur. Eſt autem benefactor cauſa ſalutis alteri. Ergo benefactor maiore ϛοργῇ *complectitur beneficio affectum, quàm contrà.*

Altera cauſa eſt: Quia omne arduum & difficile magis diligitur, quàm quod nullo negocio cōparatur,

vt opes proprio labore partæ magis amantur, quàm à parentibus relictæ. Et matres ardentius amant liberos quàm patres, non solùm quia plures molestias & difficultates in partu & in educatione sustinent, quàm mariti, sed etiam quia certò sciunt, sobolem esse suam. Est autē magna res alijs benefacere, præsertim sine spe vtilitatis. Contrà verò in accipiendo beneficio omnia sunt plena voluptatis & fructus. Quare non est mirandum, benefactores maiorem vim amoris sentire, quàm beneficio affectos. Deniq; vt ardentior est φιλοστοργία parentum erga liberos, quàm liberorum erga parentes, iuxta peruulgatum dictum, Flammæ ignis ascendunt, flammæ amoris descendunt: ita Deus qui est beneficus generiq; hominum amicus, in infinitum nos magis diligit, quàm à nobis diligitur.

TEXTVS.

BEnefactores videntur magis amare beneficio affectos, quàm affecti eos qui affecerunt. De hoc ergo, quia parum cum ratione congruit, disputari solet. Plærisque enim videtur, quòd hi debeant, illis debeatur. Quemadmodum igitur in mutatione debitores optant non esse superstites, à quibus mutuum acceperunt, dantes verò mutuum afficiuntur cura salutis debitorum: ita etiam benefactores cupiunt viuere beneficio affectos, tanquam recepturi gratiam, cùm quidem

dem hi non ſint ſolliciti de retributione. Atq; Epicharmus quidem fortaſſe diceret, ipſos talia pronunciare praua imaginatione faſcinatos. Sed eſſe hæc humana res videtur. Plæriq; [a] enim immemores ſunt, & malunt accipere quàm dare beneficium. Videtur autem cauſa propius ad naturã accedere, nec ſimilis eſſe contractui mutuationis. Non. n. eſt amor in illis, ſed votũ vt ſalui ſint ſolutionis cauſa. Benefactores verò amant [b] & diligunt beneficio affectos, etiamſi nullam ex eis vtilitatem, ſiue nunc ſiue deinceps capere poſsint.

Huius rei exemplum in artificibus videre licet. Omnes enim ſua opera magis diligunt, quàm diligerentur ab operibus, ſi animata

[a] Vetus gratia dormit, inquit Pindarus, & homines ſunt immemores. Sic Latinus poëta exclamat, O-*mnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benignè eſt.* Nam ingrati poſt acceptũ beneficium negligũt opitulatores, à quibus adiuti ſunt. Tu igitur ſi quos poteris, req; officioq; iuuabis, ſic tamen adiutos, ne meminiſſe putes.

[b] Quam differentiam Latini ponunt inter diligere & amare, eandem Greci quidam inter ἀγαπᾷν καὶ φιλεῖν. Eſt autem diligere remiſsius, amare ardentius, vt apud Ciceronem, Dolabellam antea diligebam, nunc amo. Et ad Brutum epiſtola prima: Clodius valde me diligit, ſeu vt ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat.

fierent. Maximè verò illuſtre exemplũ poëtæ [c] ſuppeditant. Ná poëmata ſua immodicè amant & ſuauiter complectuntur tanquam liberos. Eodem modo ſe res habet de benefactoribus. Quod enim beneficio affectum eſt, opus ipſius eſt. Id verò magis diligunt, quàm opus autorem. Huius autem rei cauſa eſt, quòd eſſe omnibus expetendum & amabile eſt. Sumus autem actu, viuendo ſcilicet atq; agendo. Qui igitur ad actum opus deducit, eſt aliquo modo. Ideo amat opus, ſicut & ipſum eſſe. At hoc naturale eſt. Quod enim potentia eſt, id actu declarat opus.

[c] Quàm gaudebat bello ſuo Punico Næuius? Quàm Truculẽto Plautus, quàm Pſeudolo? Cicero Catone.

Quid, quòd beneficio bonum eſt agendo antecellere, & lætari exemplis ſuarum actionum? Ei verò qui beneficium accepit, nihil præclarum eſt in benefactore, niſi id quod prodeſt. At id minus iucundum & amabile eſt. Iucunda verò præſentis rei actio eſt, & ſpes futuræ, & præteritæ memoria. At iucundiſsimum eſt, quod actu præſtatur, & ſimili modo amabile. Ei igitur qui fecit, opus manet. Nam honeſtum ad diuturnitatem ſtabile eſt. Ei verò qui beneficio affectus eſt, vtile euaneſcit. Ac memoria quidem honeſtorum conſiliorum atq; factorum iucunda eſt,

vtilium verò non admodum, aut minus. Expectatio autem aliter se habere videtur. Atque amor quidem actioni similis videtur, amari verò paßioni. Excellentes igitur in actione comitantur amare & amicabilia.

Præterea magno [d] labore parta omnes magis diligunt, sicut & nummi labore comparati magis amantur quàm relicti. Videtur autem beneficio affici à labore seiunctum esse, sicut conferre beneficium cum labore coniunctũ. Hanc ob causam matres quoque ardentius amant liberos, quàm patres. Plus enim laboris in generatione sustinent, & certius norunt sobolem esse suam. Idem etiam benefactoribus proprium esse videtur.

[d] Eadem sententia extat apud Basilium Homilia tertia de Operibus sex dierum: Quicquid magno labore partum est, id præcipuo quodam amore complecti, & solicitè custodire solemus. Quæ verò nullo negocio comparantur, eorum possesßionem non magnifacimus.

CAPVT VIII.

Argumentum.

HOC CAPVT *continet distinctionem de duplici* φιλαυτίᾳ. *Aliam ait esse dignam odio & reprehensione, quam Plato fontem appellat omnium delictorum*

in vita. Aliam dicit esse laudabilem, eam videlicet quæ non seruit errantibus cupiditatibus, sed tantùm quærit perfectionem mentis & voluntatis. Vt autem scientia rerum bonarum mentem perficit: sic virtus excellens maximè ornat voluntatem. Ac videtur Aristoteles alludere ad locum Hesiodi omnibus notissimum, de duplici contentione.

TEXTVS.

EXistit autem dubitatio, vtrùm aliquis seipsum maximè amare debeat, an alium quendam. Reprehenduntur enim sui amantes, & probri vice amor sui obijcitur. Et quidē prauus videtur sua causa omnia [a] agere, ac tantò magis, quantò improbior fuerit. Ideo incurrit in hanc reprehensionē, quòd nihil à seipso agat. Probus verò propter honestatem, quantoque melior fuerit, tantò maiorem & honestatis & amici rationem habebit, quasi rerum suarum oblitus. Dissentiunt autem ab his sermonibus ipsa facta, nec immeritò. Aiunt enim præcipuo amore complectendum esse præcipuum amicum. At præcipuus amicus est, qui ei cui bene cupit, vult bona illius causa, etiamsi id nemo sciat. Hæc

[a] Gorgias Sophista dixit, se nihil vnquam aliorū causa fecisse. Hæc oratio non hominis est, sed bouis.

autem maximè inſunt vnicuique erga ſeipſum, & reliqua omnia, quibus amicus definitur.

Dictum eſt enim, ab ipſo omnia amicabilia etiam ab alios permanare. Hanc ſententiam plurimis prouerbijs cõfirmare poſſumus, vt vnus [*b*] animus, & amicorum communia, & æqualitas amicitia. Item genu tibiæ propius. Hæc enim omnia erga ſeipſum maximè inſunt. Nam amicus maximè ſibi quiſque eſt. Amare igitur etiam ſeipſum maximè oportet. Iure autem dubitatur, vtri potius ſequendi ſint, cùm vtrique probabiles rationes habeant. Quamobrem hi ſermones diſtinctione explicandi ſunt, vt ſciatur quouſque & quatenus vtrique veri ſint. Erit autem tota explicatio illuſtrior, conſiderata admonitione de vario vſu vocabuli φιλαυτίας. Qui igitur inter probra recenſent ſui amorem, eos amantes [*c*] ſui vocãt, qui ſibijpſis tribuunt plus quàm par eſt, pecuniæ, honoris, & voluptatum, quæ corpore concipiuntur.

[b] Nazianzenus in oratione funebri de Baſilio ait, ſe & Baſilium fuiſſe vnam animam in duobus corporibus.

[c] Plato in quinto de Legibus: Omnium malorum ſummum nobiſcum naſcitur, cui omnes veniã dãt, nec eius leuationem deſiderãt, quòd videlicet vnuſquiſque ſibi

amicus eſt natura, & ſuis opinionibus delectatur. Sed reuera hic morbus, quo ſinguli nimiùm ſibi placent, fons eſt omnium errorum & delictorum in vita, quia amor eſt cæcus, & facilè decipitur circa rem amatam. Ex quo fit, vt non rectè iudicare poſsit ea, quæ iuſta, bona & præclara ſunt, cùm anteceptis opinionibus impediatur. Neq; verò magni viri eſt, ſe ſuaq́; immodicè amare, ſed acquieſcere in iuſtè factis ſeu propriis, ſeu alienis. Nam hoc errore faſcinati putant ſe multùm ſapere, cùm nihil intelligant, cumq́; omnium rerum ſcientiam ſibi arrogent, nolunt artificibus cedere, atque hoc modo turpiter hallucinantur. Proinde decet hominem fugere & reformidare ſtultam admirationem ſui.

Hæc enim plærique appetunt, & in his elaborant tanquam [d] in ſummo gradu bonorum, & de eiſdem acerrimè dimicant. Qui ergo in his plus auferunt recedentes à legitima æqualitate, gratificantur cupiditatibus, & omnino affectibus, & parti animæ, quæ rationis expers eſt. Tale verò eſt vulgus, ideoque appellatio ducta eſt à multitudine praua. Meritò igitur probri vice ita ſe amantibus objicitur. Quòd autem talia ſibi tribuentes plærique ſoleant appellare ſui amantes, ſatis conſtat.

[d] *Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas, Hæc tria pro trino numine mundus habet.*

Si quis enim ſemper ſtudet iuſta agere, & omnium maximè deditus eſt temperantiæ & alia-

aliarum virtutum officijs, & omnino honeſtatem vendicat, hunc nemo dicet amantem ſui, neque reprehendet. Videtur autem talis omnium maximè ſui amans eſſe. Sibi enim tribuit honeſtiſsima & maxima bona, & gratificatur præſtantiſsimæ parti ſuæ naturæ, eiq; in omnibus obtemperat. Sicut autem & ciuitas & omnis cœtus, quod in ipſo præcipuè excellit, eſſe videtur: ita & homo. Sui igitur amans eſt maximè, qui hoc diligit & huic gratificatur. Nam & continens & incontinens dicitur, quod mens contineat aut non, quaſi id vnuſquiſq; ſit. Videntur etiam & ipſi egiſſe & ſponte, quę cum ratione maximè acta ſunt. Id igitur præcipuè eſſe vnumquemque, probumq; virum præcipuè id amare, minimè obſcurum eſt. Itaq; maximè ſui amans eſt in alia ſpecie, quæ non vituperatur, ac tantò præſtantior eſt, quantò præſtat viuere ſecundum rationem, quàm ſecundum affectum, & eligere honeſtatem, quàm apparentem vtilitatem. Eos igitur qui magnum ſtudium multamq; operam in honeſtis & præclaris actionibus ponunt, omnes approbant & laudant. Quòd ſi omnes recto curſu ad metam hōneſtatis contenderent, & præcipua cura in præclaras actiones virtutis incumberent, & publicus ſtatus magis floreret, & priuatim ſingulis maxima bona contingerent, ſi modò virtus tale quid-

quiddam eſt. Itaque bonum quidem neceſſe eſt ſui amantem eſſe, quia & ipſe fructum ampliſsimum ex honeſtis actionibus capit, & alijs prodeſt. Prauum verò non oportet. Lædit enim ſeipſum & alios, prauis affectibus indulgendo. Ac in prauo quidem diſsidium eſt inter ea quæ agere debet, & quæ agit. At probus quæ debet, eadem etiam agit. Omnis enim mens eligit, quod ſibi optimum eſt. Probus verò obtemperat menti. Verum eſt autem illud de probo viro, quòd multa amicorũ cauſa agat, & pro patria, ſi opus ſit, mortem [e] oppetat. Nã & facultates, & honores, & alia bona, pro quibus homines acerrimè dimicare ſolent, in diſcrimen adducit, vt virtutis decus ſibi cõciliet. Mauult enim ad breue & exiguũ tempus vehementer lætari, quàm longo tempore parum, & præclarè viuere vnum annum, quàm multos annos obſcurè. Denique vnam actionem arduam & magnam longè anteponit multis & paruis. Hoc autem ijs fortaſſe vſu venit, qui pro alijs mortem oppe-

[e] Cicero 1. Tuſc. Itaq; non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe, quò minus in omne tempus Reip. ſuiſque conſulat, & poſteritatem ipſam, cuius ſenſum habiturus non ſit, ad ſe putet pertinere.

tunt. Sibi enim magnum decus conciliant & pecunias profundunt, vt amici locupletentur. Amico enim pecunia paratur, ipſi verò decus. Maius autem bonum ſibijpſi tribuit. Eodem modo ſe res habet de honoribus & magiſtratibns. Hæc enim omnia amico concedat, & ipſe laude ac honeſtate contentus erit. Meritò autem videtur vir bonus eſſe, cùm omnibus rebus anteponat honeſtum. Fieri etiam poteſt, vt actiones amico permittat, ſitque ipſi honeſtius, quàm ſi ipſe egiſſet, quòd autor amico fuerit. In omnibus igitur rebus laude dignis vir bonus videtur ſibi plus honeſtatis tribuere. Sic igitur oportet ſui amantem eſſe, vt dictum eſt. Sed non oportet, vt vulgus exiſtimat.

CAPVT IX.

Argumentum.

QVÆSTIO *huius capitis eſt, An beato opus ſit amicis? Recitat autem initiò falſam opinionem, quæ fingit beatum poſſe carere amicis. Cùm enim beatus in ſeipſo habeat omnia, quæ ad bene beateq́; viuendum pertinent, non videtur indigere amicis. Sed huic opinioni multas rationes, quarũ aliæ ſunt populares, aliæ exiles & argutæ, opponit. Populares hanc habent ſententiam. Bonum eſt communicatiuum ſui. Vult igitur beatus habere amicos, quibus bona ſua communicet.*

Sic De-

Sic Deus etsi poterat sine angelis & hominibus beatus esse, sicut ab æterno beatus fuit, & in omni æternitate beatus erit: tamen cùm sit optima natura, voluit esse creaturas intelligentes, quibus sua summa bona communicaret, & à quibus vicißim agnosceretur & celebraretur. Item: Cùm hominis natura ad societatem condita sit, nihil potest esse suaue sine amicis, vt Cyrus Iunior apud Xenophontem inquit.

Argutæ rationes hoc ferè sensu ab Aristotele explicantur. Prima: Quemadmodum in speculo imagines corporum nostrorum cernimus, ita beatus intuens in amicos virtute præditos non solùm expressam virtutis effigiem videt, sed illius etiam consideratione incitatur ad honestè agendum. Magis enim alienas, quàm nostras actiones iudicare possumus, & bona exempla alunt & augent decus virtutis. Altera ratio est: Beatitudo magis in actione, quàm in habitu aut potentia. Sunt autem plures agendi occasiones inter amicos quàm in solitudine. Est igitur beato opus amicis, non solùm propter θεωρίαν *alieni exempli, sed etiam propter exercitium virtutis. Postrema ratio cæteris obscurior est: Beatus ordinatè appetit vitam, quæ complectitur actiones sensuum & intellectus. Amicus est autem alter idem. Ergo beatus non modò sibi, sed etiam amicis vult bene esse.*

TEXTVS.

AGitatur & hæc quæstio, vtrùm beatus indigeat amicis an non? Multi enim hanc persua-

persuasionem habent, beatos & omnibus bonis refertos non indigere coniunctione amicorum, cùm bonis abundent. Cui enim nihil ad beatitudinem deest, is nulla re indiget. Amicus autem qui est alter idem, suppeditat ea, quæ sine aliena ope parari nequeũt. Ideo quidam dixit, In secundis rebus quid opus est amicis? Videtur autem absurdum, omnia bona beato tribuere, & non adiungere amicos, quod bonorum [a] externorum maximum videtur. Ac si amici est beneficium nõ tam accipere quàm dare, & boni atq; virtutis proprium est exercere beneficentiam, & plus laudis habet benefacere amicis quàm alienis, profectò vir bonus indigebit aliquibus, in quos beneficia sua conferat. Ideo etiam quæri solet, vtrùm in secũda, an in aduersa fortuna magis opus sit amicis, quia & miseri indigent benefactoribus, & florentes desiderant aliquos, de quibus bene mereantur.

[a] Herodotus. Pretiosissimus thesaurus est, & omnibus opibus antecellit amicus prudẽs & beneuolus. κτημάτων πάντων δὲ τιμιώτατον ἀνὴρ φίλος συνετός τε καὶ εὔνοος.

Est & illud absurdum, collocare in solitudine beatum. Nemo enim solus vult omnibus [b] bonis circumfluere, atq; in omnium rerum abundan-

[b] Archytas Tarentinus dixit: Si quis cœlũ ascendisset, natia vi-

tia viuere. Est enim homo ad ciuilem cõiunctionem congregationemque natus. Ergo etiam beato hoc inest. Habet enim bona naturalia. Iam verò satis constat, conuersationem cum amicis & probis optabiliorem esse, quàm cum alienis vndecunq; oblatis. Quamobrem beatus amicis indiget.

turámque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset, insuauem illam admirationem ei fore, quæ iucundissima fuisset, si aliquem cui narraret, nõ habuisset. Cic. 1. de Officijs.

Quid igitur dicunt primi illi, & quatenus cum veritate consentiunt? An quia vulgus amicos esse putat, à quibus vtilitas expectari potest? Talibus igitur non indigebit beatus, cùm copia bonorum instructus sit, ac ne quidem suauibus amicis. Nam vita per se suauis non indiget voluptate aliunde accersita. Quare cum his amicis ei minimè opus sit, omnino amicis carere posse videtur. Sed hæc ratiocinatio longè ab re ipsa atque à veritate distat. Initiò enim dictum est, beatitudinem in actione consistere. Constat autem actionem efficacem esse, & non inesse sicut otiosam possessionem. Si igitur beatitudo consistit in viuendo & agendo, boni actio erit haud dubiè bona & suauis per se, sicut dictum est.

Illud

Illud etiam certissimum est, propriam cuiusq; naturæ actionem suauissimam esse. Possumus autem alios magis contemplari, quàm nosipsos, & illorum actiones quàm proprias. Bonorum verò actiones, si amici sint, suaues sunt bonis. Ambo enim habẽt, quod naturaliter delectat. Itaque beatus talibus amicis indigebit, si modò vult contemplari actiones probas & proprias. Tales autem sunt amici, qui vir bonus est.

Præterea existimant, beatum suauiter viuere oportere. Est autem vita solitaria plena difficultatis. Non enim facile est solitario assiduitatem actionis sustinere. Cum alijs verò & erga alios, facilius est. Erit igitur actio magis assidua, quæ per se iucunda est, eaq́; vt in beato sit necesse est. Nam bonus quatenus bonus est actionibus virtutis lætatur, & contrarijs irascitur, sicut Musicus suaui concentu delectatur, & offenditur audiens absurdè canentes. Exercetur etiam virtus in conuersatione cum bonis, sicut & Theognis dixit: A bonis discuntur bona. Qui autem inter malos versantur, ij etiam, si quid fortè bonæ mentis habent, celeriter amittunt.

Porrò considerantibus naturæ rationem diligentius, videtur probus amicus probo viro naturaliter expetendus esse. Dictum est enim naturale bonum probo viro per se bonum &

suaue

ſuaue eſſe. Viuere autem in animalibus ſic definiunt, vt ſit facultas ſentiendi, in hominibus verò facultas ſentiendi aut intelligendi. Potentia autem ad actum deducitur, quia in actu præcipuum eſt. Videtur autem viuere potiſsimùm in ſentiendo & intelligendo conſiſtere. Viuere verò in numero eorum eſt, quæ per ſe bonitatem & oblectationem habent. Eſt enim definitum. Quod autem eſt definitum, ad naturam boni pertinet. Quod verò natura eſt bonum, probo etiam eſt. Itaque videtur omnibus ſuaue eſſe. Nec verò ſumenda eſt vita corrupta ac deprauata, nec in doloribus. Eſt enim talis indefinita, ſicut illa etiam quæ ei inſunt. Sed aliquantò pòſt diſputatio de dolore erit illuſtrior. Quòd ſi viuere ipſum bonum, & ſuaue. (Quod apparet ex eo, quia omnes vitam appetunt, & maximè probi ac beati. His enim vita præcipuè expetenda eſt, cùm ipſorum vita ſit beatiſsima) Qui autem videt, ſe videre ſentit, & qui audit, ſe audire, & qui ambulat, ſe ambulare, & ſimiliter in alijs, eſt quiddam quod ſentit nos in actione verſari, cùm ſentiamus nos ſentire, vel intelligamus nos intelligere. Nos autem ſentire vel intelligere eſt eſſe. (Nam eſſe eſt ſentire, aut intelligere) At ſentire ſe viuere, annumerãdum eſt ijs, quę per ſe habent oblectationem. (Vita enim naturale bonum eſt) Bonum verò ſibi

ineſſe

inesse sentire, est iucundum. Viuere autem expetendum est, & præcipuè bonis, quia esse bonum ipsis & iucundum est. (Simul enim sentientes id quod per se bonum est, suauiter afficiuntur) Sicut autem erga seipsum affectus est probus, ita etiam erga amicum. Nam amicus est alter idem. Sicut igitur vnicuique vt ipse sit expetendum est, ita etiam optandum est vt amicus sit. At esse erat expetendum, quia id bonum esse sentiebat. Talis autem sensus iucundus per se est. Sentire igitur simul etiam amicum esse oportet. Id autem fit in conuictu & communicatione sermonum & cogitationum. Ita enim conuictus in genere humano comparatus esse videtur, & non sicut inter bestias, quæ in vno prato pascuntur. Si igitur beato eligendum est esse per se, cùm sit naturaliter bonum & suaue, similiter autem se res habet de amico, amicus etiam erit in numero rerum expetendarum. At quod cuiq; est expetendum, id inesse ipsi oportet, alioqui enim hac re indigeret. Opus igitur erit beato probis amicis.

CAPVT X.

Argumentum.

SEQVITVR *alia quæstio περὶ πολυφιλίας, de qua Plutarchus in libello quodam præclarè philosophatur.*

tur. Est autem in hoc capite dulcißimum dictum, quod definit modum hospitalitatis & amicitiæ. Ne sis in exercenda hospitalitate ἄξενος, id enim pugnat cum humanitate: nec πολύξενος, nam consuetudo multos excipiendi hospitio non solùm pestis est rei familiaris, cùm omne finitum per ablationem finiti tandem absumatur, sed etiam impedit alia negocia magis necessaria. Ita non simus ἄφιλοι, quoniã ἀφιλία est quædam μισανθρωπία, nec simus πολύφιλοι, quia charitas, vt Cicero inquit, aut inter duos, aut inter paucos iungitur. Quòd enim hoc speciale & arctũ fœdus cum paucis duntaxat constitui poßit, declarant exempla amicitiarum, quæ paßim celebrantur, vt Achillis & Patrocli, Orestis & Pyladæ, Thesei & Pyrithoi. Amemus igitur in vtraq; virtute hospitalitate & amicitia mediocritatem, & simus tum φιλόξενοι, tum φιλόφιλοι, & relinquamus hypocritis simulationum inuolucra, in quibus frons, vultus, oculi persæpe mentiuntur, oratio verò sæpißime.

TEXTVS.

SÆpe & hoc quæritur, vtrùm plurimi amici faciendi sint, an quod de hospitalitate concinnè dictum videtur, vt nec multos, neque nullos hospites habeamus, id etiam ad amicitiam congruat, vt nec sine amicis simus, nec turbam amicorum nobis adiungamus. Et quidem ad amicos vtiles rectè hoc dictum accommodari potest. Multis enim præstare

mutua

mutua officia immenſi laboris eſt, nec victus quotidiani copia par eſt huic actioni. Plures igitur quàm pro modo facultatum cuiuſque, curioſi ſunt, & impediunt quò minus bene viuamus. Nihil igitur ipſis opus eſt. Ad voluptatem verò pauci ſufficiunt, ſicut in cibo condimentum. Probi autem vtrùm ne plurimi numero, an verò menſura eſt multitudinis amicorum, ſicut ciuitatis? Non enim ex decem hominibus conſtat ciuitas, neque ex decem myriadibus. Sed quantitas fortaſſe non eſt vna quædam, ſed omnis quæ inter definita quædam media eſt. Erit igitur etiam amicorum multitudo definita. Et fortaſſe plurimi ſunt, quibus cum aliquis viuere poſſit. Id enim maximè proprium eſt amicitiæ. Quòd autem non poſſit fieri, vt aliquis cum multis viuat, eiſdemque ſe impertiat, ſatis conſtat. Eſſe præterea illos quoque inter ſe amicos oportet, ſi omnes vnà victuri ſint. Id autem operoſum in multis eſt. Illud etiam difficile eſt, adiungere ſe ad ſocietatem lætitiæ vel doloris multorum. Sæpe enim accidit vt eodem tempore alteri gratulandum, cum altero dolendum ſit. Fortaſſe igitur melius eſt, non quærere multos amicos, ſed totidem, quot ad vitam ſufficiunt. Non enim poſſibile videtur, multis valde amicum eſſe. Ideo nec amare plures licet. Eſt enim qui-

dam amicitiæ excessus, qui erga vnum est. Ergo & ardens amicitia inter paucos iungitur. Hæc autẽ ita se habere res ipsa ostendit. Non enim fiunt multi amici in amicitia sociali. Quæ enim celebrantur, inter duos versatæ sunt. Qui autem multorũ sunt amici, & cum omnibus familiariter versantur, ij nemini videntur esse amici, nisi ciuiliter, quos & placentinos vocant. Ac ciuiliter quidem multis esse amicus potest, etiam qui placentinus non sit, sed verè probus. Virtutis verò causa & propter se erga multos non potest. Præclarè enim nobiscum agitur, si paucos tales inuenire liceat.

CAPVT XI.

Argumentum.

COGNATA *virtus amicitiæ est fidelitas, quæ præstat constantiã in rebus secũdis & aduersis. Quàm autem rara sit hæc virtus, non solùm experientia testatur, sed etiam veteres querelæ, vt apud Pindarum Pollux inquit, Pauci sunt, qui in calamitate velint esse participes miseriarum. Et Lucanus: Nulla fides vnquam miseros elegit amicos. Item Ouidius: Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est.*

TEX-

TEXTVS.

DE hoc etiam dubitari ſolet, vtrùm in rebus ſecundis magis opus ſit amicis, an verò in aduerſis. In vtraq; enim fortuna deſiderantur. Nam & calamitoſi indigent aliena ope, & maximis opibus fortuníſq; florentes expetunt conuictores & alios, in quos ſua beneficia conferant. Volunt enim benefacere. Etſi autem neceſsitas amicorum in aduerſa fortuna conſpectior eſt, quia vtilibus amicis tunc opus eſt: tamen decus amicitiæ in ſecundis [a] rebus magis lucet. Ideo etiã probos quęrũt, quibꝰ & benefacere ſatius eſt, & cũ eiſdẽ viuere. Eſt enim hæc præſentia amicorum iucunda, non modò cùm proſpero flatu fortunæ vtimur, ſed etiam cùm à reflante affligimur. Subleuantur enim dolore affecti, quoties vident amicos eſſe ſocios ægritudinis. Itaque dubitari poteſt, vtrùm quaſi oneris partem in ſe transferant, an id quidem minimè, ſed præſentia ipſorum, quæ iucunda eſt, & cogitatio de ſocietate ægritudinis dolorem faciat leuiorem? Sed ſiue propter hanc cauſam, ſiue propter aliam ſubleuantur, nunc non eſt diſſerendum pluribus. Illud certè conſtat, rem ita ſe habere, vt dictum eſt. Videtur

[a] Et ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & aduerſas partiens cõmunicánſque leuiores. Cicero Lælio.

tur autem præſentia ipſorum ſimilis eſſe mixtioni. Ipſe enim conſpectus amicorum iucundus eſt, preſertim calamitoſo, [*b*] eſtq; remedium leniens dolorem. Affert enim conſolationem rerum incommodarũ amicus & aſpectu & oratione, ſi ſit dexter. Nouit enim mores amici, & ſcit quibus rebus lætetur aut offendatur. Sentire autem eum dolere propter ſuas calamitates, moleſtum eſt. Nam vnuſquiſq; diligenter cauet, ne amicis ſit cauſa doloris, (Atq; idcirco qui animos viriles gerunt precipuè in hanc curam incumbunt, ne amici ſecum doleant) & niſi dolorem, qui ab illis concipitur, indolentia vincat, non ſuſtinet, atque omnino lamentationum ſocios nõ admittit, propterea quòd neque ipſe ad lamentandum à natura informatus eſt. Mulierculæ verò & viri gerentes animos muliebres vnà gementibus delectantur, eóſque vt amicos & ſocios ægritudinis diligunt. In omni autem actione optimũ quemq; ad nobis imitandum proponere debemus.

[b] Vſus multiplex eſt amicorum. Maximè verò in periculis cernere fidelitatẽ ob oculos dulce eſt. Pindarus Oda 8. Nemeorum.

Cæterùm præſentia amicorum in rebus aduerſis iucundam parit conuerſationem, & hanc opinionem confirmat, quòd rebus noſtris

ſtris ſecundis delectentur. Itaque videntur a-
mici promptè ad florentem fortunam inui-
tandi eſſe, (Eſt enim præclarum quiddam ex-
cellere laude beneficentiæ) tardè autem res
parum proſperat. Non enim debemus cala-
mitatem noſtram in amicum deriuare. Hinc
illud vſurpatur, Satis eſt me eſſe miſerum.
Tunc autem inuitandi ſunt, quando parua
moleſtia ſuſcepta prodeſſe multum poſſunt.
Atire contra fortaſſe conuenit, & quidem ad
calamitoſos ſine vocatione & promtè. (Eſt
enim amici benefacere præſertim indigenti-
bus & nihil petentibus. Vtriſque enim hone-
ſtius & iucundius eſt.) Ad proſperas verò res
vt vnà agant promtè, (ad hanc enim rem a-
micis opus eſt) vt autem beneficijs affician-
tur, lentè. Non enim honeſtum eſt prom-
tum atque expeditum eſſe ad percipiendum
vtilitatis fructum. Iniucunditatis verò opi-
nio reijciendo fortaſsis vitanda eſt. Interdum
enim obrepit. Præſentia igitur amicorum,
qualiſcunque fortuna eſt, magnopere expe-
tenda videtur.

CAPVT XII.

Argumentum.

SICVT *ex viſu naſcitur amor: ita præſentia a-
mici eſt dulcis nutricula amicitiæ.*

TEXTVS.

POstrema restat quæstio, vtrùm sicut amantibus aspectus est charissimus, magísque expetunt hunc sensum quàm reliquos, quòd ex eo maximè existat & oriatur amor, sic etiam amicis nihil optabilius sit, quàm vnà vitam agere. Amicitia enim est communicatio, & sicut erga seipsum affectus est, ita quoque erga amicum. At sensus erga se cuiusque quod sit, expetendus est. Erga amicum quoque igitur erit. Sed actus in conuictu potissimùm cernitur. Itaq; non immeritò hunc expetunt. Quod autem singulis est esse, aut cuius causa vitam expetunt, in ea re cum amicis degere volunt. Quapropter alij quidem sunt compotores, alij simul ludunt, quidam vnà se exercent, & vnà venantur, nonnulli simul philosophantur, singuli videlicet in his diem consumentes, quæ maximè in vita amant. Vnà enim viuere cum amicis volentes, hæc faciunt, & hęc inter se communicant, quibus cum putant sibi viuendum. Prauorum igitur amicitia praua fit. Praua enim communicant, cùm nihi habeant firmitatis, & praui etiam efficiuntur imitatione aliorum. At proborum proba est, & cōsuetudine augetur, ac videntur hi etiam meliores fieri agendo & se mutuò corrigendo. Accipiunt enim à se mutuo ea,

tuo ea, quibus oblectantur. Vnde illud, A bonis bona discuntur. Sed de amicitia quidem hactenus dictum sit. Restat vt de voluptate disseramus.

FINIS LIBRI NONI
Ethicorum.

LIBER DECIMVS ETHICORVM.

ARGVMENTVM.

DVO SVNT loci in hoc libro præcipui: prior est de speculatiua beatitudine. Est enim duplex beatitudo, Politica & Speculatiua. Vt autem hactenus multa dixit de actionibus politicis: ita in postremo libro de beatitudine philosophatur, quæ in consideratione & contemplatione rerum optimarum consistit. Alter locus, est disputatio de voluptate, quæ comitatur vtranque speciem beatitudinis. Sed quo consilio hîc rursus dicatur de voluptate, Aristoteles in vestibulo huius libri non obscurè explicat.

CAPVT I.

Argumentum.

INITIO *recitantur aliquot causæ, quare de voluptate differendum sit. Prima est, quia hæc imbecillis natura appetit voluptates & earum instrumenta. Secunda, quia beatitudo non est expers voluptatis. Tertia, quia variæ sunt & discrepantes doctißimorum hominum sententiæ de voluptate. Nam alij, vt Eudoxus, censent voluptatem esse bonum. Alij contrariam opinionem defendunt. Has opiniones vtile est dijudicari, ne aliquid erroris in animis relinquatur.*

Deinde, obseruentur in hoc capite tria insignia dicta, quorum primum docet, quomodo ab extremis homines reuocandi sint ad medium. Quemadmodum enim agricolæ, cùm curuas frondes extendere conantur vt rectæ crescant, plusculum inflectunt eas in contrariam partem: ita contraria adsuefactio multa in moribus emendat.

Alterum dictum continet insigne encomium veritatis, quam ait non tantùm cognitioni rerum, sed etiam moribus prodesse. Nam veritas iure ac meritò appellatur fundamentum aliarum virtutum. Postremum dictum monet congruentiã vitæ & orationis plurimum valere ad conciliandam fidem, vt Menander inquit: Mores dicentis persuadent, non ipsa oratio.

TEX-

TEXTVS.

POſt hæc fortaſſe ſequitur, vt de voluptate diſſeramus. Maximè enim noſtro generi adiuncta vel potius cognata eſſe videtur. Ideo erudiuntur iuniores voluptate & dolore quaſi quibuſdam gubernaculis. Videtur etiam ad virtutem moralem plurimum conducere lætitia acquieſcens in rectis, & odium nolens contraria. Hæc enim latiſsimè patent in tota vita, & non parum momenti habent ad virtutem & beatam vitam, quia & iucunda expetuntur, & moleſta reformidantur. Talia verò nequaquam ſilentio prætereunda ſunt, præſertim cùm magnum habeant controuerſiæ certamen. Alij enim dicunt voluptatem eſſe ſummum bonum. Alij verò cenſent eam eſſe extremum malum. Ac illis quidem fortaſſe perſuaſum eſt, rem ita ſe habere. Hi verò exiſtimant moribus noſtris magis prodeſſe eam ſententiam, quæ voluptatem inter mala collocat, etiamſi ab re ipſa atq; à veritate diſtet. Plurimos enim ad eam procliues eſſe, & ſeruire blandiſsimis dominis voluptatibus, ideoque in contrariam partem flectendos eſſe, cùm hoc modo ad medium perueniatur. Nunquid verò non rectè hoc dicitur? Nam diſputationes de affectibus & de actionibus minus habent fidei,

quàm

quam facta. Quando igitur discrepant ab ijs, quæ in sensus incurrunt, non solùm ex alto despiciuntur, sed etiam veritatem conuellunt & labefactant. Qui enim vituperat voluptatem, & tamen eam expetit, ipso facto declarat, non omnem voluptatem fugiendam esse. Non est enim imperitæ multitudinis distinguere. Videntur ergo veræ disputationes non solùm ad cognitionem vtilissimæ esse, sed etiam ad vitam & mores. Congruentes enim cum rebus fide dignæ sunt, & hortantur intelligentes, vt vitam ad hanc normam dirigant. Sed de his satis. Ea verò quæ dicta sunt de voluptate explicemus.

CAPVT II.

Argumentum.

EVDOXVS *Cnidius* σύγχρονος *Platonis circa Olympiadem 97. AEgyptios audiuit & Chaldæos, & propter celeritatem* ἔυδοξος *appellatus est. Reliquit tabulas motuum cœlestium & anni ordinationem. Huius Eudoxi in Astrologia facilè principis argumenta de voluptate Aristoteles ordine recenset & refutat. Primum: Illa res ad quam natura magno impetu fertur, seu quam natura præcipuè expetit, est summum bonum. Omne animal siue sit particeps rationis, siue expers voluptatem auidissimè expetit. Ergo voluptas*

est sum-

est summum bonum. Huic argumento additur insigne Epiphonema: Duo cùm idem dicunt non est idem. Quare cùm Eudoxus fuerit vir temperans, ipsa autoritate & opinione virtutis huic argumento fidem conciliat. Nam si idem argumentum à Sardanapalo aut Paride proponeretur, nihil haberet ponderis & momenti. Secundum: Contrariorum sunt contraria consequentia. Dolor est summum malum, quia omnis natura fugit & reformidat malum. Ergo voluptas est summum bonum. Tertium: Omne quod propter se & non alterius causa expetitur, est summum bonũ. Voluptas propter se & non propter aliud expetitur. Ergo voluptas est summũ bonũ. Quartum: Voluptas coniuncta cum alijs bonis efficit ea meliora. Ergo voluptas est summum bonum. Huic postremo argumento Eudoxi Plato hanc instantiam opposuit: Perfecto quod habet omnes partes, & omniũ partium summos gradus, nihil potest addi. Voluptas augetur accessione prudẽtiæ & virtutis. Ergo voluptas non est Idea boni, sed tantùm particula boni.

Sequuntur in textu duorum argumentorum primi & secundi solutiones. Prioris solutionis sensus est: In maiore propositione nimis generaliter hoc dicitur, Quod omnia appetunt, id est summum bonum. Nam multæ bestiæ inordinato appetitu prosequuntur malum, vt Polypus adeò libidinosus est, vt in concubitu extinguatur, Noctua piscis non desinit ventrem onerare cibo, donec rumpatur. Deinde, multi in genere humano inordinatas habent appetitiones, vt intemperantes & incontinentes. Erit igitur generalis oratio restringenda

genda hoc modo: Quod homines appetunt ordinatè, videlicet duce recta ratione, id est bonum. Alterius solutionis hæc summa est: Contraria sunt opponenda secundum proprias differentias, non secundum commune genus, aut communia accidentia. Vt non sequitur: Audacia est malum. Ergo timiditas est bonum, quia vtrunq; extremum fortitudinis est vitiosum. Differunt igitur voluptas & dolor non respectu boni aut mali, sed ratione prosecutionis & fugæ, hoc est, quia voluptatem prosequimur, & dolorem fugimus.

TEXTVS.

AC Eudoxus quidem voluptatem putauit esse summum [a] bonũ, quia vidit eá appeti ab omnib. non modò ratione vtentibus, sed etiam rationis expertibus, atque in omnibus esse, quod est expetendum, probum, & quod maximè præstantisṣimum. Ad quod autem magno impetu omnia feruntur, id satis declarat, quid sit omnibus optimum. Vnumquodq; enim quod sibi bonum est, inuenit, sicut & alimentum. Quod igitur omnibus bonum, & quod omnia appetunt, id summi boni rationem habet. Hæc oratio magis propter dicentis virtutem,

[a] Quando Platonici præponũt dictioni literam T, aut pronomen αὐτὸ significant Ideam. Vt τἀγαθὸν seu αὐτοαγαθὸν significat. Ideam boni. Eustratius.

tutem, quàm propter seipsam approbata est. Videbatur enim Eudoxus gloria temperantiæ excellere. Quare non tanquam amicus voluptatis iudicabatur hæc dicere, sed quòd rebus consentanea essent. Nec verò minus ex contrario id intelligi arbitrabatur. Dolorem enim per se omnibus fugiendum esse. Ideo etiam contrarium simili modo expetendum. Maximè etiam expetendum esse, quod non propter aliud, neq; alterius rei causa expetere solemus. Tale verò sine controuersia esse voluptatem. Neminem enim interrogare, cuius gratia lætetur, quòd per se sit expetenda voluptas. Quid, quòd adiuncta cuiuis bono, id magis expetendum facit? vt verbi causa iustitiæ & temperantiæ. Augetur ergo bonum accessione boni. Atque hæc quidem ratio videtur eam in numero bonorum reponere, ac nihilo plus ei tribuere quàm alteri. Duo enim bona coniuncta sunt meliora & magis expetenda.

Hac etiam ratione vtitur Plato refutans opinionem, quæ fingit voluptatem esse summum bonum, quòd optabilior sit vita suauis cum prudentia coniuncta, quàm sine ea. Si enim mixtura bonorum melior est, fieri non potest, vt voluptas ad summi boni fastigium euehatur. Nullius enim accessione summũ bonum efficitur magis expetendũ. Perspicuum autem

autem eſt, neque aliud quicquam ſummi boni rationem habere poſſe, quod cum alio per ſe bono coniunctum fit optabilius. Quod eſt igitur eiuſmodi, cuius etiam nos participes ſumus? Tale enim quæritur. Qui enim inſtantiam huic aſſeuerationi opponunt, in qua dicitur, bonum eſſe quod omnes appetunt, nihil dicere videntur. Quod enim omnibus videtur, id eſſe affirmamus. Qui verò hanc probationem reijcit ac repudiat, non valde probabiliora dicturus eſt. Si enim vecordes hæc appeterent, haberet aliquid ponderis quod obijcitur. Cùm autem prudentes etiam hæc appetant, quid dicere poſſunt? Fortaſſe verò in prauis quoque naturale quoddam bonum eſt præſtantius, quàm ipſa per ſe ſint, quod proprium bonum appetit.

Sed neque de contrario rectè dictum eſſe videtur. Non enim inquiunt, ſi dolor eſt malum, voluptatem eſſe bonum. Nam opponi malum malo, & vtrunque ei quod neutrum appellamus, non malè ſanè, non tamen in ijs quæ dicta ſunt, vera dicentes. Si enim vtraque eſſent mala, fugienda quoque vtraque eſſent. Si neutra, neutrum aut ſimiliter. Nunc verò cernuntur dolorem fugere vt malum, voluptatem expetere vt bonum. Sic igitur etiam opponuntur.

CAP.

CAPVT III.

Argumentum.

RESPONDET *in hoc capite ad argumenta, quibus aliqui hanc sententiam obtinere volunt, Quòd voluptas non sit bonum. Primum: Omne bonum est qualitas. Voluptas non est qualitas. Ergo voluptas non est bonum. Nego maiorem, quia multa sunt bona, vt actiones virtutis & ipsa beatitudo, quæ nõ collocantur in prædicamento Qualitatis. Secundũ: Omne bonum est definitum. Voluptas est indefinita, quia recipit magis & minus. Ergo voluptas non est bonum. Respondeo ad Minorem per instantiam: Virtus & Sanitas habent gradus intensos & remissos. Ergo non sunt bona. Tertium: Omne bonum est perfectum. Voluptas est imperfecta, quia est motus seu generatio. Ergo voluptas non est bonum. Respondeo ad confirmationem Minoris: In omni motu est celeritas & tarditas, aut absolutè, aut relatiuè, vt motus octauæ Sphæræ est regularis, tamen celerior & rapidior est motu Planetarum. Sic Luna aliâs velocior, aliâs tardior est. In voluptate autem non sunt hæc discrimina velocitatis & tarditatis. Ergo voluptas non est motus.*

Quòd autem voluptas non sit generatio, sed ἐνέργεια, multa argumenta ostendunt, Primùm: quia generatio est motus à non esse ad esse, nec est finis, sed via ducens ad finem. Deinde: generatio mutat formas in subiecto. Ad hæc generatio tum demum est perfecta, cùm forma

in materiam introducta est. Horum nihil in voluptate videre licet, quæ est finis, non via ducens ad finem, & toto tempore durationis perfecta est, nec speciem seu formam mutat in subiecto, in quo versatur.

Sed vrgent Platonici hoc argumentum: Omnis repletio est generatio. Voluptas est repletio, sicut dolor est indigentia. Ergo voluptas est generatio. Nego consequentiam, quia in minore est falsa definitio. Nam si ad corpus respicias, voluptas est ἐνέργεια, quam comitatur repletio, sicut vmbra corpus. Vt autem vmbra non est corpus, sic voluptas non est repletio. Si verò ad mentem respicias, voluptas nequaquam est repletio, vt ostendunt exempla de speculatione & de memoria. Quintum: Qualia sunt obiecta voluptatis, tales sunt & ipsæ voluptates. Sed multa obiecta voluptatis sunt mala. Ergo voluptas est mala. Nego consequentiam, quia est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam aliæ voluptates oriuntur ab obiectis honestis, aliæ à contrarijs. Vt autem honestæ appetendæ, sic turpes fugiendæ sunt. Præterea non concedendum est, ea quæ videntur non rectè iudicantibus suauia, per se & simpliciter esse suauia. Sextum: In hoc argumento, quod non volo subtiliter contexere, obseruentur duo discrimina amici & adulatoris. Primùm enim adulator omnia refert ad voluptatem, & studet alteri quacunque ratione placere, eaque in re obtemperat præcepto, Nempe coquus Domini debet habere gustam. *Amicus autem omnia officia & sermones dirigit ad normam honestatis, siue delectet,*

siue

ſiue offendat in præſentia amicum. Deinde adulator aliud dicit, & aliud ſentit. Amici verò lingua non diſſentit à corde. Septimum: Nemo appetit vitam, qualis eſt puerorum. Pueri tantùm quærunt voluptates. Ergo volùptas non eſt bonum. De hoc argumento Ariſtoteles reſpondet, Multa expeti ſine reſpectu voluptatis, vt viſio expetitur, etiamſi nulla voluptas ſequatur.

TEXTVS.

ETſi autem voluptas non eſt qualitas, tamen hinc non efficitur, eam non eſſe bonum, cùm nec virtutum actiones ſint qualitates, nec beatitudo. Sed obijciunt, bonum eſſe definitum, voluptatem verò indefinitam eſſe, quia recipit magis & minus. Quòd ſi ex ſenſu voluptatis ita iudicant, idem iudicium valebit de iuſticia ac de reliquis virtutibus, ſecundum quas euidenter magis & minus quales eſſe dicimur. Iuſti enim magis ſunt & fortes. Fieri etiam ſolet, vt iuſtè & temperanter magis & minus viuamus. Sin autem in voluptatibus, cur non exponunt cauſam huius rei, cùm aliæ ſimplices ſint, aliæ mixtæ? Quid enim prohibet quò minus, ſicut ſanitas, quæ eſt definita, recipit magis & minus, ita etiam voluptas hos gradus admittat? Neq; enim omnium eadem menſura eſt, neque vna quædam ſemper in eodem eſt, ſed

remittitur & aliquantiſper durat, & differt ſecundum magis & minus. Tale igitur etiam in voluptate eſſe poteſt.

Præterea ſtatuunt ſummum bonum eſſe perfectum. Agitationes verò & generationes imperfectas, & in harum numero voluptatem reponere conantur. Sed non videntur rectè affirmare, quòd voluptas ſit motus. Nam in omni motu videre licet celeritatem & tarditatem, ſiue per ſe, ſiue in comparatione ad aliud, vt in motu mundi. Voluptati verò neutrum horum ineſt. Etſi enim fieri poteſt, vt citò aliquis lætatus vel iratus ſit, tamen de lætitia aliter iudicandum eſt, & quidem ſine comparatione. Vt autem ambulet aliquis aut creſcat, & quæ ſunt eiuſdem generis, licet. Ac mutari quidem in voluptatem citò & tardè licet. Agere verò ex ipſa citò, hoc eſt, lætari non licet. Quo autem pacto poterit eſſe generatio? Non enim ex quolibet quodlibet naſcitur, ſed ex quo procreatur, in id etiam reſoluitur. Cuius igitur generatio eſt voluptas, eiuſdem deſtructio eſt dolor.

Dicunt item dolorem eſſe indigentiam rei naturalis, & voluptatem repletionem. At hæc corporis ſunt accidentia. Si igitur eius quod eſt ſecundum naturam repletio voluptas eſt, illud in quo repletio fit, etiam lætabitur. Erit igitur corpus. Sed non videtur. Non

eſt

eſt igitur repletio, ſed facta repletione lætatur aliquis, ſicut is qui ſecatur dolet. Opinio autem hæc nata videtur ex doloribus & voluptatibus, quas affert nutritio. Qui enim exhauſti fuerunt, & dolorem prius ſenſerunt, gaudent repletione. Id verò non in omnibus voluptatibus accidit. Sunt enim ſegregatæ ab omni dolore, & quæ diſcendo atque cognoſcendo percipiuntur, & quæ ſenſus afficiunt per olfactum, auditionem & viſionem. Multæ item ſunt recordationes & ſpes. Cuius igitur hæ erũt generationes? Nullius enim rei anteceſſerunt indigentiæ, cuius repletio facta fuerit.

Illis verò qui obſcœnas voluptates quaſi in theatrum producunt, ſic obuiam eundum eſt, vt dicamus ea non eſſe iucunda. Non enim ſi malè affectis hæc iucunda ſunt, exiſtimandum eſt eadem ſimpliciter iucunda eſſe, ſed tantùm his, ſicut neque ægrotantibus ſalubria, quæ dulcia aut amara, neq; alba quæ laborantibus morbo oculorum apparent. Valet & hæc reſponſio, voluptates quidem eligendas eſſe, ſed non ex his, ſicut & diuitiæ cõparandæ ſunt, ſed non proditione, & ſanitas recuperanda, ſed non quocunque cibo. Sunt enim diuerſæ voluptatum ſpecies. Aliæ enim ex honeſtis rebus exiſtunt, aliæ ex turpibus. Nec verò fieri poteſt, vt iuſti voluptate læte-

tur, qui non ſit iuſtus, neq; Muſici, niſi ſit Muſicus. Similiter etiam ſe res habet in alijs.

Declarare autem videtur etiam amicus, qui differt ab adulatore, voluptatem non eſſe bonum, aut diuerſas eius ſpecies eſſe. Ille enim boni cauſa colloqui videtur. Hic verò voluptatis gratia, & hoc quidem damnant, illud verò laudant, quia propter diuerſas res colloquuntur.

Poſtremò nemo reperitur, qui velit ingenio puerili vitam traducere & lætari ijs rebus, quæ pueros præcipuè delectant, neque gaudere turpe aliquid agens, etiamſi nullum vnquam dolorem percepturus ſit. In multis enim operam ac ſtudium ponimus, quæ nullam afferunt voluptatem, cuiuſmodi ſunt videre, recordari, ſcire, virtutes habere. Si verò neceſſario ordine hæc comitentur voluptates, nihil intereſt. Expetimus enim hæc etiamſi nulla ſequatur voluptas. Quòd igitur voluptas non ſit ſummũ bonum, neq; omnis expetenda ſit, perſpicuũ eſſe videtur, & quòd aliquæ ſint expetendæ per ſe differentes ſpecie aut cauſis. Ac de ijs quidem quæ de voluptate & dolore multorum ſermonibus celebrantur ſatis dictum eſt.

CAPVT

CAPVT IIII.

Argumentum.

HACTENVS *agitauit argumenta, quæ docent voluptatem non esse rem bonam. Nunc disputationem instituit de voluptate, quæ & qualis sit, ne aliquid suspicionis vel erroris in animis relinquatur. Quòd autem voluptas non sit motus, hoc argumento ostendere conatur: Omnis motus fit in tempore, quod metitur partes durationis seu successionis. Voluptas non percipitur successiuè, sed simul tota. Vt enim visio fit in instanti: sic voluptatis subita est & totalis perceptio. Ergo voluptas non est motus.*

Obseruent etiam studiosi in hoc capite Physicum axioma: Idem eodem modo se habens semper efficit idem. In fine capitis recitatur hic Sorites: Omnes homines vitam appetunt. Vita est quædam actio. Actionem perficit voluptas. Omnes igitur appetunt voluptatem.

TEXTVS.

QVæ autem & qualis res sit, ita perspicuum erit, si quædam paulò altius repetamus. Videtur enim visio quocunq; tempore perfecta esse. Nulla enim re indiget, quæ deinceps facta speciem eius perficiat. Huic verò similis est voluptas. Totum enim quoddam

dam eſt, neque vllo in tempore percipere aliquis voluptatem poteſt, vt longiore tempore percepta ſpecies perficiatur. Ideo etiam non eſt motus. Omnis enim motus fit in tempore, & ad finem aliquem contendit, vt ædificatio perfecta eſt, cùm fecit id quod appetit, vel in omni tempore, vel in hoc. In partibus verò temporis omnes motus ſunt imperfecti, & ſpecie differunt à toto & inter ſe. Lapidum enim cõpoſitio diuerſa eſt à columnæ erectione, atque hæc à templi extructione. Ac templi quidem perfecta eſt: (nulla enim re indiget ad præſentem ſtructuram neceſſaria) fundamenti verò & laquearium imperfecta. Vtraq; enim partis eſt. Specie igitur differunt, nec licet in quocunque tempore ſumere motum, qui ſit ſpecie perfectus. Sin licet, in toto licet. Sic etiam ſe res habet de ambulatione & de cæteris. Nam loci mutatio eſt motus, quo ſubinde aliud ſpacium acquiritur, & huius ſunt differentes ſpecies, volatus, ambulatio, ſaltus atq; huiuſmodi, neque tantùm hoc modo, verum etiam in ambulatione. Non enim idem eſt ſpacium in ſtadio & in parte, & in hac vel illa parte, neq; percurrere lineam hanc vel illam. Non ſolùm enim lineam pertranſit, ſed etiam in loco conſtitutam. In altero autem hæc quàm illa eſt. Sed alibi de motu accuratè diſputatum eſt.

Vide-

Videtur autem motus non in omni tempore perfectus esse, sed multi [a] imperfecti sunt, & specie differentes, si modò termini à quo & ad quem speciem constituunt. Voluptatis verò quocunque tempore species perfecta est. Perspicuum igitur est, & motuum species varias ac diuersas esse, & voluptatem reponendam esse in numero eorum, quæ sunt integra & perfecta. Accedit illa quoque ratio, quòd motus fieri non potest nisi in tempore. Lætari autem hoc modo possumus. Quod enim in puncto temporis fit, totum quoddam est. Ex his igitur manifestum est, non rectè voluptatem dici motum aut generationem. Non enim omnibus hæc attribuuntur, sed ijs, quæ in partes diuidi possunt, & non sunt integra. Nam neq; visionis generatio est, neq; puncti, neq; vnitatis, neq; horum quidquam est motio aut generatio. Igitur nec voluptas. Totum enim quoddam est.

[a] Disertè inquit *multi*, propter motus circulares. Hi enim motus semper sunt perfecti. Eustratius.

Cùm autem omnis sensus circa obiectum aliquod versetur, & perfectè agat, si bene affectus sit erga pulcherrimum eorum, quæ sub sensum cadunt, (talis enim actio maximè perfecta videtur, nec interest vtrùm dicas ipsum, an id in quo ipse est agere) in vno-

quoq; verò optima ſit eius actio, quod optimè affectum eſt erga præſtantiſsimum eorum, quæ ſub ipſa ſunt, haud dubiè hæc perfectiſsima eſt & iucundiſsima. In omni enim ſenſu voluptas eſt, in omni item intelligentia & contemplatione. Iucundiſsima autem ea eſt, quæ perfectiſsima. At perfectiſsima eius eſt, quod bene affectum eſt erga optimum eorum, quæ ſub ipſa ſunt. Perficit verò actionem voluptas, ſed non eodem modo, quo ſenſibile [b] ſenſum, ſicut nec ſanitas & medicus ſimiles cauſæ ſunt bonæ valetudinis. Singulos autem ſenſus voluptate affici notum eſt. Nam & viſiones & auditiones eſſe iucundas dicimus. Illud etiam conſtat, tunc perfectiſsimam eſſe actionem, cùm & ſenſus præſtantiſſimus eſt, & circa tale occupatus eſt. Quoties igitur huiuſmodi ſunt & ſenſibile & ſentiens, ſemper voluptas exiſtet, cùm & agens & patiens præſtò ſint. Perficit autem actionem voluptas, non vt habitus quidam qui ineſt, ſed vt finis quiſpiam poſtea accedens, ſicut florem ætatis venuſtas comitatur. Ac quamdiu erit quod vel ſub ſenſum, vel ſub intelligentiam cadit, quale eſſe debet & id quod iudi-

[b] Senſibile perficit ſenſum, quia reducit potētiam ad actū. Voluptas perficit actionem nō vt res externa, ſed vt creſcens vna cum actione.

iudicat & contemplatur, tamdiu erit in actione voluptas. Donec enim agens & patiens sui similia sunt, & eodem modo inter se habent, idem effici solet. Quæ igitur causa est, Quòd nemo assiduè lætatur aut dolet? Quia nihil humanum assiduam actionem sustinere potest. Ideo nec voluptas, quæ actionis comes est.

Quædam verò ipsa nouitate delectant, postea verò non similem habent gratiam propter hanc causam, quia primũ sese ad ea conuertit animus, & vehementer in eis elaborauit, sicut videntes initiò quàm maximè intentis oculis aliquid contemplantur. Postea verò actio fit remissior. Ideo etiam voluptas hebetatur.

Omnes autem appetere voluptatem, inde æstimari potest, quia omnes vitam appetunt. Vita verò est quædam actio, & vnusquisque in ijs potissimùm elaborat, quæ præcipuè diligit, vt Musicus percipit auribus concentum, & discendi cupidus mentem in contemplando exercet, denique singuli artifices sui generis opera tractant. At voluptas perficit actiones, & vitam quoque ipsam quam appetunt. Meritò igitur voluptatem quoque expetunt. Perficit enim cuiusque vitam quę est res expetenda.

[c] Voluptas propter vitæ & speciei

Vtrùm [c] verò vitam

volu-

voluptatis causa expetamus, an voluptatem propter vitam, non est huius loci disputare. Coniuncta enim & connexa hæc inter se videntur, ac separari non posse. Nam & sine actione non existit voluptas, & actionem omnem voluptas perficit.

conseruationẽ actionibus naturalibus innexa atque implicata est, vt in nutritione & in opere generationis sentitur voluptas, quę impellit animalia ad quærendum victum & ad procreationem sobolis. Nequaquam verò vitæ finis est voluptas, quia multæ virtutũ actiones cum periculo coniunctæ sunt.

CAPVT V.

Argumentum.

PROPOSITIO *huius capitis præcipua est: Sicut diuersæ sunt species actionum, ita differunt voluptates. Hanc propositionem quinq; argumentis confirmat Aristoteles. Primum est: Propria eandem habent diuisionem quam species, quarum sunt propria. Si igitur actiones diuersæ ac dißimiles sunt, non dubium est voluptates earum proprias esse, in eadem varietate & dißimilitudine. Secundum: Quemadmodum in homine coctio impedit actionem mentis, & vicißim vehemens animi intentio est impedimentum coctionis, ita alia voluptas impedit aliam, vt ardens amor puellæ impedit voluptates, quæ ex studijs doctrinæ per-*

næ percipiuntur. Vt igitur ſpecie differunt intellectus & nutritiua potẽtia: ſic diuerſæ ſunt ſpecies voluptatum, cùm perceptio vnius impediat alteram, quò minus percipi poßit. Tertius: Proprium & alienum differunt ſpecie. Sunt autem aliæ voluptates propriæ, quædam alienæ, vt voluptas Muſica non conuenit ſtudioſo Geometriæ. Ergo voluptatum non eſt vna ſpecies. Quartum: Contraria differunt ſpecie. Sunt autem aliæ voluptates conceſſæ, aliæ inconceſſæ. Ergo ingens diſcrimen eſt voluptatum. Quintum: Sicut differunt ſenſuum actiones puritate, ita differunt voluptates, quæ ſingulorum actiones comitantur. Eſt autem voluptas ex viſione orta, vt verbi cauſa, ex aſpectione corporum & motuum cœleſtium purior quàm ea, quæ vel guſtu vel tactu percipitur. Ergo non omnes voluptates ad vnam ſpeciem referri poſſunt.

TEXTVS.

IDeo etiam differre ſpecie videntur. Quæ enim ſpecie diuerſa ſunt, à diuerſis perfici ſtatuendum eſt, ſicut oſtendunt exempla operum naturalium & artificialium, vt animalia & arbores, pictura, item ſtatuæ, domus, & vas. Simili modo igitur actiones ſpecie diuerſas à differentibus ſpecie perfici exiſtimandum eſt. Differunt autem mentis actiones ab actionibus ſenſuum, atq; hæ inter ſeſe ſpecie. Quare, etiam quæ ipſas perficiunt voluptates.

Huius

Huius sententiæ confirmatio inde sumi potest, quòd vnaquæque voluptas illi actioni adiuncta est, quam perficit. Auget enim actionem propria voluptas. Rectius enim singula iudicant, & accuratius ea tractant, qui cum voluptate agunt, vt Geometræ fiunt, qui Geometricis speculationibus gaudent, & singula diligentius considerant. Sic & Musicę studiosi & amantes ædificationum, & reliquorum singuli, in suo quisque opere, proficiunt, dum eo gaudent. Voluptates ergò simul incrementa accipiunt. Quæ verò vnà augentur, sunt propria. Quæ autem diuersis specie propria sunt, etiam inter se specie differunt.

Illustrior verò confirmatio ex hoc fonte hauritur, quòd voluptates à diuersis causis ortæ impediunt actiones. Nam amantes tibiarum non possunt animum adhibere orationi, simul atque audiuerunt tibicinem, quia magis delectantur tibiæ cantu quàm præsenti actione. Itaque voluptas ex tibiæ [a] cantu orta actionem, quæ orationi tribuenda erat, impedit.

[a] Athenæus lib. 8.

Munere diuorum nulla in tibicine mens est,
Dumque frequens flatus ducitur, illa fugit.
ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν
ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὠ νόος ἐκπέταται.

Idem

Idem etiam in alijs accidit, quando aliquis in duas res intentus est. Quæ enim iucundior est, alteram è medio pellit, ac quantò plus habuerit voluptatis, tantò minus studij & operæ in altera ponetur. Itaque cùm res aliqua vehementer nos delectat, non valde elaboramus in alia, & aliud agimus, altero nos parum oblectantes, vt & in theatris bellaria cōedentes id maximè agunt, cùm mali sunt concertatores.

Et quoniam propria voluptas exquisitas reddit actiones, & diuturniores ac meliores, alienæ verò labefactant, perspicuum est, multum eas inter se distare, longeque disiunctas esse. Ferè enim alienæ voluptates id præstant, quod proprij dolores. Corrumpunt enim actiones proprij dolores, vt si alicui scriptio insuauis & molesta est vel ratiocinatio, is nec scribit, neque ratiocinatur, cùm actio molestiam exhibeat. Contrarium ergo in actionibus contingit ex proprijs voluptatibus & doloribus. Propriæ autem sunt, quæ in actione per se existunt. De alienis verò voluptatibus dictum est, quòd eadem cum dolore efficiant. Corrumpunt enim actiones, quanquam dissimiliter.

Cùm autem differant actiones bonitate & prauitate, & illæ quidem eligendæ sint, hæ verò fugiendę, quędam etiam indifferentes sint, idem

idem diſcrimen erit voluptatum. Singulæ enim actiones ſuam quandam habent voluptatem. Ac quæ bonæ adiuncta eſt honeſta eſt, quæ prauæ improba. Nam & appetitiones honeſtorum laudandæ, & turpium vituperandæ ſunt. Propius autem actionibus adiunctæ ſunt voluptates, quæ in ipſis exiſtunt, quàm appetitiones. Hæ enim diſtinctæ ſunt & temporibus & natura. Illæ verò adeò innexæ ſunt actionibus, adeoque ab ipſis indiſtinctæ, vt ſæpe dubitare poſsis, an vnum & idem ſint voluptas & actio. Etſi autem voluptas nec intelligentia eſt, neque ſenſus, id enim abſurdum eſſet, tamen quia non ſeparantur, videntur quibuſdã idem eſſe. Sicut igitur actiones diuerſæ ſunt, ita etiam voluptates. Differt autem viſus à tactu puritate, ſicut & auditus & olfactus à guſtu.

Eodem modo etiam voluptates differunt, atq; ex his illæ, quæ in intellectu verſantur, & vtræq; inter ſe. Videtur autem vnicuiq; animali propria voluptas attributa eſſe, ſicut & opus. Ea enim eſt quæ in actione conſiſtit. Ac ſingula contemplanti apparet rem ita ſe habere. Alia enim equi voluptas eſt, alia canis, alia hominis, ſicut Heraclitus inquit, aſinos magis fœnum appetere, quàm aurum. Etenim pabulum magis delectat aſinos quàm aurum. Ac illæ quidem, quæ ſunt ſpecie diuerſorum,

ſorum, ſpecie differunt, quæ ſunt eorundem, indifferentes eſſe conſentaneum eſt. In hominibus tamen non parum variant. Eadem [*b*] enim alios offendunt, alios delectant, & quæ alijs ſunt moleſta & odioſa, alijs ſunt iucunda & amabilia. Idem etiam dulcibus accidit. Non enim eadem dulcia videntur febricitanti & ſano, neque idem gradus caloris conuenit infirmo & bene conſtituto. Eodem modo ſe res etiam in alijs habet. Videtur autem in omnibus huiuſmodi id eſſe, quod probo viro apparet. Quòd ſi hoc rectè dicitur, ſicut videtur, & eſt vniuſcuiuſque menſura virtus, & bonus, quatenus talis eſt, voluptates quoque erunt quæ huic apparent, & iucunda quibus hic gaudet. Nec verò mirandum eſt, quædam huic moleſta alijs videri iucunda. Multæ enim ſunt hominum corruptelæ & labes. Iucunda verò non ſunt, ſed his atque ſic affectis. Eas igitur quæ manifeſtam habent turpitudinem, conſtat non eſſe ducendas voluptates niſi corruptis ac deprauatis. Ex ijs verò quæ honeſtæ videntur, qualis aut quænam hominis dicenda eſt? An ex actionibus iudicandum eſt? Has enim comitantur voluptates. Siue igitur vna eſt, ſiue plures perfecti & beati viri, quæ

[b] Horatius: *Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur, Poſcentes vario multum diuerſa palato.*

has perficiunt voluptates, præcipuè homini conuenientes esse iudicentur. Reliquæ autem secundo loco, & multipliciter, sicut & actiones.

CAPVT VI.

Argumentum.

PRIOR pars huius libri continet disputationem de voluptate. Altera pars quæ sequitur est disputatio de beatitudine non quidem practica, sed speculatiua.

Initio autem huius capitis vtitur transitione & repetitione quarundam hypothesium, quas libro primo demonstrauit, quòd videlicet beatitudo non sit habitus otiosus, qualis est in dormiente, sed quòd in actione consistat. Deinde repetit vsitatam partitionem actionum, quarum hæ propter aliud, illæ propter se expetuntur, vt ostendat qualis actio sit beatitudo, ea videlicet in qua acquiescimus.

Post exordium sequitur refutatio opinionum vulgi, quod summum bonum esse voluptates corporis existimat, & ludis præcipuè gaudet & delectatur. Sic enim ratiocinatur: Beatitudo est vltimum bonum, quod propter se expetitur. Ludi non expetuntur propter se, sed ideò vt aliquantò pòst ad seria negocia maiore alacritate redeamus. Ergo in ludis non consistit beatitudo. Item: Beatitudo est in parte animæ præstantißima. Voluptas corporis percipitur à partibus

animæ

animæ ignobilioribus. Ergo voluptas corporis non est finis hominis. Item: Nemo est beatus nisi idem sit vir bonus. Voluptatibus corporis frui possunt boni & mali. Ergo voluptas corporis non est beatitudo.

Obseruetur etiam in hoc capite imago aularum, de quibus Menander inquit: Hæc vita gaudet improbis potissimùm, in quibus assentator primis tenet, viuítque longè iucundissimè omnium, &c.

TEXTVS.

CVm hactenus dictum sit de virtutibus & de amicitia ac de voluptate, restat vt de beatitudine pingui Minerua disseramus, quia finem rerum humanarũ in ea collocauimus. Repetentibus igitur ea quæ suprà dicta sunt, breuior erit explicatio. Diximus autem quòd non sit habitus, qui etiam dormienti & vitam plantæ imitanti inesse potest, & maximis calamitatibus oppresso. Cùm igitur hæc improbentur, potius in actione reponenda est, vt suprà satis dictum est. Et quoniam actionum aliæ necessariæ sunt & propter aliud expetuntur, quædã propter se, satis constat beatitudinem annumerandam esse actionibus propter se expetendis & non propter aliud. Nullius enim rei indigens est beatitudo, sed seipsa contenta est. Propter se verò sunt expetendæ, in quibus nihil præter ipsam actionem

 specta-

ſpectatur. Tales verò videntur eſſe, quæ cum virtute coniunctæ ſunt. Bona enim & honeſta actio ex ijs eſt, quæ per ſe expetuntur. Sunt & ludicræ quædam exercitationes per ſe ſuaues. Non enim propter aliud expetuntur. Sed plus detrimenti quàm emolumenti ex eis capiunt negligentes corpora & facultates. Confugiunt autem ad hanc rationem & inſtitutum vitæ multi, qui beati videntur. Ideo apud tyrannos in precio ſunt, qui in hoc genere vitæ vrbani ſunt. Nam in ijs, quæ illi appetunt ſeſe præbent iucundos. Indigent autem talibus. Ac videntur quidem hæc ad beatitudinem pertinere, quia potentes his rebus dediti ſunt. Sed nullum fortaſſe argumentum ab his ſumi poteſt. Non enim in magnitudine potentiæ virtus conſiſtit, neque mens gubernatrix honeſtarum actionum. Nec verò ſi iſti, quia nunquam primis labris guſtarunt voluptatem ſinceram & liberalem, ad corporis voluptates confugiunt, ideo ſtatuendum eſt, has potiſsimùm expetendas eſſe. Nam & pueri, quæ in precio habent, optima eſſe putant. Conſentaneum eſt igitur, ſicut pueris & viris diuerſa videntur magni æſtimanda, ſic etiam malis & probis. Sicut ergo ſæpe dictum eſt, & pretioſa & ſuauia ſunt ea, quæ bono viro talia ſunt. Vnicuique verò quæ ſuo habitui conuenit, maximè expetenda eſt actio. Probo autem

tem

tem viro quæ virtuti. Non igitur in ludicra exercitatione consistit beatitudo. Est enim absurdum, finem nihil aliud esse quàm ludum, & in tota vita sustinere labores & ærumnas ludendi causa. Omnia enim, vt ita dicam, alterius gratia expetimus præter beatitudinem. Ipsa enim finis est. Tractare autem res serias, & labores suscipere ludendi causa, stolidum planè ac nimis puerile videtur. Ludere autem vt seriò agas, secundum Anacharsin, videtur rectè se habere. Laxamento enim similis est ludicra exercitatio, cumq; homines non possint perferre assiduitatem laboris, interuallo ad quietem indigent. Non enim igitur finis est quies, cùm propter actionem concedatur. Videtur autem beata vita in actione versari. Hæc verò seria est, & minimè ludicra, & meliora iudicamus seria quàm ridicula & ludicra. Melioris etiam semper & partis & hominis magis seriam actionem. Quæ verò melioris est, præstantior est, & ad beatitudinem magis accommodata. Frui etiam potest corporis voluptatibus obscurus atque ignobilis, & mancipium non minus quàm vir optimus. Beatitudinem verò nemo mancipio assignat, nisi & vitam beatam ei tribuat. Non enim in talibus delicijs, sed in actionibus virtutis beatitudo consistit, sicut antea dictum est.

CAPVT VII.

Argumentum.

CONFERT vtramq; beatitudinem, & in hac collatione speculatiuam anteponit politicæ. Ac prima quidem ratio huius antecellentiæ sumitur à subiecto & obiecto. Neq; enim mente, aut ijs circa quæ mens versatur, quidquam præstabilius est. Sunt enim obiecta mentis Deus, virtus, & rerum natura. Altera ratio sumitur à tempore. Res ipsa ostendit, hominem plus temporis tribuere posse speculationi, quàm reliquis actionibus. Est autem continuatio in omni re efficacißima, & longè præstat actionibus ex interuallo repetitis. Tertia ducitur à voluptate. Nulla voluptas suauior, sincerior & firmior est, quàm quæ ex studijs doctrinæ percipitur. Non enim apes suo mellificio magis delectantur, quàm Archimedes & Ptolemæus Geometricis & Astronomicis demonstrationibus. Est enim, vt Cicero in Lucullo inquit, animorum ingeniorumq; naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioq; naturæ. Erigimur, lætiores fieri videmur, humana despicimus, cogitantesq; supera atq; cœlestia, hæc nostra vt exigua & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultißimarum habet oblectationem. Si verò aliquid occurret, quod verisimile videatur, amœnißima complectur animus voluptate. Quarta à proprietate beatitudinis, quæ nominatur αὐτάρκεια. Nam cùm politica

beati-

beatitudo non solùm rebus ad victum cultumq; perti-
nentibus, sed etiam alijs permultis adminiculis indi-
geat, speculatiua beatitudo sua sapientia gaudet, &
quasi ex penu suo cuncta promit, quæ ad beatè viuen-
dum ferunt. Quinta à definitione beatitudinis. Bea-
titudo est vltimus finis, qui propter se expetitur. Spe-
culatio tantùm propter se expetitur & in seipsa ac-
quiescit. Politicæ verò actiones ad alium finem refe-
runtur. Consistit igitur beatitudo magis in cognitio-
ne optimarum rerum, quàm in actione politica. Po-
strema ratio ducitur à comparatione tranquillitatis
& inquietudinis. Nihil beatum est nisi sit quietum.
Speculatiua vita plena est quietis & tranquillitatis.
Politica plena ingentium laborum & periculorum, vt
ostendunt exempla gubernationis togatæ, & bellicæ.
Quantum igitur arma cedunt togæ, tantum concedit
politica vita speculatiuæ, quod attinet ad fructũ quie-
tis & tranquillitatis.

TEXTVS

QVòd si beatitudo est actio secundum vir-
tutem, consentaneum est, eam esse se-
cundum optimam & præstantissimam. Hæc
autem est optimi. Siue igitur mens sit, siue
aliud quoddam, quod secundum naturam
videtur dominari, & cum imperio præesse,
& notitiam habere honestarum & diuina-
rum rerum, siue & ipsum diuinum sit, siue eo-
rum, quæ in nobis sunt, proximè ad diuinita-

tem accedat, huius actio ſecundum propriam virtutem perfecta erit beatitudo, quam in contemplatione poſitã eſſe, dictum eſt. Congruere autem hæc ſententia videtur & cum ijs quæ prius dicta ſunt, & cum ipſa veritate. Nam & præſtantiſsima eſt hæc actio. Etenim mens quoque inter ea maximè excellit, quæ in nobis ſunt, & obiectis, circa quæ mens verſatur, nihil præſtabilius eſt. Deinde etiam maximè continuata eſt. Contemplari enim maiori aſsiduitate poſſumus, quàm alias res agere, & exiſtimamus oportere voluntatem beatitudini admixtam eſſe. Iucundiſsima verò inter virtutis actiones ea haud dubiè eſt, quæ à ſapientia proficiſcitur. Sapientia ergo videtur mirabiles voluptates habere, ſiue puritatem, ſiue diuturnitatem ſpectes. Conſentaneum eſt autem vitam ſcientia præditis iucundiorem eſſe, quàm ijs qui quærũt & diſputant. Ac quæ dicitur ſufficientia, in contemplatione maximè locum habet. Nam rebus ad vitam neceſſarijs & ſapiens indiget & iuſtus, & reliqui, cumque hæc quaſi virgula diuina ſuppeditantur, iuſtus tamen alijs indiget, erga quos iuſticiam exercere poſsit. Similiter & temperans & fortis, & cæterorum vnuſquiſque. Sapiens verò, quamuis ſolus contemplari poteſt, & quantò ſapientior fuerit, tantò magis in ſolitaria vita philo-

ſopha-

ſophabitur. Melius fortaſſe, ſi habeat ſocios & comites eiuſdem laboris. Sed tamen ſeipſo maximè contentus eſt. Porrò hæc ſola propter ſe diligi videtur. Nihil enim ab ea proficiſcitur niſi contemplatio. Ex agendis autem rebus aut plus aut minus nobis acquirimus, præter ipſam actionem. Videtur etiam beatitudo verſari in quiete. Sumus enim implicati occupationibus, vt quiete fruamur, & bella gerimus, vt in pace viuamus. Ac practicarum quidem virtutum actiones in rebus ciuilibus & bellicis cernuntur. Quæ verò in his actiones verſantur, operoſæ videntur. Bellicæ ſanè omnino. Nemo enim bellum appetit bellandi cauſa, neq; apparatum bellicum. Videretur enim nimis ſitire humanum ſanguinem, ſi quis ex amicis faceret hoſtes, vt ſegetem pugnarum & cædium haberet. Ciuilis quoque actio multas habet occupationes, quia præter Reip. gubernationem quærit potentiam & honores, aut beatitudinem ſibi & ciuibus, quæ diuerſa eſt à ciuili, quam etiam quærimus. Si igitur ex actionibus virtutum bellicæ & ciuiles pulchritudine & magnitudine excellunt, hæ verò ſunt operoſæ, & finem aliquem appetunt, nec per ſe ſunt expetendæ, mentis autem actio & ſtudio præſtare videtur, cùm ſit ſpeculatiua, & præter ſeipſum nullum finem expetere, habereque propriam

voluptatem, quæ actionem ſimul augeat, & ſeipſa contenta eſſe ac quieta, nec defatigari, vt res humana, & quæcũq; alia beato attribuuntur, ex hac actione videntur exiſtere. Perfecta igitur hæc beatitudo hominis erit, ſi perfectam vitæ longitudinem fuerit adeptus. Nulla enim pars beatitudinis imperfecta eſt. Talis verò vita longe humanam cõditionem ſuperat. Non enim quatenus homo eſt, ita viuet, ſed quatenus diuinum quiddam ei ineſt. Quantò autem id præſtat compoſito, tantò etiam eius actio ab actione diſtat, quæ ex virtute alia oritur. Si igitur mens eſt quiddam diuinum reſpectu hominis, vita quoque ad hanc normam directa diuina eſt, ſi humanæ vitæ comparetur. Nec verò obtemperandum eſt præcipientibus, vt cùm homines ſimus morti obnoxij, humana tãtùm & mortalia cogitemus, ſed quantum fieri poteſt opera danda eſt, vt immortalitatem conſequamur, & omnia referenda ad eam vitam, quæ congruit cum optima naturæ noſtrę parte. Etſi enim hæc pars mole parua eſt: tamen vi & dignitate omnibus alijs antecellit. Videtur autem hoc vnuſquiſque eſſe, ſiquidem præcipuum & melius eſt. Quare abſurdum erit, ſi quis non ſuam viuendi rationem, ſed potius alienam appetat. Quod autem ſuprà dictum eſt, id etiam huc pertinet. Quod enim natura cui-

ra cuique est proprium, id præstantissimum & iucundissimum cuique esse solet. Est ergo etiam homini vita cum intellectu congruens, quia maximè id homo est. Hæc igitur etiam beatissima est.

CAPVT VIII.

Argumentum.

IN PRIMA *parte huius capitis duo discrimina vtriusq; beatitudinis recitantur. Primum discrimen est: Politicæ beatitudinis actiones sunt humanæ, quia versantur vel in cōmunicatione rerum, vel in ordinatione personarum, vel in moderatione affectuum, vel in sermone. At speculatiua beatitudo segregata est à ciuili consuetudine atq; ab hominum vita. Huic discrimini intertexitur insignis locus suprà in libro sexto explicatus, de necessaria copulatione virtutis & prudentiæ. Vt enim virtus eligit honestum finem, sic prudentia dirigit media ad finem. Alterum discrimen. Politica beatitudo plurimū adiuuatur à fortuna & alijs bonis externis. Nam pauper nō potest esse magnificus, vt in libro quarto dictū est. Sed altera beatitudo paruo contenta est, & à rerum externarum affluentia impeditur. Vt enim olei copia flammam in lychno extinguit, sic opulentia impedit studia doctrinæ.*

Obseruentur autem in huius discriminis expositione duæ memorabiles sententiæ, quarum vna lectorem

docet

docet de latebris humanæ voluntatis, qua nihil obscurius, nihil incertius, nihil fallacius est. αἱ γὰρ βουλήσεις ἄδηλοι. *Altera monet, necessariam esse copulationem electionis & actionis. Nam sola actio sine electione potest esse simulata.* προαίρεσις *autem sine actione similis est thesauro abscondito, seu Musicæ occultæ.*

In altera parte huius capitis duobus argumentis confirmat sententiam, quòd perfecta & omni è parte absoluta beatitudo sit optimarum & diuinarum rerum cognitio. Primum argumentum est: Eadem est ratio beatitudinis in Deo & in homine, quia homini prima cum Deo societas est, vt in versu dicitur,

Exemplumq; Dei quisque est in imagine parua.

In Deo autem est beatitudo θεωρητική*. Ergo & hominis beatitudo consistit in consideratione & contemplatione rerum maximarum. Minorem confirmat sufficienti enumeratione specierum. Omnis actio aut est* πρακτική*, aut* ποιητική*, aut* θεωρητική*. In Deo non est actio* πρακτική*, nec* ποιητική*. Relinquitur ergo in Deo* θεωρία*. Videtur enim absurdum, Deo tribuere obiecta, ad quæ moderanda virtute politica opus est. Et quoniam actio moralis aliena est à Dei natura, multò minus ei tribuenda est fabricatio. Fateamur ergo in Deo esse* θεωρίαν*, qua & sese & res in natura aspicit & considerat. Secundum: Bruta non sunt beata, quia nihil sibi de hac præstantissima actione videlicet de cognitione rerum decerpunt. Ergo homines*

mines hoc ipſo beati ſunt, quo & à brutis maximè diſtant, & ad Deum proximè accedunt.

In fine capitis multæ ſunt inſignes ſententiæ. Prima, Studioſis doctrinæ opus mediocritate facultatum. Nam experientia oſtendit, vtrunq; extremum periculoſum eſſe, nimiam opulentiam, & extremam inopiam. Secunda: αὐτάρκεια non conſiſtit in exceſſu. Tertia: Solonis dictum: Beatus eſt qui viuit iuſtè & honeſtè, & cui non deſunt corpori neceſſaria, hoc eſt, vt nos loquimur, Duo præcipua bona ſunt, quæ à Deo ſuo ordine petenda ſunt, vera agnitio Dei, & mediocritas facultatum, quia inopia multos hortatur, vt confugiant ad malas artes in aulis vſitatiſſimas, videlicet ad aſſentationes, calumnias, proditiones, &c. Quarta, Anaxagoræ dictum: Non mirandum eſt, ſi multitudo imperita iudicet aliquem miſerum eſſe. Etenim vulgus nihil magnifacit niſi fucoſum ſplendorem in oculos incurrentem, nec quidquam iudicij habet de veris & permanentibus bonis. Quinta: In Moralibus diſputationibus plurimum valet conſonantia orationis & vitæ humanæ, vt Stoica Paradoxa ſunt verſus rerum inopes nugæq; canoræ, quia ſenſus moréſque hominum, vt ait Horatius, aduerſa fronte eis repugnant. Poſtrema: Teſtimonium de prouidentia. Si curæ ſunt Deo res humanæ, vt videtur & conſentaneum eſt, maximè ei curæ ſunt homines iuſticia & alijs virtutibus præditi.

TEXTVS.

TEXTVS.

SEcundus verò locus tribuatur politicæ virtuti. Nam actiones ab ea ortæ & profectæ sunt humanæ. Etenim iusta & fortia, & reliquarum virtutum officia erga alios exercemus in contractibus & negocijs & actionibus, quarum magna varietas est, & in affectibus suum cuique decorum tribuimus. Hęc autem omnia videntur esse humana. Nonnulla verò etiam à corpore oriri videntur, & magnam cognationem cum affectibus virtus moralis habet. Est etiam arctissima copulatio inter prudentiam & virtutem moralem. Nam & prudentiæ principia congruunt cum virtutibus moralibus, & rectitudo virtutum congruit ad prudentiam. At hæ connexæ etiam cum affectibus sunt, & in composito versantur. Compositi verò virtutes sunt humanæ. Ergo & vita quæ ab eis regitur, & beatitudo huiusmodi erit. Mentis autem separata est, de qua hæc dixisse satis sit. Nam subtilior disputatio non est huius instituti.

Videtur verò vel parum, vel minus quàm moralis externis adminiculis indigere. Nam rebus necessarijs vtrique opus est, tametsi politicus magis curet corpus, & ea quæ ad victum cultumque corporis pertinent. Sed in actio-

actionibus discrimen vtriusque potissimùm cernitur. Liberali enim pecunia opus est ad exercendam liberalitatem, & iusto ad referendam gratiam. [a] Voluntates enim obscuræ sunt, cùm & iniusti sæpe iustas actiones simulent. Forti etiam robore opus est, vt possit aliquid laude dignum gerere, & temperanti libertate. Quo pacto autem vel talis, vel alius quispiam cognosci potest? Quæritur enim, sítne electio magis propria virtutis, quàm actiones, cùm in vtrisque consistat. Sanè quod perfectum [b] est, vtrunq; complectitur, electionẽ videlicet & actionem. Actiones verò multa adiumẽta desiderant, ac quantò fuerint maiores & pulchriores, tantò etiam plura. Contemplanti verò nihil his rebus opus est ad actionẽ, sed vt ita dicã, etiã impedimento sunt contẽplationi. Quatenus verò homo

[a] Cic. ep. 1. ad Q. Fratrem: Multis simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissime.

[b] Zeleucus legislator Locrensium Emzephyriorum in exordio suarum legum verissimè dixit: Non colitur Deus sumtu, nec tragœdijs captiuorum, vt malus homo, sed eum qui vult Deo placere, oportet bonũ esse, non solùm actione, sed etiã proposito iustorũ & honestorum operum.

homo est, & cum alijs versatur, certum ei deliberatumq; est secundum virtutem agere. Indiget igitur his ad cultum vitæ humanæ.

Quòd autem perfecta beatitudo sit contemplatrix, hinc etiam percipi potest. Nam Dijs summam beatitudinem tribuimus. Iam quales actiones eis assignare debemus? Iustásne? An verò ridiculi videntur contrahentes & depositum reddentes & alia eiusdem generis facientes. An fortes sustinentes magna & honesta pericula? An liberales? At cui dabunt? Absurdum etiam esset, si nummos, aut tale quid possiderent. Si verò temperantes, quidnam essent? An non molesta & odiosa hæc laus esset, cùm nullas habeant prauas cupiditates? Ac si quis omnia percurrat, quæ ad actiones pertinent, reperiet parua admodum esse, & natura deorum indigna. At viuere eos omnibus persuasum est. Agunt igitur aliquid. Nòn enim putandum est eos dormire, sicut Endymionem. [c]

[c] Cicero 1. Tusc. Endymion, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latino obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum opinor est experrectus. Num igitur eum curare censes, quàm luna laboret, à qua consopitus putatur, vt eum dormientem oscularetur? Plinius lib. 2. cap. 9. Singula in Luna deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore eius captus fama traditur.

Si igi-

Si igitur viuenti non modò actionem, ſed etiam fabricationem detrahas, quid aliud quàm contemplationem ei relinques? Cùm igitur Dei actio beatitudine præſtans ſit contemplatiua, haud dubiè inter humanas actiones illa beatiſsima erit, quæ ad hanc proximè accedit.

Magnum verò argumentum eſt, quòd reliqua animalia beatitudinis expertia ſunt, quia omnino hac actione priuata ſunt. Ac Deorum quidem tota vita beata eſt. Hominum verò quatenus ad ſimilitudinem huius actionis accedit. At cæterorum animalium nullum beatum eſt, quia nihil commercij habent cum contemplatione, quæ ijſdem, quibus beatitudo, regionibus ac terminis, continetur, & quibus magis ineſt contemplatio, ijſdem etiam beatitudo, non quidem per accidens, ſed propter contemplationem. Ipſa enim per ſe honore afficienda eſt. Eſt igitur beatitudo quædam contemplatio.

Opus autem erit ei, cùm homo ſit, etiam externa proſperitate. Etenim natura ad contemplandum non ſufficit, ſed neceſſe eſt & corpus rectè valere, & habere victum, & cætera ad vſum idonea. Sed nequaquam exiſtimandum eſt, multis [*d*] & magnis indige-

[d] Sicut opulentia & impedit literarum

re beatum, nisi contingat sinè externis bonis beatũ esse. Non enim in excessu consistit sufficientia, neque actio. Fieri enim potest, vt etiam sine imperio terræ & maris honesta aliquis agat. Nam habens mediocria vitæ commoda, potest secundum virtutem agere. Id verò cernere euidenter licet. Etenim priuati homines non minus quàm potentes videntur probè agere, imò etiam magis. Satis igitur est, si facultates sint mediocres. Nam vita beata in virtutis actione posita est. Præclarè ergo Solon pronunciauit eos esse beatos, qui cùm mediocritate bonorum externorum instructi sint, honestißima agunt & modestè viuunt. Sæpe enim mediocria poßidentes agunt quæ agenda sunt. Videtur etiam Anaxagoras, non diuitem aut potentem iudicare beatum inquiens, non esse mirandum, si quis vulgo videatur miser, quia vulgus tantùm iudicet de rebus externis, quæ in oculos incurrunt. Consentire verò videntur cum rationibus sapientum opiniones, quæ quidem non parum momenti ad fidem faciendam habent. Sed veritas in rebus agendis ex operibus atque ex vita potißi-

studia & in otiosis alíe luxum: Ita mediocritate facultatum opus est studiosis doctrinę, quia vacare huic suo muneri non possunt, si victum sibi & familijs aliunde quærere cogantur.

tissimùm æstimatur. In ijs enim summa omnis ratio & cardo versatur. Quare quæ hactenus commemorata sunt, cum factis & vita conferri debent, ac si cum factis consentiant, recipienda, sin autem ab eis discrepent, pro verbis inanibus habenda sunt. Qui verò mentem agendo exercet & hanc colit, & optimè constitutus est, Deo charissimus esse videtur. Si enim curæ sunt Deo res humanæ, vt videtur & consentaneum est, maximè ei curæ est res optima & cognata. Id autem est mens. Hanc igitur præcipuè diligentes & honore afficientes præmijs ornat, tanquam amicos suos, & rectè atque honestè agentes. Quòd autem his omnibus præditus sit sapiens, minimè obscurum est. Quare & Deo charissimus est. Eundem verò consentaneum est esse etiam beatissimum. Itaque non dubium est, sapientem maximè beatum esse.

CAPVT IX.

Argumentum.

HACTENVS *de moribus eruditissimè philosophatus est. Nunc quasi in Epilogo totius operis lectores hortatur, ne sint arguti ciues sine virtute tanquam præficæ, sed præcepta ad vsum in gubernatione vitæ*

transferant, præsertim cùm sola notitia neminem efficiat beatum, & finis huius philosophiæ non sit cognitio, sed actio. Reliqua pars capitis est παρασκευὴ ad libros de Republica. Non enim solùm de priuatæ vitæ ratione scripsit Aristoteles, sed etiam tradidit præcepta ad Rerumpublicarum rectionem relata.

TEXTVS.

VTrùm igitur, si de his & de virtutibus, itemque de amicitia ac de voluptate satis dictum est, idque pingui Mineruа, finem habere hoc propositum existimandum est? An, quemadmodum dicitur, non est rerum agendarum finis positus in contemplatione & cognitione, sed multò magis in actione. Non enim satis est nosse doctrinam de virtute, sed opera danda est, vt ea præditi simus, eandemque ad vsum transferamus, nisi fortasse alio quodã modo boni efficimur. Quòd si præcepta eam vim haberent, vt sola probos facere possent, plurimis & maximis præmijs meritò ornanda essent secundum Theognidem, & omni studio paranda. Iam verò res ostendit ad liberales adolescentes cohortandos & incitandos valere, & ad mores generosos ac reuera honestatis studiosos faciendos, qui virtute cohiberi posіnt, plærosque verò ad probitatem exuscitare non posse. Non enim

enim pudore mouentur, ſed metu, neque à prauis abſtinēt propter ipſam turpitudinem, ſed formidine pœnæ. Cùm enim affectibus obſequantur, proprias voluptates quærunt, earumque inſtrumenta, & fugiunt contrarios dolores. Honeſti autem & verè iucundi ne quidem notitiam habent, cùm nullam eius partem guſtarint. Tales igitur quæ oratio ad moderationem flectere poteſt? Eſt enim impoſsibile, aut certè difficile, mores vetuſtate confirmatos oratione mutare, ſed prę-clarè nobiſcum agitur, ſi quamuis omnia in promtu ſint, quibus probi effici videmur, participes virtutis ſimus. Fieri autem bonos putant, alij natura, quidam aſuefactione, nonnulli doctrina. Quod igitur ad naturam attinet, manifeſtum eſt eam non eſſe in noſtra poteſtate, ſed Dei conceſſu & munere ijs, qui reuera felices ſunt, dari. Oratio verò, & doctrina non in omnium animis aculeos relinquunt, ſed præparandus eſt auditoris animus & aſuefaciendus ad recta gaudia & odia, ſicut terra quæ ſemen fouere debet. Non enim audiret orationem dehortantem, ac ne quidem intelligeret, qui affectibus tanquam ventis regitur. Sic verò conſtitutum nulla oratio flectere poterit. Imò affectus non videtur cedere orationi, ſed vi ad eum reprimendum opus eſt. Neceſſe eſt igitur mo-

res prius ad virtutem ſic informatos eſſe, vt & honeſtatem ament, & auerſentur turpitudinem. Ab ineunte verò ætate rectè aſuefieri ad virtutem difficile eſt, niſi talibus legibus innutriti ſimus. Nam modeſtè & patienter viuere, plæriſque non eſt iucundum, præſertim adoleſcentibus. Ideo legibus ſancienda eſt educatio & vitæ inſtitutio. Nam conſuetudine confirmata non ſolent eſſe moleſta.

Neque verò ſatis eſt fortaſſe, adoleſcentes rectè educari atque inſtitui, ſed etiam virilem ætatem conſecutos oportet eodem modo exerceri & aſuefieri. Ad hæc etiam legibus nobis opus eſt, quæ de tota vita præcipiant. Multi enim non tam perſuaſione quàm coactione, & metu pœnarum magis quàm virtutis amore ad obedientiam flectuntur. Ideo exiſtimant aliqui, legiſlatorum hæc eſſe officia, vt cohortentur quidem ad virtutem, & incitent, propoſita honeſtatis pulchritudine, probos tanquam ſua ſponte obtemperaturos, contumaces verò & monſtroſos omni genere pœnarum coerceant, denique inſanabiles agro atque finibus exterminent. Ita enim fiet, vt & probus ac honeſtè viuens orationi obtemperet, & malus voluptatem appetens dolore quaſi iumentum quoddam puniatur. Ideo etiam dicunt, tales dolores exhi-

exhibendos esse, qui maximè aduersentur desideratis voluptatibus.

Si igitur, quemadmodum dictum est, eum qui bonus futurus est, præclarè educari atque assuefieri oportet, deinde talem vitæ cursum tenere, vt nec sua sponte nec inuitus mala perpetret, hæc ita fiunt, cùm ad mentis iudicium, & rectum ordinem, cuius maxima vis est, vita dirigitur. Ac paterna quidem præceptio, nec vim habet, nec coactionem, neque omnino viri vnius, nisi rex, aut talis aliquis sit. At lex cogendi vim habet, cùm sit oratio à prudentia quadam & mente profecta. Ac homines quidem oderunt eos, qui appetitionibus ipsorum aduersantur, etiamsi id rectè faciant. Lex verò præcipiens obedientiam nemini odiosa est. In sola autem Lacedæmoniorum Republica legislator paucis in consilium adhibitis videtur procurationem habere educationis & studiorum. Nam in plærisque ciuitatibus hæc negliguntur, & viuit vnusquisque vt libet, cyclopico more imperans liberis & vxori. Ac maximè quidem optandum est, vt gubernatores hac cura afficiantur, & rectè omnia constituantur. Sed si hæc publicè negligantur, priuatim vnusquisque quantum potest conferat, aut certè conferre cupiat, vt liberi & amici virtute ornati sint.

Maximè autem hoc facere posse, ex ijs quæ dicta sunt, videtur, quem Respublica autoritate condendi leges armauerit. Nam publica procuratio certis legibus continetur, quæ si bonæ fuerint, ipsa quoque bona erit, nec interest vtrùm scriptæ sint an non scriptæ, neque vtrùm vnus an multi per eas instituantur, sicut neque in Musica, & Gymnastica & in alijs disciplinis. Quemadmodum enim in Rebuspublicis præcipua autoritas est legum & morum: ita in familijs potissimùm florent & dominantur paternæ commonefactiones & exempla, ac meritò quidem propter cognationem & beneficia. Nam liberi amore parentes complectuntur, & naturali ordine eis subiecti sunt.

Porrò priuatæ educationes differunt à publicis, vt in arte medica. Etsi enim in vniuersum febricitanti prodest inedia & quies, tamen huic fortasse non prodest, sicut & magister pugilum non eandem pugnam omnibus asignat. Videntur autem singula accuratius administrari priuata cura adhibita. Magis enim consequitur vnusquisque quod sibi congruit. Sed singulos rectisimè curat & Medicus, & Gymnastes, & quiuis alius, qui vniuersaliter scit omnibus aut talibus prodesse. Communis enim rei scientiæ & dicun-

dicuntur & ſunt. Sed nihil obſtat, quò minus vnum aliquem rectè curet etiam ſcientiæ ignarus, ſi modò diligenter obſeruet ſingulorum accidentia fretus experientiæ teſtimonio, ſicut & medici quidam videntur ſibi ipſis eſſe optimi, cùm quidem alijs nullam opem ferre poſsint. Nihilo verò minus ei, qui vult fieri artifex & contemplator, ad vniuerſale progrediendum eſt, atque id quomodo ſe habeat cognoſcendum. Dictum eſt enim, in hoc ſcientiam verſari.

At fortaſſe ei, qui vult diligentia meliores reddere ſiue multos ſiue paucos, opera danda eſt, vt legum ferendarum artifex ſit, ſi modò legibus boni efficimur. Nam & prius latas emendare non eſt cuiuſlibet, ſed periti artificis, ſicut & in arte medica & in cæteris, quarum eſt procuratio aliqua & prudentia.

Poſt hæc conſiderandúmne, vnde aut quomodo artifex legum ferendarum aliquis fiat? An ſicut in cæteris fit ex ciuilibus? Pars enim videbatur ciuilis ſcientiæ. An verò diſſimilitudo eſt ciuilis ſcientiæ & aliarum artium atque facultatum? Nam in cæteris ijdem videntur communicare facultates, & ex eis agere, vt medici & pictores. Ciuiles autem res Sophiſtæ ſe docere poſſe profitentur,

cùm tamen nemo eorum agat, ſed admini-ſtrantes Remp. qui videntur id facultate qua-dam agere, & experientia magis quàm intel-ligentia. Nam neque ſcribere neque dicere de huiuſmodi rebus cernuntur (quod quidem præſtantius eſſet, quàm ſcribere iudiciales & ſuaſorias orationes) nec politicos feciſſe fi-lios ſuos, aut reliquos amicos, quod ſanè feciſſent, ſi id præſtare potuiſſent. Nihil enim vel Rebuſpub. præclarius reliquiſſent, neque ſe vlla facultate magis quàm hac præditos eſ-ſe maluiſſent, neque certè chariſsimos. Non parum tamen conducere experientia vide-tur. Non enim ex ciuili conſuetudine ma-gis ciuiles redderentur. Itaq; cupientibus ci-uilem ſcientiam cognoſcere experientia opus eſt. At Sophiſtæ, qui hæc profitentur, procul abſunt à ratione eam docendi. Omnino e-nim ignorant, qualis ſit, & circa quæ verſe-tur. Non enim eandem cum Rhetorica, ne-que deteriorem ſtatuerent, neq; facilem rem eſſe putarent leges ferre, aut ex prius latis o-ptimas eligere, perinde quaſi delectus non ſit ſignum prudentiæ. Nam rectè iudicare non parua res eſt ſicut in Muſicis. Artifices enim rectiſsimè de ſuis operibus iudicant, & qui-bus aut quomodo perficiantur, norunt, & quæ quibus conſentiant. Imperitis verò ſa-tis eſt, ſi non ignorent rectène an ſecus fa-

ctum

ctum sit opus, sicut in pictura. Leges verò sunt quasi quædam ciuilia opera. Quæri igitur potest, quomodo aliquis artifex legum ferendarum fieri, aut optimas iudicare posit? Neq; enim Medici ex commentarijs fieri videntur, etiamsi lectores moneant non solùm de medicatione, sed etiam de modo applicandi remedia singulorum habitibus distinctis. Hæc verò peritis quidem conducere videntur, imperitis autem inutilia sunt. Fortasse igitur etiam legum & Rerumpublicarum collectiones ijs, qui possunt considerare adhibito iudicio, recténe an secus se habeant, & quæ quibus congruant, fructum vtilitatis afferre possunt allaturæ sunt. Ijs verò qui sine habitu talia tractant, iudicare quidem rectè non licet, nisi fortuitò, perspicaciores tamen ad ea fortasse efficiuntur. Cùm igitur superiores hanc partem doctrinæ de condendis legibus nō satis explicatam reliquerint, nostrum est eam diligentius considerare, vt quantum à nobis fieri potest, philosophia de humanis rebus perfectè posteris tradatur. Ac primùm quidem conabimur exponere ea quæ sigillatim à maioribus rectè dicta sunt. Deinde collectis formis Rerumpubl. considerabimus, quæ sint causæ conseruantes, quæ item conseruantes Rerumpub. & quæ singulis politijs congruant, & propter quas causas aliæ bene, aliæ

ne, aliæ ſecus adminiſtrentur. His enim conſideratis facile intellectu erit, quę forma Reip. & quomodo conſtituta, & quibus legibus & moribus vtens ſit optima. Sumto igitur hinc initio dicamus.

FINIS LIBRI X. Ethicorum.

BENI-

BENIGNO LECTORI S. D.

VIſum fuit in calce operis, per Dei grati-
am ad finem perducti, ſcripta quædam
ſubiungere, more in Academijs vſitato, à Dn.
Victorino, οὗ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, propo-
ſita, idq́; ideo, vt lector cognoſcat, quouſque
publicam horum librorũ prælectionem per-
duxerit Autor, quo nimirum cognito, cau-
ſam ille ſimul intelliget, quare minus elabo-
ratum, minúſque perfectum opus hoc videri
poſsit. Nam priores tantùm libros quatuor
integros publicè prælegit. Quintum vix dum
ceperat, cùm eum de hac vita euocaret Domi-
nus. Hæc ratio eſt, cur priores libri nonnihil
accuratius adornati, & ſcholijs paulò copio-
ſioribus illuſtrati ſint quàm poſteriores, quos
vnà tamen cum alteris reuidere & locúpleta-
re totos voluit, etiam Politica atq; Oeconomica
mica Ariſtotelis his additurus, ſi non imma-
tura mors, quam præſtanti viro, οὗ οὐκ ἄξιος ἦν
ὁ κόσμος, peccata mundi accelerarunt, hoc no-
bis bonum inuidiſſet. Etſi autem in promtu
erat, de ijs ſcholis, quas habuit in publ. prelect.
in quibus prolixior eſſe & dicere plura quàm
dictare de libro ſuo conſueuerat, priores, quos
dixi, libros cumulare, multarum rerum atq;
quæ-

quæstionũ, quas ille auditoribus suis proposuisset, explicatione: maluimus tamen, cùm vt librorum omnium eadem propè esset conformitas, tum alias etiam ob causas, hæc non aliter edere, quàm vt in ipso Victorini autographo, qui hæc sic adumbrauit, scripta esse deprehendimus: de quo nimirum fideliter hæc sunt expressa. Quæ si omnibus satisfactura non sunt, neque nimis operosa atque exquisita videbuntur, id scilicet apud animum cogitetur, de quo modò est dictum. Res præterea ipsa ostendet, autorem nec voluisse quidem etiam in otio maiori omnia subtilius persequi, & limatius exquirere, sed satis habuisse, de præcepto ipsius etiam philosophi, ὡς ἐν τύπῳ καὶ παχυλῶς Ethica tradere, & quæ tradidisset, optimis vitæ regulis, atque exemplis, quam ille rectissimam docendæ philosophiæ moralis viam atque rationem ducebat, illustrare, cùm finis huius doctrinæ sit non modò apud philosophos, sed in ipsa quoque Ecclesiæ doctrina οὐ γνῶσις ἀλλὰ πρᾶξις. Verùm de his modò plura non sunt commemoranda. Tu, quemadmodum antè etiam rogatus es, humanissime lector, hæc boni consule, iisque quàm potes rectissimè, fruere: quod si te facere constiterit, Deo iuuante, ab alijs qui hoc iam agunt, plura propediem huius viri scripta, οὐ πρὸς ἐπίδει-

ξιν μᾶλλον, ἢ τὴν κοινὴν ὠφέλειαν inſtituta, tecum liberaliſsimè communicata accipies. Bene vale. Anno χριστοῦ σωτῆρος M. D. LXXII. M. Febr.

Vitebergæ.

I. M. V. S.

STVDIOSIS PHILOSO-PHIÆ MORALIS IN ACA-demia Heidelb. S. D.

MVLTÆ grauiſsimæ cauſæ ſunt, propter quas valde prodeſt in Academijs ſcripta Ariſtotelis enarrari. Hic enim ſolus præcipuas artes, Dialecticen, Rhetoricen, Phyſicen, & Ethicen integrè complexus eſt, & in docendo methodum & proprietatem ſermonis adhibuit. Etſi enim magnus & admirabilis vir Plato fuit, & eloquẽtia tanta præditus, vt vulgatum fuerit apud veteres illud: Iouem Græcè loqui ſi vellet, non aliter locuturum quàm Platonem: tamen illud conſtat, Platonẽ non ſcripſiſſe ordine integras artes, ſed liberioribus diſputationibus, aliâs de alio loco quod probaret, aut non probaret, oſtendiſſe. Ariſtoteles verò artes, quas dixi, explicauit integras, & methodum ſimpliciorem ceu filum Ariadnes, aut Promethei igniculum ad regendum lectorem adhibuit, & breuitatem rerum ac ſententiarum ſemper amauit, ne ſi extenderet ſingula, fuſeq; perſequeretur, & copiosè res in infinitum vagaretur, & artis præcepta teneri difficulter poſſent. Itaq; in eo præcipuè elaborauit, ne ſibi dictum vllum, ac ne verbum quidem eſſet ſuperuacaneum, quod dum conſectatur, aſſecutus eſt, vt nullus verbis figuriſq;

Græci ſermonis aptius, magíſq; propriè ſit vſus. Cùm igitur Ariſtoteles propter rerum atque orationis bonitatem, verè à Cicerone flumen aureum vocetur, & vnus ac ſolus ſit methodi artifex, hoc doctrinæ genus quod tradidit, ſummo ſtudio conſeruandum eſt. Quanquam autem multos libros de moribus accuratè ſcripſit: tamen libri decem ad Nicomachum filium, eruditæ methodi ſubtilitate precipuè cōmendantur, quos ſtudioſis auditoribus, de mandato Illuſtriſ. Princ. Electoris Palatini, Domini noſtri clementiſsimi, & inclytæ huius, ac celeberrimæ Academiæ, quæ ſemper domicilium fuit optimarum artium, & hominū doctiſsimorum, proponere & enarrare decreui. Sed reprehendent fortaſſe aliqui conſilium meum, & dicent, verecundiores eſſe baiulos, qui ante onerum ſuſceptionem, vires ſuas metiri ſolent. Ego verò infirmitatem meam agnoſco, ac ſi quis ſtultitiam eſſe iudicabit, quòd impar tanto oneri auſus ſum hanc prouinciam ſuſcipere, ab hoc veniam potius erroris peto, quàm me excuſo. Illud etiā Pauli ſæpe cogito: Hoc à miniſtro poſtulatur, vt ſit fidelis: Fidelitas autem duo complectitur, conſcientiam mediocris induſtriæ, & diligentiam, & excludit affectatam ignorantiam, & affectatam omiſsionem. Quare cùm Reip. non tantùm architectis, ſed etiam fabris opus

sit, & ego Deo adiutore fidelitatem in docendo præstiturus sim: spero bonos viros candidè de meis laboribus iudicaturos esse, quod quidem vt faciāt magnopere ab eis peto. Studiosos autē hortor, vt ad reliqua studia etiam hanc philosophiæ partē adiungant, quæ legū & iuris fontes continet, ex qua mutuantur plæraq; præcepta, non solùm Iurisconsulti, sed etiam Theologi, quoties de moribus, & ciuili consuetudine vitæ disputant, ex qua denique homines hunc amplissimū fructum capiunt, quòd mores fiunt mitiores, & id, quod propriè vocatur ἠθικὸν, amplectuntur, videlicet moderationem ac suauitatem. Sed de dignitate huius philosophiæ die XVIII. Septemb. hora 3. pauca præfabor. Et Deum fontē omnis sapiētiæ & virtutis inuoco, vt & studia & mores nostros dirigat ad nominis sui gloriam, & ad salutaria incrementa Ecclesię. Bene valete. D. XIIII. Sep. Anno Christi M. D. LXVII.

Victorinus Strigelius.

AD EOSDEM DE LIBRO II.

ETHICA Aristotelis non solùm propter res ipsas, sed etiam propter methodi exempla & stylum cognoscenda sunt. Nam res, quas Aristo-

Ariſtoteles in libris Moralibus tractat, Theologis & Iuriſconſultis, denique omnibus qui mores cõfirmare cupiunt, valde prodeſſe, alio loco & tempore ſatis demonſtratum eſt. Sæpe etiam monui ſtudioſos, in Ariſtotele diligenter obſeruandam eſſe methodum, cùm nullus ſit melior artifex methodi quàm Ariſtoteles. Itaq; vel ob hanc ſolam cauſam legi debebat, vt ab eo ſumeremus exempla methodi, hoc eſt, iuſto ordine aliquid docendi. Meminiſtis quàm dextrè in primo libro, in quo hactenus verſati ſumus, has quæſtiones explicarit: An ſit aliqua hominis beatitudo, quæ ſit, qualis ſit, & vnde oriatur. In libro ſecundo, quē paulò poſt Deo adiutore enarrabimus, ſingulari prudentia quærit definitionem virtutis, cumque hominis actiones, aut circa affectus, aut circa res, aut circa ſermonem verſentur, eruditè ab his proximis obiectis enumerationem virtutum ſumit. Sed longum eſſet exempla methodi recenſere, quæ in libris, quos Ariſtoteles de moribus ſcripſit, velut gēmæ inſignes eminent. Si quis autem negat in his libris eſſe ornamenta verborum & ſententiarum, melle & nectare dulciora, is fateatur, ſe non plus habere de eloquentia iudicij, quàm Midam de Apolline & Pane. Hortor igitur ſtudioſos, vt ſecundum librum Ethicorum diligenter audiant, cuius quidem παρασκευὴ eſt vltimum

caput libri primi, quod cras hora ſecunda interpretabor. Bene valete, & ad reliqua bonarum artium & linguarum ſtudia philoſophiam moralem adiungite, quæ emollit mores nec ſinit eſſe feros. D. IIII. M. Ianuarij Anno à CHRISTO nato M. D. LXVIII.

Victorinus.

AD EOSDEM DE LIBRO TERTIO ETHICORVM.

ETSI Ariſtotelis oratio breuis & ſuccincta eſt: tamen & propria & pura eſt, & ita abundat quibuſdam luminibus verborum & ſententiarum, vt Cicero eam dixerit ſimilem eſſe flumini aurum vehenti. Sępe etiam adeò dulcis eſt, vt verè poſsis dicere, Ambroſia conſperſam eſſe. Quare cùm ſtudioſa iuuentus amans verè philoſophiæ, in duobus libris Ethicorum hanc dulcedinem orationis Ariſtotelicæ guſtarit, non dubito, quin ſua ſponte ſatis incitata ſit ad cognoſcendum librum tertium, in quo Ariſtoteles diſſerens de cauſis virtutum, præclarè philoſophatur de diſcrimine inter actiones voluntarias & inuoluntarias & mixtas, de duplici ignorantia, affectata & probabili, de obiecto & electione voluntatis, de fortitudine, & de temperantia, deque alijs rebus bonis,

bonis, quarum longa est enumeratio. Hunc librum optimis rebus refertum, & omnibus studiosis vtilem, Deo iuuante interpretari incipiam die proximo Iouis, seu XVIII. Martij: quem vt iuuentus, propter rerum methodi, & orationis bonitatem diligẽter audiat, amanter eam moneo, & hortor. Die XIIII. Martij, Anno CHRISTI M. D. LXVIII.

Victorinus.

AD EOSDEM DE LIBRO QVARTO ETHIC.

QVARTVS liber Ethicorum ad Nicomachum differit de duabus virtutibus optimis & pulcherrimis, de beneficentia & veritate, quarum officijs præstandis atque exercendis, proximè ad Dei imaginem accedimus. Nam Deus non solùm beneficus est, sed etiam verax, & harum virtutũ mentione vult discerni à Diabolis qui sunt homicidæ & mendaces. Neque verò in his explicandis totus liber cõsumitur, sed singula capita singulos habent locos, quorum varietas lectorem ad se inuitat atq; allicit. Etsi enim magnificentia, magnanimitas, vrbanitas, non sunt omnium, neq; omnibus necessariæ: tamen oratio, quæ de his reliquarum virtutũ ornamentis & quasi picturis ha-

betur, iucundissima voluptate lectoris animum explet. Adde huc vtilissimas admonitiones de mansuetudine, de appetitione gloriæ, de comitate, de verecundia, quas Aristoteles in hoc ipso libro, lectori subijcit atq; proponit. Quare cùm nihil ad delectationem aptius sit quàm varietas, & hæc cum vberrimis fructibus coniuncta sit: hortor studiosos philosophiæ moralis, vt sine morositate & fastidio librum quartū Ethicorum Aristotelis audiant, quem quidē Deo adiutore die XVIII. Octobr. hora 2. ordiar. Oro autem filium Dei, vt studijs necessariæ doctrinæ in hac tempoporum perturbatione halcyonia concedat, & seruet infirmas Ecclesias & scholas, quæ vocem Euangelij & expetunt & discunt. Die XXIIII. Octob. An. Christi M.D.LXVIII.

Victorinus.

AD EOSDEM DE LIBRO QVINTO ETHIC.


IN ETHICIS ad Nicomachum eruditè scriptis, liber quintus præcipuè eminet. Differit enim de virtute pulcherrima, & rectrice vitæ, hoc est, de iusticia, cuius ipsum nomen studiosos inuitare potest, vt quid de ea sapientissimus vir dixerit, cognoscere cupiant. Nec verò stu-

rò ſtudioſis tantùm iucunda erit huius libri lectio, propter venuſtiſsimas proportionum Arithmeticæ & Geometricæ accõmodationes ad ſpecies iuſtitiæ particularis, ſed etiam valde vtilis in explicatione multarũ controuerſiarum theologicarũ & forenſium. Nam in Eccleſia, & in ſermone diuino ſæpe hæc nomina repetuntur: Iuſtitia, iniuſtitia, peccatum. Hîc neſcire, quas res hęc vocabula monſtrent, non ſolùm turpe, ſed etiã pernicioſum eſt. Obruitur enim doctrina de rebus maximis, de volũtate Dei, & de ſalute noſtra. Deinde vt Phyſica eſt inchoatio artis medicę: ita hic liber ſuis riuulis ſuauiter irrigat hortulos doctrinæ, quã Iuriſconſulti profitentur. Continet enim fontes, cauſas, & demonſtrationes iuſtitiæ, legum naturæ, & iuris poſitiui, & diſcernit ſummum ius ab æquitate. Quare cùm tanta ſit huius libri dulcedo & vtilitas, ordiar eius enarrationem die XX. Maij: H. II. in Auditorio magno, & ſtudioſis veræ Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, & Theologiæ, magnopere hortator ſum, vt in hoc libro cognoſcendo multum temporis & operę ponant. Bene feliciterq; valete. Die XV. Maij: Anno Chriſti M. D. LXIX.

Victorinus.

FINIS.





Aristotelis